BV
302
.O

PONTIFICIUM INSTITUTUM UTRIUSQUE IURIS

ALAPHRIDUS S. R. E. CARD. OTTAVIANI

# COMPENDIUM

## IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

*EDITIO QUARTA*

*EMENDATA ET AUCTA*

*ADIUVANTE IUR. DOCT. IOSEPHO DI MEGLIO*

ST. CHARLES B. SEMINARY
LIBRARY
STATEN ISLAND, N. Y.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MDCCCCLIV

http://www.obrascatolicas.com

IMPRIMATUR

Cum Adprobatione ecclesiastica

E Vicariatu Civitatis Vaticanae, die 2 decembris 1954.

# PRAEFATIO

Multi sane praesertim ex iis, qui doctrinam, quam a me didicerunt, in scholis theologicis ipsi tradunt, enixius me rogarunt, ut consulens Seminariorum alumnis, qui tantum primo theologici studii anno iuri publico ecclesiastico vacant, materia breviorem et sumptu tenuiorem ex exarato opere *Institutiones Iuris Publici Ecclesiastici* Summulam detraherem et typis ederem.

Haec dum ratio diu perpensa animum ad novum suscipiendum laborem inclinat, litterae Emi Cardinalis Caietani Bisleti, Praefecti S. Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum, me compulerunt, ut in rem sine mora incumbere statuerem. Haec inter alia illic scripta erant :

« ... ex corde gratulor ominorque, ut tam praeclarum opus non solum in Pontificio Instituto Utriusque Iuris ... sed in aliis quoque Ecclesiasticis Institutis et Athenaeis, ubi Ius Canonicum ampliore forma ad normam Constitutionis Apostolicae " Deus scientiarum Dominus " tradi debet, quam latissime spargatur ».

Ita brevi compositum est hoc *Compendium Institutionum Iuris Publici Ecclesiastici*, quod Sacrae Theologiae auditoribus proferre gaudeo, fidenti animo sperans id futurum esse, ut sicut arbor ita nec virgultum quoque eius displiceat. In eligenda tractandorum argumentorum varietate opportunum duxi eam rationem et viam adsidue sequi, quam in superiore opere conden-

http://www.obrascatolicas.com

do mihi praestitui, ut scilicet in iure ecclesiastico publico explanando, quantum sine dissertationis ordinis et structurae detrimento fieri possit, resecentur et omittantur quaestiones, quae proxime et directe ad Theologiam Fundamentalem et ad Commentarios Codicis Iuris Canonici spectent. Quaestiones vero quae pertinent ad Ecclesiae publicam vitam et operositatem, ad necessitudines inter Ecclesiam et Civitates intercurrentes, ad errores qui Ecclesiae socialia iura minuunt aut destruunt, non leviter tangendas, sed fusius et uberius enucleandas constitui, ita ut adolescentibus neque in discernenda veritate clara intelligentia desit neque in tuenda iustitia robusta argumentatio.

Materies autem Compendii distributa est perinde ac in opere maioris momenti, ex quo id originem duxit. Eodem servato ordine magistris et discipulis, qui Compendii textum adhibebunt, facilius erit, si voluerint, ampliorem meum Tractatum consulere, ibidem de unaquaque re explicatiorem invenire disceptationem.

Unum magnopere in exarando opere optavi, quod dives erroribus aevum animi considerationi admovit.

Pravae et venenatae sententiae, quae exactis saeculis timidum tantum exserebant caput ac fucis et coloribus operiebantur, ne despicatui et contemptui statim essent hominibus aequi iustique amantioribus, nunc temporis insatiabili insolentia et audacia tumescunt, incredibili celeritate propagantur, cuncta tenent, cuncta subiciunt, cum veritate non amplius proeliantur, sed in id summopere nituntur, ut ipsorum obruta mole ea expers vocis et libertatis omnino obmutescat.

Quod autem peius est, ultranationalismus et ultrademocraticismus, qui sunt errores nostrae aetatis praecipui, *etiam sacerdotes et iuvenes in spem Ecclesiae succrescentes,* quibus sanctum est sacra iura nosse et tueri ac proprio appellare



nomine bonum et malum, lucem et tenebras, *sua temptant corrumpere caligine.* Quo autem tanta temeritas profectura sit, nescio sine animi formidine prospicere. Nunquam dedecus culpae fuit sine decore iustitiae. Vindice autem Deo, homines, qui contumaciter oppugnant et contemnunt aeterna, ut terrena acquirant, eo solent pervenire, ut amittant utrumque.

Tertia huius voluminis editio, cum mihi deesset tempus omnia revisendi quae in eo petractabantur, his finibus contenta est, ut alterae editionis esset mera reimpressio.

Hac autem in quarta editione quaedam operis capita variationes haud parvas acceperunt, prout mutata temporis adiuncta exquirebant. Id omnino poposcit eventum decursus, qui etiamsi non potest concutere constituta rerum principia, novos adduxit inopinos casus et Civitatum statum et condicionem hic illic permutavit. Aliam etiam ob causam id fieri oportebat : opinionum errores, quibus adhaerent liberales catholici, recens ita increbuerunt, ut purae et intemeratae doctrinae grave afferrent periculum. His dilucidiore et validore argumentatione obsistendum esse censui.

Ceterum quisquis attento animo considerat quae prostremis decenniis contigerunt, pro comperto habet asperiorem usque effici impugnationem Ecclesiae iurium. Quocirca rei consentaneum est, ut ecclesiastici viri et laici pro causa optima dimicantes percognita habeant huiusmodi iura, quae quidem si defenduntur, non solum Ecclesia iusto praesidio tegitur, sed etiam societatis civilis emolumentum, singulorum hominum libertas et dignitas, familiarum securitas et felicitas et alia magni momenti in tuto locantur vel ad incrementa provehuntur.

Cuius disciplinae studium in lumine ponet, quanta haec doctrina nostra aetate polleat gravitate et praestantia et quanto-

http://www.obrascatolicas.com

pere oporteat in theologicis scholis, sive laicis destinatis, apte hisce institutionibus imbuantur omnes, ut in gravibus nostra aetate commotis quaestionibus, clerici et milites Actionis Catholicae, spernentes et repellentes nova inundantia limosa sententiarum commenta, ad recte cum Ecclesia sentiendum, exinde incitamenta stimulosque accipiant.

Romae, die VIII decembris, Anno Mariano, MDCCCCLIV.

A. Card. OTTAVIANI

# COMPENDIUM IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

## PRAENOTIONES

**1. Ius ecclesiasticum,** *obiective* consideratum, est *complexus legum tum a Deo tum ab ecclesiastica auctoritate latarum, quibus Ecclesia Catholica constituitur et regitur, ut apte conservari et finem suum assequi possit.*

Ratione *obiecti,* seu *materiae,* dividitur in **publicum** et **privatum.** [1] Enimvero, complexus legum quibus Ecclesia constituitur et regitur ut apte conservari et finem suum assequi possit, ratione materiae seu obiecti circa quod versatur, duplex systema constituit:

primum, earum legum quae Ecclesiae, tamquam societatis perfectae, structuram, socialia media seu vires, potestatemque respiciunt (seu *quae constitutionem et iura Ecclesiae tamquam societatis perfectae determinant*);

alterum vero, earum legum quae, supposita tali Ecclesiae constitutione cum specialibus suis iuribus ac fine, *ad regimen et directionem singulorum membrorum conditae sunt, pro finis ipsius consecutione.*

Primum legum systema constituit *ius publicum;* alterum, vero, *ius privatum.*

Itaque, *ius publicum ecclesiasticum* definitur: « *Syste-*

[1] Circa *divisiones* iuris et ampliores praenotiones de fontibus, scientia et disciplinis auxiliariis iuris publici ecclesiastici, v. opus maius seu *Institutiones Iuris publici ecclesiastici,* ed. III, Romae, 1947-48, vol. I, p. 1-34.



http://www.obrascatolicas.com

*ma legum de constitutione et iuribus Ecclesiae tamquam societatis perfectae in finem supernaturalem ordinatae* ».

Ius privatum definitur: « *Systema legum quibus membrorum Ecclesiae iura et officia determinantur, pro ipsorum regimine et sanctificatione* ».

Ad declarandam definitionem datam iuris publici ecclesiastici, haec notasse iuvabit:

1° Dicitur: *systema legum de Ecclesiae constitutione,* ut ostendatur obiectum iuris publici ecclesiastici esse leges de natura sociali Ecclesiae, de forma regiminis, deque subiecto potestatis in ea; de omnibus scilicet quae organicam Ecclesiae structuram socialem respiciunt.

2° Additur etiam: *et de iuribus eius tamquam societatis perfectae;* seu de quantitate potestatis socialis respectu subditorum, deque iuribus et habitudine eius respectu aliarum societatum. Publicum enim ius Ecclesiae non solum necesse est proferat quae sit constitutio Ecclesiae, verum debet etiam ostendere *quantum* sit in ea *imperii ius, seu quantitatem potestatis socialis* respectu membrorum, et quaenam insuper vindicanda sint ei *iura libere agendi exigendique,* tamquam corpus sociale, respectu aliorum corporum moralium, quibuscum relationes habere potest.

3° Dicitur demum: *in finem supernaturalem directae,* ut ostendatur ius publicum Ecclesiae, ratione sui finis, specialem indolem habere, sibi exclusive propriam, respectu iuris publici ceterarum societatum perfectarum, quae omnes finem naturalis ordinis habent.

Ad definitionem autem iuris privati quod attinet, sufficiat notasse eam omnes leges complecti quas Ecclesia, iuxta limites et normas statutas in iure publico, condit de interna disciplina ac personarum iuribus et obligationibus, tum etiam circa media sive spiritualia sive temporalia rite adhibenda, et circa impedimenta removenda ad omnium fidelium sanctificationem.

Patet demum quaenam sit inter ius *publicum ecclesiasticum* et *ius privatum* mutua *relatio* ac *differentia.* Est enim ius publicum iuris privati *fundamentum;* inter se vero differunt non solum *ratione obiecti* seu indolis, verum etiam ratione *praestantiae, auctoris, diuturnitatis* et *fontium.*



Publicum ius quod dicitur etiam constituens, vel constitutivum, vel constitutionis, est velut *praesuppositum* necessarium quo ius privatum, dictum etiam constitutum seu regiminis, fulcitur et explicatur. Fideles enim in tantum legibus ab Ecclesia editis obstringuntur, in quantum haec, ex suo iure publico, divinitus constituto, est societas iuridica perfecta, potestate leges ferendi a Christo praedita. Hinc patet cur iuris privati limites a iure publico dicantur determinari. Igitur publicum ius praecedit ordine et praestantia ius privatum; eo vel magis quod *illud maxima ex parte divinum est,* istud vero ab humana auctoritate in potiori sua parte [1] est conditum.

Consequenter, est ius publicum in sua praecipua parte *immutabile, constans,* perseveraturum usque ad consummationem saeculi quia usque ad illud tempus stabit Ecclesia, qualis a Christo est constituta; ius vero privatum, utpote legibus humanis generatim constans, mutabile est et reapse mutationibus subiectum fuit, pro adiunctis temporum, locorum ac personarum.

Item, *fontes praecipui* iuris publici in ipsis fontibus revelationis habentur, ex quibus divinae voluntatis dispositiones de Ecclesiae natura et constitutione nobis innotescunt; iuris privati vero fontes, pro ampliori legum parte, sunt humana documenta vel media omnia ex quibus auctoritatis ecclesiasticae iussa seu statuta desumi possunt.

His tamen non obstantibus, clari et definiti termini seu limites utriusque iuris, in practica applicatione divisionis, adhuc usu non sunt statuti. Equidem multa quae, per se, ad ius publicum spectarent, in praxi solent a canonistis in agmine iuris privati haberi.

Quae praxis servatur etiam in Codice Iuris Canonici, qui, hac etiam de causa, multum differt ab aliis codicibus societatum civilium. [2] In Codice enim nostro recensentur plura, praesertim

---

[1] Dicimus in potiori sua parte, quia non desunt etiam in iure privato leges divinae.

[2] Quamvis enim doctores quoque iuris civilis haud unanimes sint in exhibendo criterio divisionis inter ius publicum et privatum, in Co-

http://www.obrascatolicas.com

in libro *de personis* (ubi de hierarchia) quae optime dici possint canones iuris publici. Imo inveniuntur in eo praecipua omnia quae essentialia constitutionis et iuris socialis Ecclesiae ut perfectae societatis proferunt; ita ut hodierna legum Ecclesiae collectio dici possit « *Ecclesiae Statutum et Codex* ».

**2.** Ius Publicum Ecclesiasticum aliud est **divinum** aliud **humanum.**

Cum Ecclesia sit, ut ex sacris Scripturis constat, divinae institutionis, ex Dei voluntate pendet fundamentale, nativum, essentiale ius constitutivum divinae huius societatis: et hoc est *ius publicum ecclesiasticum divinum*, quod *primarium* quoque audit, seu *originarium*. Verum, iuri huic, ex ipsis Ecclesiae factis, aliud quoque superadditum est, consentaneum quidem iuri divino publico seu primario, constitutionem Ecclesiae explicans, eiusve typum territorialis vel personalis organizationis certis normis perficiens, atque relationes cum ceteris societatibus practice determinans. Et hoc constituit *ius publicum ecclesiasticum humanum*, quod dictum est etiam *derivatum*, seu *secundarium*.

Poterat quidem Iesus Christus, divinus Ecclesiae Conditor, plura relinquere hominum arbitrio quoad socialem ipsius Ecclesiae organizationem: de facto tamen non reliquit, sed Ipse voluit omnia statuere quae spectant ad fundamentalem Ecclesiae constitutionem et organizationem qua societatis perfectae. Proinde praecipua pars iuris publici divina est, leges continens immutabiles et perennes de Ecclesiae natura, imperio et magisterio.

Ea vero quae Ecclesia, ad perficiendam suam organizationem vel ad definiendas relationes cum aliis societatibus pro libero exercitio aut pro remissione quorumdam iurium, constituit, mutabilia sunt; valet enim hic, pro iure publico humano, sententia illa Ivonis Carnutensis: « Ea quae aeterna lege sancita non sunt, sed honestate et utilitate Ecclesiae instituta vel

---

dicibus iuris privati societatum civilium non habetur tanta utriusque iuris permixtio sicut in nostro Codice.



prohibita, pro eadem occasione ad tempus remittuntur pro qua inventa sunt, non est institutorum damnosa praevaricatio, sed laudabilis et saluberrima dispensatio ». [1]

Exempla autem iuris publici *divini* sunt: statuta quibus Ecclesiae addicitur plena et independens potestas legifera, iudicialis et coactiva pro negotiis ad finem suum quomodolibet pertinentibus; item, statuta quae Romani Pontificis primatum iurisdictionis in universa Ecclesia, ac hierarchiae sacrae constitutionem respiciunt; similiter, ea quibus Ecclesiae addicitur libera et independens a qualibet potestate facultas acquirendi, retinendi atque administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios consequendos. [2]

Exempla iuris publici *humani* sunt: normae relativae ad institutionem et iura sedium patriarchalium; iura concordataria; [3] normae quaedam de regimine Ecclesiae vacante Sede Apostolica et de electione Romani Pontificis. [4]

**3.** Ius publicum ecclesiasticum **internum** et **externum.** Societas quaelibet potest considerari vel in se, vel relate ad alias societates; consequenter, etiam eius iura possunt considerari vel in quantum referuntur ad societatem in se spectatam, vel in quantum eandem respiciunt prout refertur ad alias societates. Ex hac distinctione, Ecclesiae applicata, duplex oritur systema legum quae ad publicum ius ipsius pertinent:

primum, earum nempe quae Ecclesiam respiciunt ut per-

---

[1] Ex *epist.* 236 Ivonis ad Archiep. Lugdunens. *de investituris* (MIGNE, *P. L.*, 162, 242).

[2] Cfr. v. g. canones 196, 1322 § 2, 2214 § 1; 107, 108, 109, 218, 1495.

[3] Sed notat CAVAGNIS: « Ad ius nostrum spectat in aperto ponere potestatem Ecclesiae leges concordatas condendi, non autem exponere quaenam conditae sint aut adhuc vigeant; hoc enim ad diplomatiam ecclesiasticam spectat, etsi aliquando et pro re nostra ad historicam declarationem utiliter recurratur ». *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. I, pag. 11.

[4] PII X Const. *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904. Cfr. can. 160. PII XII Const. *Vacantis Apostolicae Sedis*, 8 dec. 1945 (*A. A. S.*, vol. 38 pag. 65 ss.).

http://www.obrascatolicas.com

sonam moralem perfectam in se consideratam, cum sua peculiari et intima constitutione cumque iuribus quibus pollet *relate ad subditos suos,* praecisione facta a qualibet relatione cum aliis societatibus: *ius publicum internum;*

alterum, autem, earum legum quae Ecclesiae facultates, habitudinem, seu iuridicam positionem, respectu aliarum societatum tum in statu concordiae, tum in statu conflictus respiciunt: *ius publicum externum,* seu relationum.

**4.** 1. In *scientia* iuris publici ecclesiastici merito tamquam fundamentum supponitur praesertim *theologia fundamentalis* seu tractatus de vera religione deque Ecclesia Christi.

2. Quandoque tamen dimicandum est cum eis qui non acquiescunt Ecclesiae magisterio ac theologicis argumentationibus; ex. gr. cum rationalistis. Cum iis igitur dimicandum est potius, in vindicandis (quantum fieri potest) iuribus Ecclesiae, auxilio iuris naturalis: hinc desumuntur ex *philosophia naturali,* in ea parte quae ius sociale respicit, ea quae ecclesiasticae quoque societati aptari possunt.

3. Item, maxime cohaeret cum iure publico ecclesiastico (externo) *ius internationale,* quod est systema legum et consuetudinum de relationibus inter societates perfectas: multa enim principia generalia relationum inter Ecclesiam et Statum non sunt nisi particulares applicationes principiorum generalium iuris internationalis publici.

4. Pressius autem cum eodem iure publico externo cohaeret « *ius concordatarium* » utpote quod practicas exhibeat applicationes principiorum quae in nostra disciplina traduntur circa conventiones seu Concordata ab Ecclesia inita cum Statu, et commentarium proferat de pactis quibus utriusque societatis iura et officia in concreto firmata sunt. [1]



5. Quandam affinitatem cum iure publico ecclesiastico habet etiam scientia *Diplomatiae ecclesiasticae,* seu scientia « de modo et habitu rite componendi relationes Ecclesiae cum civilibus societatibus, harumque praesides inducendi ut officia erga Ecclesiam compleant, utque pax inter sacerdotium et imperium servetur ». [2]

**5.** *a*) Hae igitur disciplinae, ita nostro iuri affines, sunt eo ipso tamquam **scientiae auxiliares** pro nostro studio habendae: earum enim cognitio maxime prodest sanae atque completae doctrinae de iure publico ecclesiastico acquirendae. Sed omnes etiam scientiae quae directe respiciunt fontes iuris publici auxilio sunt nobis, immo summopere utiles atque necessariae. Inter has praesertim accensentur: *exegesis in Sacras Scripturas,* textus explicans qui continent fundamentalia iuris publici Ecclesiae; *patrologia,* quae, simul cum notitia conciliorum, sensum Ecclesiae in multis aperit; *historia ecclesiastica,* praesidium et subsidium gravissimum, quo vicissitudines vitae socialis Ecclesiae eiusque luctae et victoriae pro tuitione sui patrimonii iuridici innotescunt; historiae autem ecclesiasticae maxime cohaeret *historia diplomatiae pontificiae; ius privatum* quod, sicut patet ex dictis (n. 2), maxime cum iure publico connectitur; demum autem « *ius ecclesiasticum a civitatibus conditum* », quo cognoscitur status seu actualis condicio Ecclesiae in singulis

---

[1] Giobbio, *Lezioni di diplomazia ecclesiastica,* Romae, 1899-1901, vol. I, praen., p. 9 ss.; De Luise, *De iure publico seu diplomatico Ecclesiae Catholicae,* Neapoli et Parisiis, 1877, tit. II, p. 4.

[2] Perugini, *Ius Concordatarium,* Reimpressio, Romae, 1950; Nasalli Rocca, *Concordatorum Pii X concordantiae,* Romae, 1940.

http://www.obrascatolicas.com

nationibus, quatenus exercitium iurium ipsius, per has leges, plus minusve coarctatur. [1]

*b*) **Fontes** iuris publici ecclesiastici, respectu auctoris, alii sunt divini, alii humani, ut patet ex divisione supra (n. 4) exhibita.

Sub hoc adspectu, igitur, ius publicum ecclesiasticum fontem seu auctorem habet Deum ipsum, positive determinantem fundamentalia iura Ecclesiae. Quare, fontes *cognitionis* iuris publici ecclesiastici, sub hoc adspectu, sunt Sacra Scriptura, Traditio et Philosophia naturalis.

Pro parte autem humana, ius publicum ecclesiasticum, fontem seu causam efficientem habet Romanorum Pontificum et Conciliorum Generalium Statuta, quorum cognitio seu fontes cognitionis sunt Decretalium et Conciliorum Collectiones, Codex Iuris Canonici, Concordata, Acta Apostolicae Sedis etc.

Congrua autem congruis referendo, habendi sunt prae oculis Tractatus Diplomatiae in genere, cuius normas diplomatici ecclesiastici etiam sequuntur; salvis eis quae propria Ecclesiae Legatorum sunt (v. gr. Regulae Decanatus. Cfr. Conc. cum Germania, Prot. Additionale, ad art. 3).

---

[1] Quoad scientiam iuris publici ecclesiastici cfr. nostras *Institutiones*, ed. III, Romae, 1947-48, vol. I, pp. 17-31, ubi invenies etiam amplissimam bibliographiam.

# PARS I

## PRINCIPIA GENERALIA

### TITULUS I

### DE SOCIETATE IURIDICA PERFECTA

#### ARTICULUS I

#### Notio societatis

**6.** Societas definiri solet: « *Plurium hominum unio ad eundem finem communibus mediis consequendum* ». [1] Quae definitio omnia et sola elementa continet quibus omnis societas constituitur, ideoque quam maxime generica est, seu omnibus societatum speciebus convenit.

*Quatuor* enim sunt *elementa* necessaria ad societatis cuiuslibet constitutionem:

1° *homines*, seu membra quibus corpus sociale coalescit;

2° *unionis vinculum*, idest complexus ligaminum quibus compago corporis istius constat et ad unitatem organicam pluralitas membrorum redigitur;

3° *finis*, qui est velut animus istius moralis organismi;

4° *media*, idest omnia quae necessaria sunt ut corpus sociale, velut viribus organicis praeditum, conservari et operari possit pro finis consecutione. [2]

---

[1] CAVAGNIS, *Inst. iur. publ. eccl.*, Romae, 1906, vol. I, lib. I, p. 23.

[2] BENDER, *Ius publicum ecclesiasticum*, 1948, pag. 24; falsum dicit communitatem mediorum necessariam esse ad finem consequendum. « Quis

http://www.obrascatolicas.com

De singulis his elementis quaedam sunt particulariter exponenda.

I. **Hominum pluralitas.** – *Pluralitatem* dicimus, non multitudinem; non enim videtur cur *plurimorum* hominum concursus requiri debeat ad efformandam societatem. Quamvis enim ad id unus homo non sufficiat, tamen duo iam satis essent, saltem ad communionem illam constituendam quae ex contractu « de re vel operis communicandis lucri in communi faciendi gratia » originem habet, quaeque optime sub generica etiam denominatione societatis venire potest. Item, etiam societas domestica paucis membris constat. Tamen hoc nomen plerumque ad illas communius referri solet hominum uniones quae vel multitudine constant, vel saltem numerositate quadam gaudent.

*Homines* igitur sunt quasi elementum, ut ita dicam, materiale societatis, sine quo nulla ulterior determinatio est possibilis ex parte aliorum elementorum quae ad societatem constituendam requiruntur. Datur quidem et consortium *spirituum:* sed de eo non potest haberi sermo sub aspectu iuridico. Item, congregationibus entium inferiorum, quales sunt v. g. turmae animalium, nullimode societatis nomen dari unquam potest: quod sensu careret. Non enim unionem quorumlibet entium, vel instinctu vel casu coëuntium, societatem solemus vocare, sed illorum utique congregatio nomen illud sibi vindicat, quae membris constat coëuntibus propter finem, seu propter tendentiam erga terminum quemdam communem *intellectu* cognitum et *voluntate* appetitum. [1]

unquam qui vitam societatis civilis aliqualiter cognoscit perhibebit cives ad bonum commune tendere *communibus* mediis? ». Profecto cl. Auctor prae oculis non habuit etiam civium classes, quas enumerat, saltem taxis seu vectigalibus, itemque praestatione civilium officiorum, ad quae omnes aequaliter tenentur, v. g. servitio milutari, ad media communia conferre.

[1] Solet a naturalistis dari nomen societatis instinctivo concursui brutorum, sed, ut patet, *improprie,* quamvis non desint qui audeant comparare



II. **Unionis vinculum.** – Hominum pluralitas ut possit esse elementum constitutivum alicuius societatis, vinculis talibus debet colligari, ut singuli socii vere membra unius corporis dici possint, quorum actus sociales, quemadmodum unius organismi vires, arcte inter se connectantur conspirationem in aliquid producendo.

Igitur non quaelibet unio vinculis constat aptis ad socialem colligationem inducendam. Ita v. gr. uniones individuorum quae fundantur tantum in quadam relatione temporis vel spatii (ut si consideres homines nunc collectos in quadam aula ad audiendum oratorem) socialis unionis indolem minime prae se ferunt.

*Vincula autem apta ea sunt quae proportionantur naturae rationali hominum.*

Iamvero duae sunt facultates essentiales naturae rationalis: *intellectus* scilicet et *voluntas.* Vincula igitur quae moraliter ligant has facultates, capacia sunt ita ad unitatem reducendi pluralitatem hominum, ut ipsorum stabilis conspiratio ad aliquid, talis habeatur, quae socialis unionis elementum constituat.

Profecto talia vincula *per se* iam sufficienter haberentur in *cognitione alicuius finis* quem omnes communem habent, et in communi et efficaci voluntate illum communiter prosequendi. Verum, ut *practice* socialis cohaesio existat et activitatum conspirationem producat, oportet:

1° ut satis omnibus constet quaenam media adhibenda, qua via communiter procedendum pro finis consecutione ab omnibus apprehensi et voliti; itemque

2° ut omnium bona voluntas respondeat perspectis neces-

hominum societates primitivas cum beluarum concursu. Improbam autem confusionem quidam Naturalistae induxerunt inter brutorum *instinctivum concursum,* et hominum rationalem conspirationem in finem, societatem pariter vocando utramque unionem.

http://www.obrascatolicas.com

sitatibus, ita ut quod *omnes* vident necessario faciendum vel omittendum pro finis consecutione, id reapse *omnes* faciant vel omittant. [1]

Tunc utique practice possibilis erit conspiratio in eundem finem, in quo est tandem ratio ultima unionis; sociorum intellectus quasi unum intellectum, ipsorumque voluntates unam velut voluntatem constituunt.

Verum qui voluntatum malitiam et intellectuum imbecillitatem consideret [1] facile sibi suadebit et conspirationis unitatem et mediorum unanimem selectionem fere inter impossibilia esse recensenda, nisi aliquod unitatis principium societatis membra gubernet, eo modo quo finis unicus in generali voluntate boni socialis ea coordinat. [2]

Hinc **necessitas auctoritatis** tamquam « *condicio sine qua non* » pro effectiva assecutione finis. [3]

III. **Finis.** – Finis est id cuius gratia aliquid fit. Est igitur, in ordine ad societatis constitutionem, prima ratio coësionis socialis. Quaelibet hominum unio, ubi praeter finem communem uti talem apprehensum et volitum fiat, mere materialis est: ubi vero fit propter communem tendentiam in terminum aliquem in quem omnes simul et communiter adspirant, vere socialis unionis efficax principium esse potest.

Finis autem ut principium seu causa legitima socialis unionis revera fiat, debet: 1° esse *bonum* aliquod; 2° *commune* omnibus membris societatis; 3° et quidem communibus viribus seu *conspiratione* virium assequendum.

---

[1] Cum dicimus « omnes », unanimitatem tantum *moralem* intelligimus, quae habetur etiam si unus vel alius vel pauci a conspiratione deficiant.

[2] Cfr. S. Th., *De regimine principum*, lib. I, c. I.

[3] Leo XIII in Enc. *Immortale Dei*, luculenter rem proponit hac brevi sententia: « *non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione* » (*Acta Leonis XIII*, vol. V, pag. 120).



1. *Debet esse* **bonum** *aliquod*, alioquin finis non esset appetibilis.

Ast, ut vere bonum sit, debet esse *honestum*, scilicet conforme normae rectae rationis, qua hominis actus circa obiecta diriguntur modo consentaneo cum natura rationali hominis ac eius destinatione ultima. [1]

Bonum ipsum debet etiam esse *concretum*, *certum* et *definitum*, secus non movet efficaciter ad agendum.

Hoc ipso autem, quod bonum communitatem respicit, sequitur quod indirecte et ultimo etiam in utilitatem individualem singulorum membrorum cedit; si enim tantum alios respiceret, non satis efficax esset ad conspirationem *omnium* producendam.

2. Si autem **commune** non esset bonum, i. e. finis, seu terminus in quem tendere debent socii, in diversa dispesceretur horum activitas, ideoque moralis coniunctio deficeret. Nihil tamen prohibet quominus finis unicus et communis dicatur ille qui pluribus finibus constat, seu ex pluribus particularibus finibus integratur. [2] Tunc enim finis consistit in assecutione alicuius boni complexi, quod constat et integratur ex pluribus bonis, in se *relative completis*, scilicet in determinato genere seu ordine. In hoc casu, etsi ad diversa particularia directe tendant vires sociales, indirecte et consequenter adlaborant ad completum et unicum bonum assequendum, ex his particularibus constitutum seu integratum, ut est v. gr. temporalis prosperitas in societate civili.

3. *Bonum ipsum, demum,* **communiter consequendum est**; talis videlicet debet esse finis, qui *conspiratione* virium assequendus sit. Si enim finis communis quidem esset pluribus hominibus, sed per semetipsum quisque curaret sibi illum assequi, absque concursu et cooperatione aliorum, nulla existeret tunc

---

[1] Unde S. Thomas: « *Bonum* in unoquoque consideratur secundum condicionem suae naturae » (I, II, q. 59, a. 5 ad 3). Item: « Unicuique bonum est quod est sibi connaturale et proportionatum » (I, II, q. 27, a. 1). Cfr. etiam *C. gent.*, l. 3, c. 129 collatum cum I, II, q. 29. a. 1. Unde sequitur in societate civili finem adaequatum esse bonum temporale proportionatum et *conveniens homini eiusque supremae destinationi* scil. indirecte ordinatum ad finem supernaturalem.

[2] Cfr. S. Th., I, II, q. 90, a. 2.

http://www.obrascatolicas.com

societas. Coordinanda est igitur activitas sociorum, ut unicum motum seu unicam tendentiam in eundem finem efformet, et idoneum principium unionis socialis habeatur. [1]

IV. **Media.** – Requiruntur media, seu auxilia, instrumenta *necessaria* vel *utilia* ad consecutionem finis : secus socii inefficaciter contenderent in ipsum finem.

Quae media, socialia esse debent, seu aliquo modo *communia* (non huius vel alterius tantum, vel singulorum omnium). Ad hoc enim constituta est vel initur societas, ut nempe singulorum insufficientiae consulatur. Communio autem mediorum sufficit ut sit saltem illa quae ex connexione exurgit, ut Menenius Agrippa populo romano ostendit, et S. Paulus [2] christianos docuit.

Debent autem media esse *commensurata* fini. Et quoniam aptitudo instrumenti ad finem commensuratur non ex quantitate solum, verum magisque ex proportione quam habet ad finem ipsum, [3] patet quod si insufficientia mediorum in singulis sociis sit non solum ratione quantitatis, sed etiam ratione qualitatis, nunquam sufficient ad finem habendum, media quae ipsi simul conferre possunt; tunc a principio quodam extrinseco (v. g. iure naturae, entis potentioris largitione) necesse est superadveniat *societati* id iuris quod deest *singulis individuis* circa alia media (v. g. ius inferendae necis), ut societas conservari et operari in finem efficaciter possit.

---

[1] Quoad ultimos hos tres numeros utiliter consules opusculum GONELLA, *La nozione di bene comune*, Milano, 1938.

[2] *I Cor.*, XII, 14-31; *Ad Eph.*, IV, 11, 16.

[3] « Non tanto aliquid fit melius quanto maius est instrumentum, sed quanto est magis fini proportionatum ». S. THOM., II, II, q. 88, a. 7, ad 1.



**7. Societates sunt ut fines.** – Ex quatuor elementis constitutivis societatis, **finis** *ceteris elementis omnino* **praestat** sub adspectu iuridico.

Finis enim nedum est primum principium seu causa socialis unionis — propter finem enim initur societas, quo sublato perit ratio determinans homines ut eam ingrediantur vel in ea maneant — sed etiam ita ei speciem dat, ut ex fine determinetur tum *natura* tum *status iuridicus* societatis. Immo ipsum discrimen quod intercedit inter societatem *perfectam* et *imperfectam*, quod sane est summi momenti iuridici, ex natura finis socialis determinatur. Hinc merito *ex fine* multa deducuntur de iuribus, de gradu et praestantia cuiuslibet societatis tum in se consideratae tum respectu aliarum : quae omnia enunciari solent notissimo effatu : *Societates sunt ut fines.*

I. **Ex fine determinatur natura societatis.** - Ex aliis elementis, sane, duo (hominum pluralitas, unionis vinculum) sunt generica, seu communia omnibus societatibus; tertium vero (media) diversam speciem habere quidem potest, sed ipsius determinatio pendet a fine cui proportionari debet: et ideo non ex mediis sed ex fine specificatur primo societas. Hinc v. g. societas hominum potest, prout diversi ordinis finem habet, esse *spiritualis* [1] vel *temporalis;* item, prout finis eius sit ab omnibus vel a quibusdam tantum consequendus, erit societas *universalis* vel *particularis, publica* vel *privata*, etc.

---

[1] Societas *spiritualis* non idem est ac societas *spirituum*. Haec ultima quae in coelis est, tum ratione *finis* (proximi) tum ratione *membrorum* differt a societate humana quae, utpote membris constans non spiritu tantum sed corpore etiam praeditis, est spiritualis ratione finis, mediis autem utitur *spiritualibus et temporalibus*. Nam « homines tendunt ad finem prout hic communi conspiratione attingi potest; hinc est quod societas etsi sit spiritualis et supernaturalis ob finem, tamen ob media erit non modo spiritualis et supernaturalis, sed etiam externa et visibilis; igitur eius media adaequate inspecta oportet sint mixtae naturae ». CAVAGNIS, *Inst. iuris publ. eccl.*, Romae, 1906, vol. I, p. 26.

http://www.obrascatolicas.com

II. **Ex fine pendet etiam status iuridicus societatis,** scilicet *a*) systema organizationis, *b*) iura seu potestatis quantitas in socios, *c*) iura et habitudo unius societatis relate ad aliam.

*a*) Primo quidem pendet a fine *systema organizationis socialis*. Etenim homines inire societatem propter finem, dupliciter contingere potest: vel communi liberoque ipsorum coëuntium consensu, vel iure praevalenti cogente: primum evenit si finis est liber, alterum e contra, si finis est necessarius et nonnisi socialiter illum consequi possumus. [1] Profecto, in primo casu liberum est sociis organizare societatem quomodo ipsis placet; in altero autem casu, homines societatem ingredi *debent* qualem inveniunt constitutam vel organizatam, *si* id provisum sit ab eadem auctoritate praevalenti, a qua finis pariter necessarius praestitutus sit. In utroque casu igitur pendet ex natura finis utrum modus organizandae societatis sociorum arbitrio relictus sit, annon.

*b*) Pendent a fine *iura seu quantitas potestatis socialis*. Potestas seu iura societatis non alia sunt quam iura eius in ordine ad media: media autem aequantur fini. Ius igitur ad media oritur cum exsistit relatio necessitatis vel utilitatis horum ad finem: et correlativa officia membrorum eidem relationi respondebunt. Aliter igitur atque aliter obstringuntur membra erga societatem eiusque potestatem, prout vel ad finem *liberum* vel ad *necessarium* tendunt, itemque prout media proposita relationem vel necessitatis vel utilitatis cum fine habent. Quod si proposita media nullam habent relationem cum fine, in sociis nulla obligatio oritur: quae enim a fine aliena sunt nullum ius exigendi in societate conferunt. [2]

*c*) Demum *ex fine determinatur habitudo seu iura unius*

[1] Duo igitur simul requiruntur: 1° quod finis necessarius sit: 2° quod solum in societate consequendus sit. Si enim alicui fas esset per semetipsum solum consequi finem necessarium, ei opus non esset per societatem.

[2] Semper prae oculis haberi debet, finem esse bonum aliquod honestum, ipsaque media ad eum consequendum *honesta* esse debere. Falso igitur quis ex fine ius deduceret in societate etiam mala patrandi. Sicut enim pro individuis, ita etiam pro societate, actus ex obiecto malus non potest recipere bonitatem ex fine. Unde S. Paulus «*Non faciamus mala ut veniant bona*», *Rom.* III, 8.



*societatis prae alia.* Nam semper ordo finium servari debet: quando, igitur, ex usu mediorum, conflictus oriatur cum alia societate, cuius finis praestantior seu maius bonum impediatur, tunc ius ad media pro fine inferiori cessaret, vel saltem coarctari deberet tantum, quantum bonum maius alterius societatis exigeret.

## Articulus II

### Divisio societatum

8. Societates dividi possunt:

I. *Ratione vinculi unientis,* in *iuridicam* et *amicalem;* iuridica autem potest esse *necessaria* vel *voluntaria.*

**Iuridica** *est ea societas quae constat membris erga eam obligatis iuridice, seu vinculo iuris.*

**Amicalis** *ea est quae membris constat in unum collectis ob finem quemdam honestum absque ulla obligatione iuridica.*

Nos agimus tantum de societate iuridica; hinc, ad rem nostram quod attinet, definitio societatis supra data (n. 6) ita potest compleri: «*Hominum unio ad eumdem finem, communibus mediis consequendum, iuris vinculo colligatorum*». [1]

*a*) Societas iuridica necessaria est ea quae lege iubente contracta est, ut per eam homines valeant finem quemdam necessarium consequi, idque vel naturae lege, vel Dei ordinatione. [2]

[1] Cavagnis, *Institutiones,* Romae, 1906, vol. I, p. 24.

[2] Hic dicimus necessariam sensu pleno et universali, quia sunt quaedam societates relative tantum necessariae seu obligatoriae, eae, videlicet, quae pro determinata hominum categoria praescriptae sunt, lege humana iubente: v. g. societates vulgo «securitatis» vel praevidentiae pro operariis, a societate civili praescriptae.



http://www.obrascatolicas.com

Societas necessaria, naturae lege praecepta, dicitur etiam *naturalis*, et duplicis generis est: *domestica* et *civilis*. Quae vero ex positiva Dei ordinatione necessaria est dicitur etiam *supernaturalis*, et ad hanc ineundam singuli homines tenentur, ita ut dicatur necessaria in individuo, id est pro omnibus et singulis hominibus.

*b*) Societas iuridica libera seu voluntaria, ea est quae ab hominibus initur libero ipsorum consensu vel pacto, quo etiam iuridicae obligationes sociales libere suscipiuntur.

II. *Ratione constitutionis*, in *aequalem* et *inaequalem*.

**Aequalis** est societas in qua membra pari iure praedita sunt in ordine ad eius regimen.[1]

**Inaequalis** vero dicitur societas in qua, vi ipsius constitutionis, non omnibus paria iura competunt, sed aliquibus praeesse, ceteris vero subesse competit.

Inaequalitas non semper sequitur e natura societatis necessariae; potest enim quaedam societas imponi lege, quin simul diversa participatio iurium ab eadem lege statuatur. Igitur si iure naturali necessitas oritur, videndum an finis socialis naturaliter praestitutus exigat, pro sui consecutione, diversam iurium participationem.[2] Si vero iure positivo seu voluntate praevalenti alicuius superioris imponitur societas, videndum est an ipse, lege sua, determinaverit etiam

[1] Nihil tamen prohibet quominus a sociis nonnulli deputentur exercendae auctoritati, aliisve muneribus nomine omnium obeundis. Aequalitas invenitur in societatibus voluntariis (non in omnibus tamen) in quibus auctoritas non exercetur nisi consensu omnium vel saltem maioris partis sociorum.

[2] Talis est *familia*, cuius finis, respectu prolis, exigit ut in ea sit patria potestas et materna auctoritas; bonum enim prolis, quae sustentari et educari debet, exigit ut eadem, saltem usque ad quandam aetatem, in familia maneat, et quidem subiecta parentibus.



constitutionem socialem, et per hoc, modum seu rationem participationis iurium inter socios.[1]

III. *Ratione specificationis proprii finis* seu ordinis in quo est bonum socialiter consequendum, dividitur societas *a*) in *religiosam* et *profanam;* et *b*) sub hoc adspectu comparatae inter se societates sunt *homogeneae* et *heterogeneae*.

*a*) **Religiosa** ea est quae bonum spirituale et supernaturale hominum prosequitur. Non sunt igitur societates religiosae illae uniones theosophicae vel spiriticae hodie passim erectae, non obstante nomine religioso quo forte iactantur. Sunt societates religiosae, sed illegitimae, sectae a catholicismo deciduae, itemque mahumetismus, induismus, aliaeque plurimae falsae religiones socialiter organizatae. At in iure publico ecclesiastico nonnisi de legitimis societatibus sermo est, de illegitimis vero tantummodo quatenus relationem habeant cum activitate legitime societatis.

Societas **profana**[2] est ea quae bonum quoddam temporale seu naturalis ordinis prosequitur. Tales sunt v. gr. societates scientificae, beneficentiae, industriales, etc.

*b*) Demum, societates quae finem eiusdem generis seu ordinis prosequuntur, inter se **homogeneae** sunt; quae vero

[1] *Ecclesia*, divini eius Conditoris dispositione, facta est societas inaequalis (cfr. can. 108, § 3). Solus Deus namque potuit in ea conferre media adaequata pro fine supernaturali: solius Dei igitur erat determinare an potestas circa eadem media aeque in omnibus fidelibus esset, vel tantum in subiecto auctoritatis distincto a multitudine.

[2] Profanum, in casu, non ita intelligendum est ut *excludat* religionem vel ab ea praescindat; id sane placet sectatoribus *laicismi* seu *atheismi socialis*, sed plane abhorret ab indole omnis societatis. Vita hominum, tum socialis tum individualis, moralitate et religione perfundi debet, etiam in operationibus circa materialia, quae magis aliena videntur a finibus religiosis: v. g. in operationibus circa divitias, ut docetur in oeconomia politica christiana. Et ratio est, quia omnia propter finem ultimum fieri vel appeti debent. S. Th. I, II, q. 1, a. 6. Unde Augustinus, *De civ. Dei*, XIX, 1: «Illud enim est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cetera, ipsum autem propter seipsum» (M. L., 41, col. 621).

http://www.obrascatolicas.com

finem diversi ordinis **heterogeneae,** seu specifice distinctae dicuntur. Ut patet, societates quae sunt partes societatis organicae, sunt homogeneae nedum cum eadem, sed etiam cum aliis societatibus minoribus quae in ambitu eiusdem societatis organicae continentur.

IV. *Ratione gradus,* seu secundum *praestantiam finium,* societates dividuntur *a*) in *pares* et *impares,* item *b*) in *supremas, subordinatas* et *coordinatas.*

*a*) **Pares** sunt societates quae, finem eiusdem ordinis seu praestantiae habentes, eundem consequuntur dignitatis gradum ac pari iure fruuntur; **impares** autem eae sunt quae, cum finem diversi ordinis vel praestantiae habeant, diverso dignitatis gradu potiuntur ac iuribus una alteri praestat.

Societates enim sunt ut fines, etiam respectu status iuridici quem ad invicem habent. Iamvero, fines seu bona ad quae per societatem tendimus, sunt alia aliis superiora, sive attenta diversa specie seu ordine in quo sunt,[1] sive quia, in eodem ordine, ita sunt inter se connexa, ut unum alteri inserviat vel ad alterum ordinetur tamquam pars seu medium. Hinc propter bonum diversi ordinis, societas naturalis et societas supernaturalis sunt inter se impares: et, in eodem ordine, duae societates religiosae possunt esse impares inter se propterea quod una sit pars seu membrum alterius.

*b*) Dantur vero duo bona in suo genere suprema: id est illa quae vel plenam vitae sufficientiam praestant in ordine

[1] Ad rem CAVAGNIS: « Bona materialia sunt omnibus inferiora; materialibus succedunt sensibilia, deinde intellectualia et ultimo veniunt moralia. Sunt enim ipsi ordines sic dispositi a natura ut inferiores suum scopum habeant in superioribus quibus inservire debent. Inter bona moralia vero, quae sunt naturalia praeferuntur bonis positivis, quia illa sunt necessaria ex natura sua, haec autem contingenter. Item in ipso ordine naturali, quae Deum respiciunt praeferuntur iis quae respiciunt societatem; haec rursus praeferunt individualibus ». *Institutiones,* vol. I, p. 32; cfr. S. TH., II, II, q. 26; cfr. supra, n. 7, p. 15 ss.



temporali, vel in perfectum statum homines constituunt in ordine spirituali et supernaturali. Societates autem quae talia bona completa et suprema tamquam finem habent, sunt ipsae **supremae.**

Ut patet, eaedem pares non sunt; cum enim prosequantur bona diversi ordinis, cumque bonum supernaturale praestet temporali, absolute loquendo una tantum societas spiritualis et supernaturalis, quae bonum istius ordinis completum prosequitur, suprema dici deberet. Tamen societas quoque alterius ordinis *suprema* dici potest, si id *sensu relativo* accipiatur, idest, dumtaxat respectu aliarum societatum minorum eiusdem ordinis.

**Coordinatae** dicuntur societates quae, pares cum sint, ad invicem sunt independentes, quamvis suum esse et operari armonice connexum habere debeant. Hae sunt societates quae v. gr. unius societatis organicae membra sunt (ita duae provinciae Status, duae communitates eiusdem familiae religiosae); vel quae ratione alicuius communis tendentiae (ut duo Status foedere defensivo et offensivo iuncti) colligantur ut una armonice cum alia procedat iuxta praefinitas leges in iis quae bonum commune consequendum respiciunt.

**Subordinatae** dicuntur societates quarum finis est vel pars relate ad finem alterius societatis, vel medium ad istum consequendum; hae dicuntur etiam *directe dependentes,* quia earum bonum directe inservit ad plenum et completum bonum societatis supremae eiusdem ordinis.

**9.** Sed datur etiam **indirecta dependentia** seu subordinatio quae existit inter societates diversi ordinis.

Inter has quidem nequit dari dependentia directa; ipsarum enim fines sunt diversae speciei, ideoque nequit dici quod unus sit pars seu medium ad *directe* consequendum alium finem; si hoc esset, bona omnia ad unum tan-

http://www.obrascatolicas.com

tum ordinem pertinerent et unica tantum suprema societas adesset: verum, quia in finibus est ordo, [1] sicut in agentibus, et quia saltem indirecte secundarium pendet a principali et ad eum inservit, ponenda est inter bona minora et maiora diversi ordinis dependentia indirecta.

*Indirecta dependentia* igitur habetur cum *finis unius societatis subordinatur fini alterius societatis non tamquam eius medium vel pars, sed solum tamquam bonum natura inferius respectu boni ordinis altioris.* Haec autem indirecta dependentia secumfert:

I. Quod societas inferior non possit, pro finis sui prosecutione, ita agere ut aliquod impedimentum exinde sequatur fini societatis alterius ordinis, et, in conflictu, cedere debeat: quia bonum praestantius praeferri debet bono inferiori. [2]

II. Quod societas subordinata obsecundare debeat prosecutioni finis praestantioris societatis, cui adesse debet in necessariis: quia id quod inferius est, oportet, sicut rectus rationis ordo postulat, ut sit utile et inserviat nobis, saltem indirecte, pro consecutione boni praestantioris, seu proximioris fini ultimo, ad quem omnia tandem directe vel indirecte ordinantur.

III. Quod societas indirecte subordinata, servatis his relationibus respectu alterius finis, in ceteris *quae suum finem respiciunt,* quatenus hunc tantum respiciunt, libere et in-

[1] Cfr. Cavagnis, *Institutiones,* vol. I, p. 31; S. Th., II, II, q. 62.

[2] « Cum finis inferior, ordine et entitate, opponitur superioris consecutioni, cum: hic sit magis necessarius ad finem ultimum, ille cessat esse moralis siquidem absolute appetimus tantum finem ultimum, et cetera appetendi officium est tantum quatenus cum eodem necessario connectuntur, sive natura sua, sive facto contingente; ius autem ea appetendi est tantum hypotheticum, idest dummodo non repugnent cum aliis necessariis; et si plura sint per se necessaria praeferenda sunt quae fini ultimo proximiora ». Cavagnis, op. cit., vol. I, p. 32.



dependenter agere possit. Cum igitur omnis ratio subordinationis, in casu, sit non iam propter bonum proprium, quasi sit incompletum et directe ordinatum, *ut pars vel medium* ad aliud bonum, sed propter aliud, seu solum ratione inferioritatis respectu alterius boni pleni et supremi in alio ordine, haec dependentia dicitur indirecta, seu non propter se sed propter aliud. [1]

*Ratione finis* dividitur etiam societas in *perfectam* et *imperfectam;* quae divisio est maximi momenti; hinc fusius sequenti articulo de ea agemus.

## Articulus III

### Notio societatis iuridice perfectae

**10. Societas iuridice perfecta** ea est *quae bonum in suo ordine completum tamquam finem habens, ac media omnia ad illud consequendum iure possidens, est in suo ordine sibi sufficiens et independens, idest plene autonoma.*

**Societas vero iuridice imperfecta** ea est *quae ratione finis incompleti, qui est pars vel medium ad alium finem, nec sibi sufficiens nec independens est.*

In definitione societatis perfectae primo enunciatur causa, seu intima ratio iuridicae perfectionis societatis (quod habet finem bonum completum cum mediis ad aliud consequendum necessariis); postea vero enunciantur duo characteres seu notae essentiales distinctivae societatis perfectae, idest duo effectus necessario consequentes ex causa iuridicae perfectionis (quod sit sibi sufficiens et independens).

Causa igitur seu intima ratio huius perfectionis est tota

[1] Wernz, *Ius Decretalium,* Prati, 1913, tom. I, tit. I, p. 19.

http://www.obrascatolicas.com

in fine societatis. Finis namque cuiuslibet societatis debet esse aliquod bonum; profecto si bonum istud sit undequaque completum, tale nempe quod valeat explere omne hominis desiderium, ita ut post illud, iam nihil supersit ulterius appetendum, dicitur et *est perfectum.* [1] Et quoniam per assecutionem illius boni quiescit hominis appetitus eo quod non habeatur ulterior terminus consequendus, patet ipsum non esse *partem* alterius boni plenioris, *neque medium* seu viam vel terminum intermedium ad bonum praestantius consequendum.

Respective igitur, societas habens talem finem non est talis quae tamquam pars integret societatem aliquam maiorem, vel sit ei subordinata tamquam medium pro consecutione finis eius praestantioris: sed est et ipsa, sicut bonum sui finis, in se completa et perfecta, *nulli alteri subordinata propter finem.* [2]

Sed insuper eadem societas talis est quae media ad sui conservationem propriique finis assecutionem in se habeat ita, ut *sibi sit sufficiens,* alioquin ea non ordinaretur ad consecutionem boni completi, sed tantum ad illa bona particularia ad quae media proportionata necessaria habet. [3]

Ubi igitur homines ita sunt socialiter collecti, ut viribus mediisque quibus socialiter pollent, consequantur *bonum completum,* hi vitam socialem plene autonomam a qualibet alia societate gerere possunt; iidem sunt collecti in societate perfecta, independente et sibi sufficiente.[1]

[1] *Perfectum,* apud philosophos, modum essendi optimum indicat; hinc res vel bonum aliquod, perfectum dicitur si nihil ei deest quod illud compleat et ulterius perficiat, seu in optimum statum constituat.

[2] Cavagnis, *Inst. iur. publ. eccl.,* Romae, 1906, lib. I, p. 33 ss.; Solieri, *Institutiones iuris ecclesiastici,* Romae, 1921, n. 104, p. 94.

[3] « Ius societatis enim proportionatur eius fini. Si igitur legitime existit societas ex natura sua habens, ut finem, bonum in suo genere completum, eadem ex rerum natura vel ex dispositione competentis auctoritatis, ex qua societas originem habet, praedita esse debet iure in suo ordine pleno circa omnia media ad finem suum proportionata. Idemque ius suum alteri iuri in eo genere subordinatum non erit; hinc societas evadit non solum sibi sufficiens sed etiam independens ». Cavagnis, loc. cit.



**11.** Haec autem speciali diligentia notentur:

I. Completum et perfectum bonum, *absolute* loquendo, illud est quod, attenta hominis natura atque eiusdem elevatione ad ordinem supernaturalem, eius tendentiam explet, eum constituendo in perfectum statum sub respectu tum naturali tum supernaturali. Itaque societas perfecta in sensu absoluto ea deberet esse quae finem habet hominis felicitatem in ordine *tum naturali* tum etiam, simul, *supernaturali.* Quoniam vero in praesenti oeconomia talis societas non datur, sed « Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam » [2] patet societatem *absolute* perfectam non dari.

II. *Dantur autem duae societates specie distinctae in suo ordine perfectae.* Nam bonum completum seu perfectum intelligi potest etiam in suo ordine; igitur si ordinem naturalem tantum respicimus, societas quae finem habet hominibus suppeditare vitae sufficientiam perfectam seu « necessarium vitae cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem » [3] perfecta in eodem ordine evadit; et in iis rebus quae ad hoc bonum completum naturale seu ad finem naturalem perfectum pertinent, sibi sufficiens et inde-

[1] Unde etiam haec brevis definitio societatis perfectae: « Societas completa ratione finis, ideoque sibi sufficiens et independens » vel, ut quidam brevissime loquuntur, « Societas sibi sufficiens et independens ».

[2] Leonis XIII, Enc. *Immortale Dei,* § 24, Itaque Deus (*Acta Leonis XIII,* vol. V, p. 127).

[3] Leonis XIII, Enc. *Immortale Dei,* § 5, Non est magni negotii (l. c., p. 120).

http://www.obrascatolicas.com

pendens omnino est. In iis vero quae ad finem spectant boni supremi seu completi in ordine spirituali, alia societas dabitur sibi sufficiens et independens, illa nempe quae propositam habet, tamquam finem, salutem animarum sempiternam.

III. Societates perfectae, quae dantur, sunt **supremae, singulae in proprio ordine.** Earum finis enim non est pars vel medium ad directe consequendum alium finem. Verum quoniam societas undequaque perfecta non datur (v. supra n. I), patet societates perfectas dici supremas *in suo ordine*. Sed illa quae bonum consequitur genere et ordine praestantius, suprema dici potest etiam respectu aliarum societatum specie a se distinctarum.

Suprematia autem qua gaudet quaelibet societas perfecta in suo ordine, talis est cui bene competat nomen hodie passim receptum ita dictae « **sovranità** » (*souveraineté, souveränität, sovereignty*) seu illius principatus imperiive quod exercetur cum iuribus maiestaticis, id est cum plenitudine et autonomia potestatis. [1] Superioritas haec interne, seu relate ad subditos, exercetur imperio, externe vero, seu relate ad alias societates, manifestatur per autonomiam et per modum tractandi sicut par se habet ad parem.

IV. Magni momenti autem est prae oculis habere et tamquam certissimum statuere cum hac suprematia (sovranità) societatis perfectae non repugnare dependentiam *indirectam* respectu societatis *absolute supremae* (nn. 8, 9).

---

[1] « " Sovranità " nel vero senso della parola significa autarchia ed esclusiva competenza in rapporto alle cose e allo spazio, secondo la sostanza e la forma dell'attività, sebbene entro l'ambito del diritto internazionale, non però nella dipendenza verso l'ordinamento giuridico proprio di qualsiasi altro Stato ». Pii XII, Alloc. *Ci riesce*, d. 6 dec. 1953 (*A. A. S.*, vol. XX, p. 796).



Eo ipso enim quod societas quaedam perfecta est et dicitur suprema solummodo sensu relativo, seu in suo genere, in uno tantum ordine, patet ipsam posse eodem tempore esse inferiorem respectu alterius societatis supremae in ordine praestantiori, ab eaque pendere propter bonum superius quod haec curat, seu *dependere quoad omnia quae referuntur non iam ad proprium bonum et ad suum ordinem, sed ad illum ordinem superiorem in quo est altera societas.* [1]

Igitur huiusmodi indirecta dependentia non laedit societatis perfectionem iuridicam et suprematiam, quia haec exercetur et viget in iis quae pertinent ad proprium finem, in proprio ordine, non autem in iis quae ad ordinem superiorem spectant.

V. Ad hoc ut societas perfecta habeatur tamquam sibi

---

[1] Obligatur quandoque societas perfecta erga parem societatem titulo aliquo iuridico orto ex pacto vel ex iusto bello; et tamen per hoc non destruitur eius suprematia. Eo vel magis igitur obligari potest, salva suprematia in suo ordine, erga societatem superioris gradus ex titulo praevalentiae finis ordinis superioris; sed dum in primo casu conceptus obligationis non secumfert ullum conceptum dependentiae, quae non potest dari inter pares, in secundo casu, e converso, secumfert conceptum dependentiae (indirectae) quia est obligatio erga superiorem ratione suae superioritatis (utique respectu alterius ordinis).

Hodie etiam civilistae agunt de conceptu suprematiae sensu relativo acceptae, quem conceptum in ordine internationali applicant. Cfr. Le Fur, *Etat fédéral et confédération d'Etats*, Paris, p. 443.

Idque verificatur ob tendentiam ad Status foederatos. Singulae, enim, respublicae aliquid de suo iure remittunt, ut corpori cuidam superiori in nonnullis determinatis materiis deferant exercitium iuris sovranitatis, nomine omnium Statuum foederatorum exercendae. « Sono comunità, nelle quali Stati sovrani, vale a dire non subordinati a nessun altro Stato, si uniscono in una comunità giuridica per il conseguimento di determinati scopi giuridici... In questa Comunità dei popoli ogni Stato è dunque inserito nell'ordinamento del diritto internazionale, e con ciò nell'ordine del diritto naturale, che sostiene e corona il tutto. In tal guisa esso non è più — nè è stato, del resto mai " sovrano " nel senso di una totale assenza di limiti ». Pii XII, Alloc. *Ci riesce*, 6 dec. 1953 (*A. A. S.*, vol. XX. pp. 795-96).

http://www.obrascatolicas.com

sufficiens et independens, non est opus ipsam possidere *actu* omnia media sibi necessaria. Oportet enim ut non modus respiciatur quo media possidentur, sed ius ex quo eidem societati indefectibiliter praesto esse debent; potest enim societas vel omnia possidere actu, vel quaedam actu, et alia *virtualiter habere,* quatenus sit in ea ius exigendi, et in aliquo subiecto sit correlativum officium praestandi. Hoc quidem contingere potest tum inter societates impares, tum inter societates pares: inter primas ius exigendi potest fundari vel in pacto, vel in ipsa praevalentia finis propter quem auctoritative superior societas exigit quae sunt sibi necessaria et praesto sunt apud inferiorem; inter societates vero pares, ius exigendi potest fundari solum in pacto, quia per se neutra alteri praevalet. Pacto v. gr. inter se ligantur Status circa quorumdam officiorum commutationem, ut si unus susceperit onus aliam Nationem non armatam defendendi cum suo exercitu, dum ab ea vicissim praestatur v. gr. aurum e suis fodinis.

VI. Ex hucusque dictis iam satis declarata videtur *notio societatis imperfectae*. Omnis namque societas quae finem habeat bonum aliquod incompletum, est ab alia dependens et sibi non sufficiens. [1] Et quoniam duae solum dantur specie distinctae societates perfectae, Ecclesia et Status, sequitur omnes alias societates quae existunt in mundo necessario referri et subordinari vel Ecclesiae vel Statui prout bonum temporale vel spirituale prosequuntur.

VII. Cum bonum summum seu completum tum spiri-

[1] Nam eo ipso quod bonum est incompletum est pars vel medium ad bonum completum sui generis, et ad illud, tamquam pars vel medium, ordinatur cum dependentia. Id autem quod est ordinatum ad aliud et dependet ab eo, sibi non est sufficiens.

Iamvero societates sunt ut fines ideoque societas quae bonum incompletum prosequitur, est dependens et sibi non sufficiens.



tuale tum temporale ab hominis voluntate non dependeat, patet omnem *societatem voluntariam esse imperfectam*. Ad rem merito notat cl. Solieri: « Ex his consequitur, societatem perfectam iuridice necessariam esse, non vero e converso. Duae enim societates perfectae quae dantur, civitas nempe et Ecclesia, societates sunt necessariae. Homo enim, naturali iure praevalente bonum temporale in civitate, iure vero praevalente divino bonum spirituale in Ecclesia sibi curare tenetur. At plures necessariae societates dari possunt, cum et ius praevalens humanum nonnullos homines ad societatem ineundam cogere possit. Non quaelibet igitur necessaria societas est perfecta ». [1]

**12.** *Societas perfecta est* **persona moralis** *iure suo, seu habet personalitatem independenter a legislatoris humani dispositione.*

*Praenotio.* – Persona moralis est ens iuridicum, consideratum ut in se subsistens, cui videlicet competat suum esse et operari tamquam legitimum iuris subiectum. [2]

Profecto esse subiectum iuris, in se subsistens, solis personis *physicis* per se immediate competeret. Ast, quoniam possunt quaedam iura directe respicere *bonum communitatis* alicuius, dum ad singulorum individuorum commodum solum indirecte et per consequens spectant, communitas ipsa potest, fictione quadam, per analogiam cum personis physicis, considerari ut subiectum eorundem iurium: [3] ad hoc autem eidem communitati attribuuntur tum modus ficticius iuridicae existentiae, tum facultas operandi circa eadem iura, sicut competit veris individuis hominibus quibus ipsa communitas constat (per-

[1] *Inst. iuris eccl.*, Romae, 1921, n. 102, p 94.

[2] Maroto, *Institutiones iuris canonici*, ed. III, Romae, 1921, vol. I, n. 458, p. 536.

[3] Nec tamen putandum in mera *fictione* fieri, ut voluit Savigny; nam aliquid reale subest. Cfr. ad rem Del Vecchio, *Lezioni di Filosofia del diritto*, Roma, 1936, p. 268 ss.

http://www.obrascatolicas.com

sona moralis *collegialis*, vel *collegium* simpliciter dicta, vel *corpus*, *universitas*, *societas*, *corporatio*). Imo, usque adeo pertingere potest fictio iuris, ut etiam deficiente personarum communitate, subiectus iuris habeatur quoddam ens seu institutum iuridicum constans rebus, pecunia, aedificiis, etc. in bonum personarum destinatis; eidemque instituto esse et operari iuridice tribuitur sicut ceteris personis (*persona moralis non collegialis*, vel *ens morale*, *causae piae*). [1]

1° Profecto, persona moralis talis constituitur vel per actum competentis auctoritatis publicae, vel, independenter ab actu positivo auctoritatis, talis existit vi suae originis, seu nativae constitutionis. Primum generatim verificatur de societatibus imperfectis, alterum vero de societate perfecta.

Re quidem vera tum in Ecclesia tum in societate civili, nonnisi per actum publicae auctoritatis (sive formalem sive implicitum vel aequivalentem) personalitas iuridica in corporibus moralibus vel entibus dependentibus constituitur, aut agnoscitur. [2]

At, dum in Ecclesia *necessario* et *natura sua* corpora vel entia moralia personalitatem iuridicam per actum dumtaxat competentia auctoritatis habere possunt, [3] idem non est pro entibus iuridicis in ambitu Status, in quo iam ipso iure privatorum dari

[1] Cavagnis, *Institutiones*, vol. 3, p. 199. In iure romano antequam influxus religionis christianae illud pervaderet, haec species personae moralis non agnoscebatur.

[2] Quoad personas morales in Ecclesia v. cc. 99 et 100; quoad personas morales iure civili conferantur tractatus de iure civili comparato.

[3] « Quia personalitates in Ecclesia, cum sint ei homogeneae, sunt supernaturales. Iamvero ad id quod est supernaturale, homo non habet proportionem per se, sed eam accipit a Deo, facto positivo, sive immediate sive mediate. Duas autem constituit Deus personas supernaturales, personam moralem supernaturalem perfectam seu Ecclesiam, et personas physicas imperfectas; in baptismate enim constituit seu elevat personas physicas tantum, quae personae physicae limitantur ad eam potestatem quae refertur ad bonum spirituale singulorum sub Ecclesiae regimine. Boni autem publici religiosi omnis cura data est ipsi Ecclesiae. Hinc persona moralis in Ecclesia distincta ab individuis, tantum ex facto Ecclesiae derivare potest ». Cavagnis, l. c., vol. 3, p. 198. Cfr. etiam quae infra explicabimus, nn. 111, ss.



possent personae morales, dependentes quidem a Statu sed non ab eo participantes personalitatem. Privatis enim iure naturali competit posse coniungi propter finem quendam honestum, ita ut iura singulorum conferantur vel applicentur in favorem sociorum perseverantium in communitate. Hinc non semper nec aeque apud omnes Status requisita fuit « ut existeret persona iuridica » positiva collatio ex parte auctoritatis publicae; immo quandoque nec simplex recognitio habita est. [1]

2° Iamvero societas iuridice perfecta ex ipso suo iure constitutivo habet personalitatem, seu vel ex iure divino vel ex iure naturali, ideoque independenter ab actu positivo cuiuslibet humanae auctoritatis. Nam suprema est, ideoque non habet supra se potestatem humanam a qua participet personalitatem iuridicam; [2] sed eo ipso quod iure naturali vel divino ordinatur ut existat et operetur cum necessariis iuribus et facultatibus ad procurandum bonum completum sui

[1] Ius romanum et ius commune in medioaevo personalitatem iuridicam collegiorum seu corporum moralium agnoscebant non tamquam concessam a Statu; quod si aliquis interventus auctoritatis publicae habebatur id non spectabat ad constituendam personam iuridicam, sed tantum ad publicam agnitionem tribuendam; quod ob rationes politicas opportune fiebat. Autorizatio a Statu concessa non aequivalebat collationi personalitatis vel erectioni in ens morale. « Quando si parla di permissione, con ciò si allude agli scopi in generale (*causae*), che sono positivamente determinati dalle leggi ». Bonfante, *Istituzioni di dir. rom.*, Milano, 1918, p. 60; cfr. etiam Ferrini, *Pandette*, n. 73, p. 98 sq.: « Anche un *collegium illicitum*, finchè non sia ravvisato tale, e quindi disciolto, ha una giuridica esistenza. L'avere proprietà, diritti, ecc. è una conseguenza diretta, *proprium* est, dell'essere un *collegium*. La questione politica è se un dato *collegium* debba esistere ».

[2] Imo ipsa est prima et *fundamentalis* persona iuridica: « esso (idest *Status*, et idem dic de *Ecclesia*) non ha bisogno di riconoscimento: riconosce se stesso in quanto esiste, a differenza di ogni altra persona giuridica. Suo elemento essenziale è l'autonomia; uno Stato dipendente da altri non sarebbe più Stato (verrebbe meno in esso la Sovranità, la *suprema potestas*). Dacchè esso si afferma come Stato, è persona giuridica; questa qualità è implicita nella sua natura ». Del Vecchio, l. c. p. 273.

http://www.obrascatolicas.com

ordinis, evadit eodem iure naturali vel divino subiectum talium iurium. [1]

3° Haec *personalitas societatis iuridice perfectae* respondet conceptui personalitatis in iure internationali, quae agnoscitur omnibus societatibus existentibus iure proprio et independenti. Propter hoc non solum societati civili sed etiam Ecclesiae competit, originarie, personalitas, quia etiam Ecclesiae, sicut cuilibet Statui, competit existere independenter et iure suo, in divina dispositione fundato.

# TITULUS II

## DE POTESTATE SOCIETATIS PERFECTAE

### CAPUT I

### NATURA ET LIMITES POTESTATIS SOCIALIS

#### ARTICULUS I

#### Notio auctoritatis

**13. Definitur auctoritas:** *Ius obligandi socios in ordine ad consecutionem finis.* [2]

Ius istud sub duplici adspectu potest considerari:

I. *In se spectatum* prout est principium ordinativum et

[1] Igitur quando alicui personae plene constitutae in esse societatis *iuridice perfectae*, tribuitur ab aliis personis iuris internationalis « recognitio » (riconoscimento), id non significat autorizationem et collationem iuris existendi et se habendi tamquam personam iuris internationalis, sed significat tantum voluntatem tractandi cum illo ente cui agnoscitur personalitas iam acquisita, tamquam cum subiecto iuris internationalis, cum omnibus consectariis quae inde oriuntur circa modum fovendi relationes cum eodem. Recognitio non est *necessaria* pro existentia et iuribus personalitatis in societate perfecta; est tamen *utilis* pro efficaci et actuali explicatione talium iurium in consortio cum ceteris personis iuris internationalis. DI MEGLIO, *Diritto internazionale e Diritto naturale*, Roma, 1933, p. 18.

[2] CAVAGNIS, *Institutiones*, Romae, 1906, vol. I, n. 80, p. 47. Auctoritas



directivum, efficaciter obligans, necessarium omnis societatis unioni et conspirationi in finem.

II. *Ut in subiecto*, seu prout denotat facultatem obligandi, quae in aliquo residere debet, sicut quodvis ius, tamquam in subiecto. [1]

**14. De origine auctoritatis socialis** tum *in se spectatae*, tum *in subiecto*, sermo specialis est habendus ubi de duabus societatibus perfectis specie distinctis: h. e. singillatim de Ecclesia et Statu. Nunc vero ponimus principia generalia.

I. Profecto si quaerimus unde sit ius imperii in societate, seu quaenam *origo auctoritatis in se spectatae*, ponimus quaestionem connexam cum origine iuridica societatis: cum enim auctoritas sit omnino necessaria (p. 12) ut societas quaelibet salva consistere possit, et operari valeat in finem suum, sequitur quod causa iuridica societatis sit etiam causa iuridica auctoritatis, scilicet quo iure condita est societas eodem iure constituta est necessaria et proportionata auctoritas:

« *Inde fluit imperandi ius seu auctoritas, unde orta est societas* ».

1. Videndum est igitur an libero hominum pacto orta sit societas an videlicet *voluntaria* sit: tum enim libera sociorum vo-

igitur est quaedam species iuris: i. e. notio generica iuris convenit auctoritati sicut uni ex varis speciebus iuris. Dum igitur omnis auctoritas est ius, non omne ius dici potest auctoritas.

[1] Eleganter S. IOANNES CHRYSOSTOMUS (Hom. XXIII *in ep. ad Rom.* c. XIII) disserens de potestatis origine, distinctionem hanc illustrat: « *Non est potestas*, inquit, *nisi a Deo*. Quid dicis? Omnisne Princeps a Deo ordinatus est? Non hoc dico, inquit: neque enim de singulis *principibus* mihi nunc sermo est, sed *de re ipsa*. Nam quod principatus sint et quod alii imperent, alii subiecti sint, neque omnia temere ferantur, populis quasi fluctibus hinc et inde circumactis, divinae esse sapientiae dico. Ideo non dicit: « Non enim est Princeps nisi a Deo » sed de re ipsa loquitur dicens: « *Non est enim potestas nisi a Deo;* quae vero sunt potestates a Deo ordinatae sunt » (M. G., 60, col. 615).



http://www.obrascatolicas.com

luntas, quae causa est societatis, fons habetur immediatus auctoritatis in ea, [1] licet radicitus a lege aeterna Dei dimanet ex qua omnis potestas derivatur, sicut quodcumque aliud ius.

2. Si vero societas necessaria est, auctoritas emanat a iure praevalente quo societas ipsa hominibus praescripta est, igitur videndum est quodnam sit ius praevalens unde necessaria societas orta est. Potest enim esse vel ius naturae vel positiva lex imperantis, lex videlicet tum divina tum humana: hinc respective repetenda erit auctoritatis socialis origo vel a iure naturali vel a iure divino vel a iure praevalentis auctoritatis humanae. [2]

II. Potest autem quaeri quo iure *subiectum potestatis* constitutum sit, seu quaenam causa ex qua procedit esse hoc vel illud subiectum auctoritatis. Loquimur quidem de subiecto *immediato,* quod habet in se auctoritatem socialem originarie et non iam per participationem ab alia persona, physica vel morali, eiusdem societatis. Si enim auctoritas alicui competit quia ab aliis membris est ei delata, is erit subiectum mediatum auctoritatis.

Iamvero, *in societate plene libera* subiectum immediatum auctoritatis sunt ipsi socii: ex eorum voluntate enim emanat potestas; practice tamen habetur subiectum mediatum designatum per electionem vel per acceptationem. Origo igitur potestatis in subiecto etiam mediato, in societate libera, est voluntas membrorum ex qua procedunt iura regendae societati necessaria.

In *societate* autem *necessaria* « videndum est an causa iuridica eiusdem determinaverit quoque subiectum potestatis vel non. Si primum, tunc origo potestatis in subiecto est eadem ac origo iuridica societatis ipsius. Id factum est in Ecclesia, cum Christus Dominus ipse formam regiminis ecclesiastici determinaverit... Si autem lex, quae causa iuridica societatis est, potestatem quidem socialem constituerit, sed subiectum eiusdem non determinaverit, tunc factis humanis determinatur ». [1] Id factum est in civili societate; iure enim naturae homines socialiter vivere debent, at iure naturae nihil est determinatum de subiecto, saltem mediato, auctoritatis socialis, seu de forma et subiecto regiminis: in casu quaestio de origine auctoritatis, ut in subiecto, est quaestio historica. Sed de his fusius ubi de variis regiminum formis in societate civili (infra n. 157 sq.).

[1] Nisi tamen plus iuris sit in imperante quam quod a sociis conferri possit: tunc enim auctoritas advenit societati ab extra; immo quandoque imperium quod est in hac societate non est nisi quaedam participatio auctoritatis societatis praestantioris necessariae. V. gr. auctoritas quae est in Superiore Ordinis religiosi communicatur ipsi a Romano Pontifice; item in societate familiari, quam libere homines ineunt matrimonio, habentur iura (v. g. patriae potestastis) quae legibus naturae innituntur; in his libera voluntas vel pactum hominum est praesuppositum quo iura illa effectum suum in individuis sortiantur, non autem est causa vel proprie origo eorundem iurium. Cfr. TAPARELLI, *Saggio di diritto naturale,* vol. I, nn. 621, 622.

[2] Quae tamen, radicitus non est nisi auctoritas fundata in iure naturali vel divino positivo.



[1] CAVAGNIS, loc. cit., p. 50 ss.

## ARTICULUS II

### Quantitas potestatis in societate perfecta

**15. Principium.** – *Societas perfecta ius habet exigendi ea quae necessaria vel utilia sunt ad finem; eaque tantum; et quidem finium ordine servato.*

Praenotanda: societas perfecta est necessaria (n. 11, VII); et fini eius comparando commensuratur quantitas potestatis in ea (n. 7, II); itaque in societate perfecta, sicut in omni societate necessaria, ius sociale praevalet iuri sociorum.

I. Declaratur **I pars:**

1° Homines ad hoc in societate uniuntur ut bonum ple-

http://www.obrascatolicas.com

num ad quod ordinantur possint in ea adipisci. Sed qui obligatur ad finem, obligatur ad media; nequit enim rerum natura vel superior imponere id quod est impossibile, scilicet finem sine mediis. Itaque socii obligati sunt ad finem in societate consequendum utique *conferendo media* quae ab ipsis possidentur, seu conferendo in societate vires suas, ut efficax conspiratio in finem socialem esse possit. Sed si inest in sociis officium conferendi in societate media ad finem consequendum, adest in hac correlativum ius eadem exigendi. [1]

2° Diximus autem societatem exigere posse non tantum necessaria, sed *etiam utilia,* ad finem. Ratio est quia rectus ordo postulat ut, qui tenetur ad aliquid consequendum, illud plene integreque, pro viribus, assequi debeat, scilicet meliori modo quo possit: igitur ponere debet non solum quae necessaria sunt ad consequendum bonum, sed et quae utilia ad bene consequendum illud.

3° *Plena* autem integraque consecutio intelligenda est relative ad vires sociales, quae sunt humanae, ideoque defectibiles. Unde ad rem AA. solent adducere exemplum ex verbis Christi: « *Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est* ». [2] Quae, si sensu absoluto et rigo-

[1] Cavagnis, *Institutiones,* Romae, 1906, vol. I, proleg., n. 8, p. 4; « Iuri respondet *officium* seu *obligatio,* quae est *necessitas moralis aliquid faciendi, omittendi aut praestandi.* Etenim lex quae alicui concedit facultatem aliquid agendi aut exigendi, ne sibi contradicat, necesse est imponat ceteris moralem necessitatem sese non opponendi huic facultati et praestandi quod ob eam exigitur ».

[2] Matth., V, 48; cfr. S. Th., II, II, q. 26, a. 6, c. Namque, finis in casu, quaeritur in infinitum, non autem ea quae sunt ad finem: dilectio Dei et proximi, in qua est perfectio nostra, cadit sub praecepto non secundum aliquam limitationem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (*Deut.,* VI, 5). Hinc S. Augustinus, lib. *De perfectione iustitiae,* c. VIII; « cur ergo non praeciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? » (M. L., 44, col. 301).



roso accipiantur, indicarent conatum ad id quod est viribus humanis impossibile; consecutio enim perfectionis simpliciter est impossibilis; igitur in eam semper tendere debemus, ut ad typum nobis propositum, quamvis relativam tantum perfectionem consequamur, proportionatam videlicet ad vires nostras et ad gratiam nobis impertitam. Debet igitur semper respectus haberi tum ad obiecti assequendi circumstantias, tum ad vires quae praesto sunt; et quidem considerandi sunt homines non solum quales esse deberent, sed et quales sunt.

**16.** Ex dictis haec sequuntur:

1. **Coactione** uti potest societas iuridica perfecta ad *invitos et reluctantes adigendos* ut iussis obtemperent. Nam socii etiam inviti obligari possunt, utique in iis quae ad finem pertinent; in societate enim necessaria, utpote perfecta, ei obstringuntur necessitate finis per eam consequendi; hoc enim posito, sequitur non esse in potestate sociorum se subducere imperio societatis, sicut non licet ipsis se a societate expedire.

2. **Actus heroici** seu « qui ratione habita circumstantiarum admirationem pariunt, arduitatem includunt, promptitudinem exigunt » [1] *non possunt exigi a tota communitate.* Perfectio enim in assecutione finis est relativa, ut supra ostensum est, iuxta limites videlicet virium socialium. « Quoniam autem — notat Cavagnis — vires sociales resultant ex eo quod communiter possibile est, potest esse individuis aliquibus possibile, quod non est communitati; hinc individui possunt attingere perfectionem plenius ac communitas; proinde ipsis et praecepta dari possunt quae nequeunt societati. Hinc actus heroici individuis praecipi possunt, sed non societati ». [2]

3. **Selectio mediorum** inter plura quae utilia et idonea fini esse possunt, *ad auctoritatem socialem spectat.* Et hoc quia necessarium est inter plura aeque utilia, quorum tamen unum tan-

[1] Benedictus XIV, *De Canoniz. Sanct.,* l. 3, c. 21.

[2] *Institutiones,* vol. I, n. 72, p. 45.

http://www.obrascatolicas.com

tum vel alterum pro fine sufficiat, ab omnibus idem eligi; hoc autem obtinetur si selectio fiat ab auctoritate, non si ad libitum multitudinis relinquatur. Secus enim non haberetur necessaria illa mediorum coordinatio et activitatis sociorum conspiratio, qua deficiente, alter alterum impediret vel saltem inefficaciter ad finem consequendum quisque per se adlaboraret; equidem, attenta hominum natura et condicione post lapsum, moraliter impossibile est eos, ubi omnino libere a singulis iudicandum sit et seligendum, convenire in unanimem et constantem consensum. [1]

4. **Iudicare et decernere** in dubiis, de vera necessitate mediorum, tum respectu qualitatis tum respectu quantitatis eorumdem, munus est auctoritatis socialis dumtaxat.

Si enim solius auctoritatis socialis est media praescribere, eiusdem quoque erit praevium iudicium ferre de eorumdem aptitudine, vel de eorumdem selectione inter plura idonea. Ceterum eadem, hac in re, animadvertenda sunt quae exponuntur praecedenti num. 3. Quod si auctoritas socialis manifeste et evidenter erret, [2] tunc casus erit qui examinatur in 2ª parte principii supra enunciati, ut mox explicabitur.

**17. II. Declaratur II pars.** In hac parte edicitur *societatem exigere posse tantum ea quae necessaria vel utilia*

[1] « Exemplum evidens suppeditatur a militia; possunt enim esse plures modi aciem instruendi et dimicandi sed si cuique militum libera tribuetur facultas, praelium certissime infelicem exitum haberet, nisi aliquando per accidens ». CAVAGNIS, loc. cit., vol. I, n. 73, p. 45.

[2] Oportet igitur, ad hoc ut socii existimentur soluti a quacumque obligatione: 1° iudicium societatis esse vere planeque erroneum; v. g. si medium propositum habeat oppositionem cum fine, ita ut noxium sit; 2° de hoc errore constare manifeste. Et hoc praesertim quando agitur de mediis quae videantur esse prorsus inutilia seu nullum nexum ea habere cum assecutione finis. Nam prae oculis haberi debet plura esse connexa cum fine non iam *directe* et *immediate*, sed *mediate* tantum: ideoque ad plura extendi auctoritatem socialem quam ad ea quae oculis vulgi immediate apparent. Iamvero ea, quae indirecte connexa sunt cum fine, non minus necessaria esse possunt quam cetera; immo quia eorundem necessitas communior est, eo frequentius, circa eadem iura imperii versantur.



*sunt ad finem;* idest, eam non posse exigere a sociis quae nullo sub respectu ad finis consecutionem conducunt.

Nam qui praesunt ceteris hac una de causa praesunt ut societatis utilitatem tueantur. Nimirum auctoritas, ius imperandi exigendique in societate, eatenus legitime exercetur quatenus pro reali consecutione boni socialis adhibetur; in ceteris vero quae ad finem nullimode pertinent, deficit omne potestatis fundamentum. Ceterum non concipitur ius imperandi ex parte auctoritatis, ubi non existit correlativum officium parendi in sociis: in his autem omnis ratio et fons obligationum pendet a fine, ideoque quae sunt praeter finem nec obligationem pariunt in eisdem nec ius exigendi in auctoritate sociali.

Hinc procedit quod omnis lex, quae ordinatur ad communem hominum salutem, in tantum obtinet vim et rationem legis in quantum ad bonum commune conducit; [1] secundum vero quod ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet.

Notandum cum Cavagnis [2] socios posse etiam in his casibus teneri, si duo simul verificentur: 1° rem praeceptam quamvis inutilem, esse tamen *licitam;* 2° extare aliquam *aliam rationem id exigentem,* ex. gr. ad turbas et scandala vitanda. In casu, animadvertit Conte a Coronata [3] res vel medium praescriptum cessat esse inutile et fit per accidens utile, idest ad vitandum damnum scandali, dissensionis, etc. Haec obligatio est per accidens, idest non exurgens ex ipsa rei natura, sed ex aliqua accidentali circumstantia. Namque, obligatio in hac hypo-

[1] « Unde oportet cum lex maxime dicatur secundum ordinem ad bonum commune, quod quodcumque aliud praeceptum de particulari opere non habeat rationem legis, nisi secundum ordinem ad bonum commune », S. TH., I, II, q. 90, ad 2 c. Cfr. etiam I, II, q. 95, a. 3 et 4 c.; q. 96, a. 6.

[2] *Institutiones,* Romae, 1906, vol. I, n. 75, p. 44.

[3] *Ius publ. eccl.,* Romae, 1934, n. 21, b, p. 25.

http://www.obrascatolicas.com

thesi, oritur non vi legis a superiore latae, sed ex lege naturali, quae iubet vitari scandala et offensiones, vel discidia, earum occasione. [1]

18. III. Declaratur **III pars.** *Servare finium ordinem* significat, hac in re, usum potestatis, circa ea quae ad finem proprium pertinent, posse limitari ex relatione quam habent eadem media ad finem superioris ordinis; etenim dari quaedam possunt quae necessaria vel utilia quidem societati sunt, sed ad ordinem superiorem pertinent. Ita, certe constat res religiosas maxime bono societatis civilis conducere, sed eaedem res, natura sua, ad ordinem superiorem spectant. Age vero, in iis casibus, *de rebus ad ordinem superiorem spectantibus societas inferior per se nihil decernere potest:* tamen, quando a competenti superiore sint determinata et iuxta modum secundum quem ordinata sunt, possunt urgeri et exigi a subditis etiam in inferiori societate.

Namque, *ius* est facultas ad aliquid quod ad rationis normam competit; de rationis autem norma est ut, in agendo, *ordo semper servetur*. Iamvero non servaretur rectus ordo si inferior de iis quae ad ordinem superiorem pertinent ageret a semetipso; nulli enim licet curam suscipere eorum quae alteri, et quidem superiori, commissa sunt, eo vel magis quod periculum est ne conflictus oriatur, et ei, qui competenti potitur potestate, contradicatur.

Diximus autem posse etiam inferiorem societatem urgere et exigere a suis subditis quae ad ordinem superiorem pertinent, cum haec disposita iam sint et eo modo quo disposita sint, a competenti superiore, si id utile vel necessarium sit ad consecutionem proprii finis. Ratio autem est evidens: id enim non est perturbare ordinem, sed adiuvare superiorem societatem et, simul sibi consulere;

[1] S. Th., I, II, q. 96, a. 4 c.



dummodo tamen *modus* et *limites* a superiori auctoritate permissi non excedantur.

Inferior enim « cavere debet ne dum urget media ordinis superioris pro consecutione sui finis inferioris, noceat ipsi superiori fini, media urgendo eo modo qui fini superiori non convenit, iudicio competentis auctoritatis; hinc diximus, *per se* loquendo, iure pollere ea urgendi, cum per accidens eo carere possit ». [1]

Difficultas oriri posset cum, ob *incuriam,* vel *impotentiam* temporaneam societatis superioris, vel etiam ob opportunas rationes quae huic suadeant dilationem, nihil a competenti potestate superiori disponatur de his mediis, dum e converso, in inferiori societate urgeat necessitas. Quidam tunc arguunt: qui ius habet ad finem, ius habet ad media omnia necessaria; ergo saltem in hoc casu auctoritas socialis potest disponere de mediis superioribus pertinentibus etiam ad finem suum. [2] Sed difficultas solvitur, secundum principium iam datum quod ius ad finem

[1] Cavagnis, *Institutiones,* op. cit. vol. I, n. 78, p. 46; Conte a Coronata, *Ius publ. eccl.,* Romae, 1934, pag. 26. Possunt, enim, si id expetat bonum superius, et in hoc iure poni limitationes, vel respectu materiae vel respectu temporis, vel respectu personarum. Hinc, exempli gratia, respectu personarum limitatur ius Status puniendi reos violatae legis tum civilis, tum ecclesiasticae, quando agitur de *clericis* (can. 123); cfr. Cavagnis, op. cit., n. 434, p. 285.

[2] Exemplum historicum habetur ex controversiis de fide: ortum est non raro dissidium circa fidem; partes vero contrariae ita excitatae sunt ut factionibus res publica perturbaretur. En ex una parte habetur necessitas ut pax externa restauretur sive definiendo controversias, sive imponendo silentium circa obiectum de quo disputatur, ex altera vero parte habetur rem esse ordinis superioris: non solum enim Status nequit definire veram fidei doctrinam, sed nec de controversiis doctrinalibus imponere silentium: etenim id secumferret interdictionem praedicationis verae doctrinae fidei. Tamen principes saepe intervenire sibi ius esse putarunt, ratione boni externi, dum Ecclesia cui unice competebat, ut in rebus suis, rem dirimere vel silentium imponere utrique parti, id opportunum aliquando non putavit. De Luca, *Inst. iur. eccl. publ.,* vol. I, n. 13, p. 29. Hinc Zenonis *Henoticon,* Basilici *Encyclicon,* Heraclii *Ecthesis,* Constantii II *Typus* (cfr. Athanasius, *Hist. Arian.,* c. 51, M. G., 25, col. 754 ss.; Evagrius, *Hist. Eccl.,* III, 14, M. G., 86-II°, col. 2619-2626, quo loco refertur textus Henotici Zeno-

http://www.obrascatolicas.com

confert *ius ad media semper finium ordine servato*, et servata subordinatione ordini superiori. In casu autem erit in societate minore ius petendi ut praedicta media ordinentur; quod si id fieri non posset quia, spectatis rerum circumstantiis, a superiori societate id non existimetur opportunum et utile pro fine suo, consequens damnum a societate inferiori sustineri deberet, quia ratio superioris boni praevalere debet, et id quod est inferius subordinatur iis quae sunt altioris ordinis.

Praestat revocare hac in re exemplum apostolicum: cum enim Principes plebis Iudaeorum damna populo oritura, metu Romanorum, ex Evangelii praedicatione Ierusalem timerent, praeceperunt Apostolis ne amplius in nomine Iesu docerent; at illi merito: « non possumus » illud responderunt, quod in exemplum fuit saeculis omnibus.

**19.** Haec omnia applicantur **relationibus inter societates perfectas**, necessarias ex iure naturae aut ex iure positivo divino inter se formaliter tantum distinctas, ut sunt societas perfecta religiosa et societas civilis. Huius enim maxime interest ut quaedam ordinentur quarum natura directe religionem spectat, sed quarum influxus magnus est quod attinet ad publicam tranquillitatem, moralitatem et prosperitatem ipsius Status: v. g. vera fides tuenda vel propaganda, paroeciae et templa erigenda, etc. In his omnibus tamen unice competens est auctoritas Ecclesiae. Casus autem conflictus supra enunciatus mere hypotheticus est, nec facile supponenda est praelatorum incuria. Neque damnum quod Status forte sentiet, tale umquam erit quod in discrimen exitiale eum ponat; est enim hypothesis absurda quod bonum Ecclesiae requirat interitum Status. Ad summum igitur res erit de quodam peculiari et partiali incommodo aut damno quod ceterum aliis bonis optime compensari poterit.

Hinc cadit omne fundamentum iuridicum a nonnullis suppositum ad iustificandum interventum Status in rebus propriis Ecclesiae.

---

nis; JAFFÈ, *Reg.* ed. II, n. 2182); exilium autem S. Martini papae debetur praecipue transgresssioni impositionis silentii per *Typum* factae.

Identicus casus interventus potestatis laicalis habitus est cum Ioseph II usum bullae *Unigenitus* a Clemente XIII contra Quesnelli errorres editae, omnemque disputationem, pro vel contra, severe interdixit.



## CAPUT II

### DE POTESTATE LEGIFERA, IUDICIALI ET EXECUTIVA

**20.** Finis socialis assecutio procuratur: 1° *Proponendo obligatorio modo* sociis, opportunis legibus, *media utilia et necessaria*, ut ad commune bonum concordi activitate omnes valeant conferre; 2° *Definiendo* auctoritativo iudicio *ius controversum* in casibus particularibus, itemque *ius laesum* declarando ad poenas applicandas lege statutas; 3° Urgendo applicationem seu *promovendo executionem* eorum quae lege vel sententia statuta sunt, adhibita quoque, si opus fuerit, vi coactiva contra invitos et contumaces.

Hinc triplex functio potestatis socialis: **legifera, iudicialis, et executiva.** Haec vero partitio, desumpta tum ex obiecto, tum ex fine propter quem exercetur potestas, plerumque applicatur etiam quoad subiectum potestatis, quia saepe potest esse non *idem* subiectum auctoritatis pro exercitio *omnis* potestatis.

### ARTICULUS I

### De potestate legifera

**21. Notio.** – Haec potestas definiri solet: « *Ius proponendi obligatorio modo quae necessaria et utilia sunt ad finem societatis assequendum* ».

Est enim ea functio publicae auctoritatis qua norma agendi proponitur subditis ad bonum communiter consequendum: id vero fit praesertim edendo leges.

Equidem *lex est* ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata.[1]

---

[1] S. TH., I-II, q. 90, a. 4 c. Cfr. etiam D'ANNIBALE, *Summa theol. mor.*, P. I., n. 169; WERNZ, *Ius Decret.*, Prati, 1913, vol. I, n. 89, p. 104; MAROTO, *Inst.*

http://www.obrascatolicas.com

Innuimus (n. 20) quodnam sit *fundamentum* et ratio huius potestatis; breviter, verbis cl. Tarquini, sic rem explicabimus: « competit societati perfectae ius exigendi a suis quidquid necessarium est ad finem consequendum. Atqui ad finem consequendum pro humani intellectus diversitate et voluntatis inconstantia, indomitoque cupiditatum aestu, in qualibet agentium multitudine necessaria est potestas aliqua, quae habeat ius *designandi media* atque omnes ad eadem adhibenda *obligandi:* qua in re potestas legifera consistit ». [1]

Nec dicas eundem effectum directionis et activitatum socialium conspirationis obtineri posse aliis actuum humanorum normis. Ipsa enim *naturalis legis* praecepta (quorum nullum est fortius atque communius aut manifestius) non omnia directe et immediate respiciunt quae in usu vitae evenire possunt; insuper, quaedam sunt indeterminata; v. gr. necessarius est cultus Dei et publicus, sed quo tempore et ritu ab ipsa lege naturae non est determinatum. Quod si agitur de vita supernaturali, norma *legis evangelicae,* legi naturali addita, non adhuc sufficit. Etenim legis evangelicae praecepta quaedam pariter indeterminata sunt, quaedam vero *directionem Ecclesiae supponunt.*

Ita, ex praecepto divino positivo, necessaria est Eucharistiae perceptio, sed temporis determinatio relicta est Ecclesiae; item, supposita Ecclesiae supernaturali organizatione hierarchiae, sequitur necessario ipsam normas statuere posse quibus ministrorum distributio et constitutio, ipsorumque iura et officia, et correlativa plebis christianae munera et onera determinentur, secundum ipsam fundamentalem organizationem.

---

*iuris can.*, tom. I, Romae, 1921, n. 178, p. 169. Nos agimus *de potestate legifera*, non autem *de legibus*: hinc nostrum non est de legis natura et effectibus, deque eius subiecto, obiecto et divisione, interpretatione, cessatione, etc. tractare. De his omnibus abunde agitur in iure privato.

[1] TARQUINI, *Iuris eccl. publ. institutiones*, Romae, 1887, p. 9.



**22. Exercitium.** – Exercitium huius potestatis, utpote quae maxime cohaereat cum indole suprematiae societatis, non aliis normis regitur et praefinitur quam quae *ex iure naturali* et ex essentiali ac necessaria *societatis indole et constitutione* procedunt. Est enim exercitium huius potestatis naturali iustitia et aequitate moderandum pro distributione onerum et iurium in societate unice ad finem consequendum. Quod spectat vero ad constitutionem, haec plerumque plura determinat, etiam in favorem sociorum, sive pro designatione subiecti in quo haec potestas resideat, sive pro modo et limitibus secundum quos eadem potestas exerceatur.

Tamen semper haec quae sequuntur ubique firma erunt:

1° *De legum necessitate aut utilitate iudicare non ad singulos subditos sed ad societatem pertinet:* ratio est quia societatis ius, in legibus condendis, commensuratur eius iuri quoad media adhibenda, quae sunt obiectum seu materia legum; ipsaque legis utilitas vel necessitas ab utilitate vel necessitate mediorum pendet. Porro de mediorum utilitate vel necessitate iudicare pertinet societati non autem singulis (v. p. 37 sq.).

Hinc sequitur repugnare *acceptationem populi* esse necessariam ut lex vim suam exerat. Id enim non potest evenire ratione decernendi de eius utilitate vel necessitate, neque ratione defectus vis obligantis, cum pertineat ad formam legis ut per modum obligationis sit proposita. Secus corrueret omnis vis legum, nulla esset auctoritas legislatoris ipseque socialis ordo consistere non posset. [1] Itaque cum neutro ex capite liceat sociis illam reiicere, sequitur approbationem populi non esse necessariam: « ergo si quando requiritur acceptatio populi, id esse aliter nequit — ait Suarez [2] — nisi aut propter imperfectam potestatem principis, quia ex peculiari suae societatis constitu-

---

[1] AICHNER, *Compendium iuris ecclesiastici*, Brixinae, 1900, p. 738, § 207, n. 3.

[2] *De legibus*, lib. I, c. XI, n. 6.

http://www.obrascatolicas.com

tione sub hac dependentia suscepit potestatem,[1] aut ex eiusdem benignitate, qui absoluta sua potestate uti nolit ».[2]

Quod si verum est legem irrationabilem a sociis considerari posse ut omni vi obligandi destitutam, id contigit *non ex defectu consensus in subditis,* sed ex defectu *materiae,* idest ex defectu verae legis; nam, ut ait S. Augustinus: « Lex esse non videtur, quae iusta non fuerit ».[3]

2° *Exercitium potestatis legiferae competit personae publicae;* et quidem, primo et per se, personae publicae habenti *supremum in societate regimen,*[4] in ceteris vero non est nisi per participationem et cum dependentia a supremo gubernante: hoc descendit ex necessitate unitatis, quae secus deficeret in societate, ut evidens est.[5]

Ceterum sive agatur de legislatore supremo, sive de inferiore, semper is qui leges condit erit persona *publica auctoritate praedita* (persona publica, ut dicitur); non enim privatorum est ea quae communitatem respiciunt definire ac dirigere.[6]

---

[1] Haec tamen hypothesis fieri potest tantum quoad societatem civilem, cum in Ecclesia auctoritas, divina dispositione, exerceatur absque ulla dependentia a populo.

[2] Exempla sunt *Referendum* et *Plebiscitum;* cfr. Güenechea, *Principia iuris politici,* Romae, 1939, vol. II, p. 137 ss.

[3] *De libero arbitrio,* lib. I, c. 5 (M. L., 32, col. 1227), « Iniustae autem sunt leges ... vel *ex fine,* sicut cum aliquis praesidens leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad utilitatem communem sed magis ad propriam cupiditatem vel gloriam; vel etiam ex *actore,* sicut cum aliquis legem fert ultra sibi commissam potestatem; vel etiam *ex forma,* cum inaequaliter onera multitudini dispensantur etiamsi ordinentur ad bonum commune », S. Th., I, II, q. 96, art. 4 c.

[4] Hoc verum est etiam in Statu democratico, in quo summa imperii quoad legislationem est in persona morali, seu in coetu legatorum populi (deputatis et senatoribus), non in Rege aut in Reipublicae Praeside. Ita, v. gr., iuxta Const. Gallicam, anni 1946, art. 66. statuitur solius Conventus Nationalis (Assemblée Nationale) ius esse legiferandi et art. 99 statuitur Praesidis Reipublicae munus esse tantummodo *promulgandi* leges a Conventu Nationali latas.

[5] Taparelli, *Saggio teor. di dir. nat.,* nn. 1089-1090. Quod spectat ad potestatem episcoporum in sua dioecesi, seu prout singuli singulas Ecclesias regunt, cfr. Billot, *De Eccl. Christi,* Prati, 1909, th. XXVI, § 2, p. 562 ss. Quoad episcoporum potestatem collegialem, cfr. Cavagnis, l. c., n. 59, p. 139.

[6] In iure canonico vel ipsa consuetudo seu ius non scriptum, diuturnis



**23. Ambitus seu extensio.** – Ambitus seu extensio potestatis legiferae non aliis limitibus circumscribitur quam qui determinant sphaeram omnis iuris socialis; equidem in iis omnibus eadem versatur, supra explicatum (nn. 15 ss.), quae necessaria vel utilia sunt ad finem, servata utique naturali iustitia. Quoniam vero semper respiciendus est finium ordo, hinc patet potestatis legiferae in societate perfecta limites duplici ex capite exurgere:

1° *ratione proprii finis,* cum videlicet desit relatio necessitatis vel utilitatis inter ea quae lege praescribuntur et ipsum finem;

2° *ratione alterius* finis, cum nempe usus potestatis legiferae circa quaedam obiecta, vel secundum aliquam rationem seu modum, laederet ius alterius societatis superioris.

Sed intra limites qui circumscribunt orbem iurium et competentiam societatis potestas legifera amplissime agit tum *ratione materiae* tum *ratione personarum;* immo, modum omnium aliarum potestatum exercendarum legislatio moderatur.

Ipsum autem legesferendi ius secumfert tum facultatem interpretandi auctoritative seu authentice, tum abrogandi leges iam latas. Quod si agitur de legislatore inferiore seu subordinato, iura haec non respiciunt leges a superiore conditas.

**24.** Sed potest insuper quaeri *quinam limites sint potestatis legiferae,* in ordinario eius exercitio, *respectu constitutionalium legum* eiusdem societatis.

---

populi moribus firmatum, vim legis non obtinet nisi « a consensu competentis superioris ecclesiastici » (can. 25); sed in iure romano, cum leges a populo rogabantur, consensu populi vim consuetudo obtinebat. « *Nam quid interest* — ait Modestinus, — *suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis et factis!* ». Cfr. 32, § 1, D I, 3 et ibid.

http://www.obrascatolicas.com

1° Iamvero si agatur de societate orta et constituta iuxta positivam ordinationem superioris, ut est de Ecclesia, in qua Christus fundamentalia constitutionis ipse determinavit, potestatis legiferae exercitium evidenter non potest ipsam constitutionem attingere eam *immutando* vel *abrogando;* id enim esset contra voluntatem praevalentem eius qui *talem* societatem ut necessariam hominibus praescripsit.

2° Si vero agitur de societate necessaria et perfecta ex iure naturae, non videtur cur supremum organum *ordinariae* quoque potestatis legiferae, nequeat ipsam constitutionem attingere et immutare, sed *speciale* ad id requiratur organum (quod solet dici potestas *constituens*); nulla enim ratio datur quae evincat hanc specialem potestatem differre, essentia et fundamento, a potestate legifera ordinaria.

Lex constitutionalis, ideo quia est essentialiter *lex,* participat de characteribus legis; iamvero principium generale iuridicum est *leges omnes* de se mutabiles esse, et mutari posse, immo debere, cum id rationabilis causa requirat, a persona (physica vel morali) cui competit plenum ac supremum (esto ordinarium) legesferendi ius in societate.

Haec vero hodie videntur confirmata ex iis quae facta sunt apud nonnullos Status; ab organo enim legiferae potestatis, supremo quidem sed ordinario, saepe latae sunt leges quibus normae statutariae seu constitutionales nonnullae immutatae vel abrogatae sunt. Praxis, e contra, deputandi specialem conventum « *constituentem* » ad novas chartas seu statuta condenda, post graves eventus aut cum primum Status oriuntur, non probat illud esse organum *distinctae* potestatis, sed tantum habere specialem finem, seu destinationem circa determinatam materiam, ad quam ordinandam, primum omnium, in iis adiunctis, potestas legifera adhibenda erit. [1]

[1] GÜENECHEA, op. cit., vol. I, n. 210 ss. Quoad evolutionem iuris italici hac in re ante ultimam Constitutionem, cfr. DEL VECCHIO, *Lezioni di Filosofia del diritto,* Roma, 1936, p. 242 ss.



## ARTICULUS II

### De potestate iudiciali

**25. Notio.** – Potestas iudicialis sic describitur a plerisque AA. iuris publici ecclesiastici: « Est *ius declarandi seu proponendi modo obligatorio, quaenam subditorum actiones in concreto sint iuri conformes, quaeque eidem difformes, et effectus legitimos eiusdem conformitatis aut difformitatis* ». [1]

Duo igitur involvit exercitium potestatis iudicialis: 1$^{um}$ iudicium auctoritativum de vero legum sensu; 2$^{um}$ iudicium de relatione alicuius facti vel actionis cum lege. In hoc autem iudicio theoretico-empirico emittendo, auctoritas socialis intendit iuris applicationem vel restaurationem: vel enim agitur *de iure controverso* in casu particulari declarando, [2] ut unicuique suum tribuatur quando quaestio fit an alicui ipsum ius competat (quaestio civilis seu contentiosa); vel potius agitur *de iure certo seu absoluto reparando,* cum laesum seu violatum fuit (iudicium poenale).

Hinc duplex iudicialis potestatis ratio: I. ad iura persequenda et vindicanda et ad facta iuridica declaranda **(iurisdictio contentiosa)**; II. ad poenam infligendam vel declarandam [3] **(iurisdictio poenalis).**

Complexus autem actuum iudicialium, quibus causae cognitio et definitio absolvitur, *iudicium* audit; vel, praeser-

[1] CAVAGNIS, *Inst, iuris publ. eccl.,* Romae, 1906, vol. I, n. 105, p. 60.

[2] *Declaratio authentica* iuris controversi *generali modo* facta pro communitate, est actus potestatis legiferae; hinc iuris controversi declaratio seu diremptio per iudicem facta, nonnisi pro casu particulari quem respicit, normam constituit.

[3] Cfr. can. 1552.



http://www.obrascatolicas.com

tim si actus a iudice, potius quam a partibus, positi respiciuntur, nomine *processus* nuncupantur. Iudicium autem definitur: « *Controversiae in re de qua societas ius habet cognoscendi, coram competenti tribunali, legitima disceptatio et definitio* ».[1]

**26. Fundamentum et necessitas.** – Omnis ratio huius potestatis est in necessitate boni communis completi assequendi; ad id enim non sufficit legibus proponere media necessaria et utilia, verum requiritur ut leges ipsae rite applicentur. Officium igitur potestatis publicae est non solum iura condere, sed et iura tueri singulorum interpretando leges easque applicando inter cives hinc inde de earum vi et intentione contendentes, itemque, violentias, fraudes, crimina, maleficia malorum hominum inquirere, detegere et declarare ut effectus habeatur applicationis legitimarum sanctionum.

Necessitas igitur potestatis iudicialis pro declaratione iuris controversi et pro applicatione poenarum in casu violatae legis, resultat *ex necessitate interventus personae publicae* in frequentioribus casibus qui occurrunt, ad quos pertingere nequit legislator [2] et quorum definitio, praesertim ubi agitur de iuris laesi restauratione, nequit committi arbitrio privatorum.

---

[1] Can. 1552. Notio haec generica convenit tum iudicio ecclesiastico tum civili et verba «in re de qua societas ius habet cognoscendi» innuunt limitibus huius potestatis in una societate respectu alterius, dum verba « coram competenti tribunali » eundem conceptum ponunt respectu personarum quae, in ambitu unius eiusdemque societatis, iudicialem potestatem exercent, simulque indicant *personam publicam* requiri ad iudicia instauranda. Cfr. ROBERTI, *De processibus*. Editio altera, Romae, 1941, vol. I, p. 72.

[2] Hinc IULIANUS: « Neque leges neque senatus consulta ita scribi possunt, ut omnes casus qui quandoque inciderint comprehendantur. sed sufficit ea quae plerumque accidunt contineri ». Fr. 10, D. I, 3.



Sicut enim auctoritatis socialis est condere leges, ita ad eamdem pertinet de vero sensu legum iudicium dare auctoritativum; namque inutile foret potestatis legiferae exercitium si privatis, independenter a sociali auctoritate, arbitrium concederetur leges ad sensum suum detorquendi; itemque, sanctionum poenalium applicatio, si a privatis, potius quam a publico magistratu, fieret, locum daret non iam reparationi iuris laesi aut ordinis socialis restaurationi, sed effrenatae licentiae passionum, vindictis et iniustitiis. Unde in regulis iuris legimus: « Non est singulis concedendum quod per magistratum publice potest fieri, ne occasio sit maioris tumultus faciendi ». [1]

Ex dictis patet cur reprobanda sit praxis, ultimis decenniis introducta, constituendi sic dicta *tribunalia popularia* in periodis in quibus civilia discidia et odia explodunt, quae quidem tribunalia hinc inde ab adversis partibus constituta, sine vero titulo iuridico legitimae auctoritatis, capitis damnant innocentes et insontes. Horum tribunalium victimae praecipuae sunt fideles catholici in pluribus locis ubi communismus periodum invasionis vel revolutionis instaurat.

---

[1] De reg. iur. D. XVII, 176. — Media aetate mos obtinuit privatis bellis vindicare propria iura, immo *duella* et *ordalia* in ordinem iudiciarium sunt introducta. Postea vero *faidae* et privatae vindictae tam frequentes fuerunt ut publica tranquillitas saepe in discrimen non leve adducta fuerit. (PATETTA, *Le Ordalie*, Studio di storia del diritto comparato, Torino, 1890; VACANDARD, *L'Eglise et les Ordalies. Etude de critique et d'histoire relig.*, Paris, 1905). De influxu benefico Ecclesiae praesertim per *treguam Dei*, v. C. F. KUSTER, *De tregua et pace Dei*. Rechtsgeschichtliche Studie. Coloniae, 1902; et in Corpore Iuris, cfr. c. I, X, De tregua et pace, I, 34. — Nec contradicit principium quod liceat *vim vi repellere;* hoc valet enim pro legitima defensione in actu aggressionis, seu cum ius aliquod absolutum personae, vel status facti, ante controversiae legitimam definitionem, in imminenti discrimine violationis est, non autem cum iam laesum est ius, aut status facti iam violatus.

http://www.obrascatolicas.com

**27. Transactio et Arbitratus.** – Diximus ius et officium esse potestatis publicae dumtaxat, ius dicere ad controversiarum solutionem et ad ordinis vel iuris laesi restaurationem. Sed, quod attinet ad ius controversum *iurisdictione contentiosa* dirimendum, non prohibet lex, omnino et absolute, quominus privatorum quoque studio solvantur eorundem quaestiones, nempe nisi talis sint ponderis vel talis naturae, ut maxime illud intersit communitatis quoque.

Equidem possunt subditi, imo maxime pro bono pacis id consulitur,[1] quaestiones suas amice componere, iura ad invicem conciliando **transactione.**

Sed possunt insuper partes convenire de remittenda controversiae solutione arbitrio unius viri prudentis, vel plurium, qui pro bono et aequo, vel etiam ad normam iuris, litem componant, idest **arbitratu.**[2]

Ut patet, in pluribus differt iudicium quod dant arbitri, a vero et proprio iudicio quod a publico magistratu emittitur.

1° Primo quidem arbitratus causam habet a libera *litigantium voluntate,* supposita nempe partium conventione; e contra iudex vel ab uno tantum e contendentibus provocatur, vel ex officio independenter a subditorum voluntate;

2° arbitri vel arbitratus munus a partibus limitatum possunt suscipere, dum iudex non subiicitur condicionibus appositis a partibus, sed tantum regulis iuris oboedit;

3° exercitium muneris arbitralis est sine potestate cogendi, ita ut quaestionis solutio ab arbitris data executionem habeat tantum a bona fide partium, qua deficiente, arbitratus

[1] Idque praesertim in Ecclesia; cfr. *I Cor.*, VI. Vid. etiam S. August., *Confess.*, lib. V, c. 37; eiusdem, *De oper. monach.*, c. 3 (M. L., 40, 551), Benedict. XIV, *De Synod. Dioeces.*, lib. IV, c. 2. In Codice iuris canonici autem praescribitur iudici, apud quem proponitur controversia iudicii forma dirimenda, ut exhortationes adhibeat, tum ante iudicium, tum quocumque tempore id opportunum et efficax ducat, ad suadendum ut lites transactione componantur (can. 1925).

[2] Can. 1929 ex quo patet distinctionem inter *arbitros* (qui ad normam iuris negotium pertractant) et *arbitratores* (qui de bono et aequo rem solvunt). Apud Romanos quoque arbitratus iure publico agnoscebatur: « Neminem voluerunt maiores nostri non modo de existimatione cuiusquam sed ne pecuniaria quidem de re minima, iudicem esse nisi qui inter adversarios convenisset ». Cic., *Pro Clemen.*, 43.



practice inefficax evadit; dirempta vero quaestione a iudice, vel sanctione poenali ab eodem pronuntiata, sequitur ex parte potestatis executivae necessaria et coactiva applicatio sententiae.

Hinc patet institutum arbitratus, quamvis sit consulendum, non esse in perfecta societate sufficiens, quia posset quis, pro sua libidine et pactorum spretu, arbitrorum sententiam coactivae potestatis munimine destitutam, pro nihilo habere. Igitur redit necessitas publicae potestatis iudicialis; eo vel magis quod multa sint, ut iam innuimus, quorum cognitionem publicae potestati reservari maxime intersit, propter bonum commune, interdicta quavis privata, etiam per arbitros, causae definitione.[1]

**28. Subiectum in quo residet.** – Diximus iam requiri personam publicam ad exercendam potestatem iudicialem; porro breviter videndum est quaenam haec persona sit vel quomodo determinetur.

Primo quidem residet haec potestas *in supremo regiminis organo vel subiecto:* immo ab ipso, propter necessitatem unicae et organicae directionis socialis, dicendum est derivare saltem mandatum seu assignationem subditorum ad hanc iurisdictionem exercendam:[2] in alias personas vel organa quod attinet vero ad inferiores iudices determinatur ad normam iuris publici societatis quomodo constituantur; in qualibet autem bene ordinata societate numquam designatio subiecti seu personae, quae iudicialem potestatem exerceat, populo erit commissa.

Ad Ecclesiam quod spectat, iudices, praeter illos qui ipso iure tales sunt,[3] constituuntur vel a Romano Pontifice vel ab episcopis; nullam vero partem hac in re populus gerit.

[1] Igitur arbitrorum sententia dirimi non permittuntur v. g. causae criminales, causae matrimoniales, quando agitur de valore vel nullitate matrimonii, causae exemptionis, causae beneficiales etc. V. can. 1927.

[2] Id vero tum in Ecclesia, tum in societate civili. Hoc sensu interpretandae sunt dispositiones statutariae quae in societate civili edicunt supremo gubernanti competere et ab eo emanare omnem iurisdictionem.

[3] Cfr. cc. 335, § 1; 1569, § 1; 1572, § 1; 1579.

http://www.obrascatolicas.com

In societate civili vero, per se possent subditi eos designare quibus ius dicere competat, quemadmodum plerumque designatur a populo, directe vel indirecte, is a quo *summum imperium* sit gerendum vel eliguntur illi a quibus *leges* sint ferendae. Sed *popularis iudicum electio* maximis scatet incommodis, quae praesertim veniunt ex defectu sufficientis discretionis in multitudine, cuius captum excedunt eximiae et speciales (tecniche) qualitates necessariae in iudice; insuper electiones factionum studiis plerumque fiunt, hinc frequens suspicio aut saltem praesumptio suspicionis in iudice electo ab una factione. [1] Practice igitur qui supremum regimen habet eiusque administri iudices constituunt, iuxta normas praefinitas ad tutandam horum autonomiam.

**29.** Equidem debet is qui ius inter partes dicit, *libere et secundum iustitiam iurisdictione uti,* absque influxu cuiusvis potestatis, vel metu factionum.

Doctrina autem **autonomiae potestatis iudicialis,** non ita urgenda est ut, ad eam tutandam, requiratur omnino plena divisio potestatum.

Praesertim non videtur cur is qui leges fert non possit esse etiam iudex, cum potius maxime cohaereat functio legislativa cum functione interpretativa et applicativa legis ad casus particulares. [2]

Maior quidem extat difficultas quod attinet ad cumulationem potestatis iudicialis et executivae in eodem subiecto; siquidem frequentior potest esse suspicio ne gubernator potestate iudiciali sibi concredita vel influxu

[1] Praesertim si confirmatio in munere pendet a plebis suffragiis.

[2] Hinc non est vertendum certe in defectum constitutionis Ecclesiae si non solum Romano Pontifici sed etiam episcopis potestas legifera et iudicialis competat (can. 335, § 1). Ceterum videmus etiam in societate civili conferri organis potestatis legiferae, iurisdictionem quoque circa causas quasdam determinatas. Cfr. v. gr. art. 86-88 Const. Gallicae, anni 1946, in qua maior pars iudicum, qui eliguntur pro supremo Coetu Iustitiae, constituitur ex membris Coetus legislativi.



suo in iudices sibi subditos abutatur; propter hoc videmus in societate civili maxime urgeri hanc independentiam iudicum a civitatis rectoribus, itemque, in Ecclesia, constitui officiales, aliosque iudices qui episcopo adsint in administranda iustitia. [1]

**30. Exercitium.** – Quoniam potestatis iudicialis est ius controversum dirimere et ius violatum reparare, patet eiusdem potestatis exercitium ad hoc tendere, et hoc procurare debere, ut veritatis et iuris victoria habeatur; sed ut iuris victoria *socialiter* habeatur oportet etiam innotescat evidenter sententiae iustitia ipsi communitati.

Ad haec obtinenda, duo sunt necessaria:

I. quod iudicia ita instituantur ut veritas facile et tuto possit *iudicibus* innotescere;

II. quod detur *societati* possibilitas cognoscendi evidenter secundum iustitiam iudicium factum fuisse.

I. Prima norma, quae respicit iustitiam rei intrinsecam, procedit ex naturali necessitate aequalitatis servandae in usu illius potestatis quae in favorem omnium, sine ullo personarum discrimine, exerceri debet, ideo quia est in bonum commune omnium ordinata.

*a*) Hinc sequitur *regulariter neminem esse posse* **iudicem in causa propria** praesertim cum iudicia nostra, quando agitur de rebus ad nos pertinentibus, cupiditati magis quam aequitati facile faveant.

Dicimus regulariter quia ab hac norma *excipitur princeps,* praesertim cum agitur de iis rebus quae ad ipsum qua princeps est pertinent. Is enim non est ulli subditus; igitur alius iudex in eum potestatem non habet, nisi tamen ei facultas fiat a principe de ea re iudicandi.

[1] Cfr. c. 1578.

http://www.obrascatolicas.com

*b*) Maxima autem difficultas in recto exercitio huius potestatis est in assequenda *cognitione* **veri** seu in recta determinatione iuris controversi vel iuris laesi. Ad hoc autem obtinendum duo praesertim conducunt: 1° *forma processus* seu praescriptio omnium normarum secundum quas processus fieri debet, et 2° constitutio *tribunalium collegialium*.

II. Sed oportet etiam quod appareat publice sententiae iustitia, seu quod *iuris victoria sit publica et notoria*.

*a*) Id obtinetur praesertim **iudiciorum publicitate et solemnitate**, ut non modo iurisprudentes valeant litigantibus adsistere, cum libera facultate proponendi sua argumenta in favorem eorumdem litigantium, sed etiam testium et probationum valor contradictioni alterutrius partis exponatur. *Solemnitas* autem non solum conducit, ut supra dictum est, ad veritatem detegendam, sed etiam iudicio conciliat reverentiam publicam, simulque cum publicitate est etiam cautela quaedam contra perversionem iudicii ex culpa vel dolo iudicis. [1]

*b*) Ad notorietatem victoriae iuris et veritatis per iudicium obtinendae, maxime conducit etiam ipsa **sententiae publicitas.** Hinc debet sententia continere rationes seu motiva, quae dicuntur, tam in facto quam in iure, quibus dispositiva sententiae pars innititur. [2] Id namque dum iudicem adigit ad diligentiorem curam adhibendam pro recta iuris declaratione, eumque avertit ab iniustitia, publicam quoque opinionem certiorem reddit de recta iustitiae administratione, simulque faciliorem reddit impugnationem decisionis, si in errore ipsa fundatur. Ceterum ad effectus vitandos iniustae sententiae via relinqui debet,

[1] Quandoque tamen ipsum bonum publicum exigit ut iudicia secreto fiant: « Sebbene la pubblicità dei giudizi è freno sì imponente, che il ricusarla scanserebbe difficilmente il sospetto di parzialità, pure l'esperienza va formando anche in questa materia giudizi più riguardosi nelle persone di senno che veggono gravissimi pericoli nelle influenze con cui i faziosi governano a lor talento i tribunali aperti al pubblico. Tocca al politico di esaminare da ambo i lati la ragione applicandola alla condizione dei tempi, dei paesi e delle materie », TAPARELLI, *Saggio teorico di diritto naturale*, n. 1205. Tunc sufficit curare ut iudicibus certo res innotescant; quoad publicam fiduciam supplebit notoria iudicum integritas.

[2] Cfr. can. 1873, § 1, n. 3.



mediante *appellationis* iure, ad tribunalia superiora et tandem ad supremum cui ipse Princeps praesidet.

**31. Appellatio** *iudicialis* seu *provocatio a iudice inferiore ad iudicem superiorem, sententiae, a qua quis se gravatum putat, corrigendae aut infirmandae causa* [1] est velut quaedam iuris cautio, quia ordinatur ad errorem, ex iudicis imperitia aut malitia possibilem, auferendum. Id sane appellatione procuratur tum praeventive tum subsequenter. *Praeventive* quidem, quia iudices inferiores metu iudicis superioris difficilius pervertent iudicium ex malitia: *subsequenter* vero quia, nova instantia producta, corrigi possunt ea quae ignorantia vel dolo ab ipsis iudicibus inferioribus statuta sunt.

Quoniam autem iuris remedia, saltem quoad substantiam et in genere, iure naturae inducta sunt, sequitur appellationem, ut remedium iuris et medium iustae defensionis seu sub hac notione generica, *in ipso iure naturali fundamentum habere*. [2]

Bonum autem publicum, cui maxime nocet quaestionum multiplicatio aut productio, postulat ut appellationis producendae facultas fiat nonnisi ad unum vel alterum dumtaxat tribunalium gradum, et infra praefinitum tempus; item, ut pro mini-

[1] Can. 1879; ROBERTI, *De processibus*, Romae, 1926, vol. II, tom. I, p. 196 ss.; NOVAL, *De processibus*, Romae, 1920, n. 638, p. 418, *De appellatione extraiudiciali;* plura apud LEGA, *De Iudiciis*, vol. I, n. 723 ss., p. 586.

[2] Dicimus ut remedium iuris generice spectatum; siquidem in specie, quoad formam suam specificam, est ex iure positivo. Equidem « naturale ius praecipit civibus praesto esso suorum iurium iudicialem defensionem, eandemque ita ordinandam esse, ut iudicis imperitia aut malitia legitimam non impediat iuris controversi tuitionem. At idem ius non expostulat officium cognitionum iudicialium distribuendum esse iudicibus gradu hierarchico diversis, quorum superior inferioris sententiam iterum examinet, ut hanc confirmet, rescindat aut corrigat ». LEGA, *De iudiciis ecclesiasticis*, Romae, 1905, vol. I, n. 650, p. 535.

http://www.obrascatolicas.com

mis negotiis appellationi locus non relinquatur. [1] Ubi vero gravaminis ratio nullimode appareat, appellationis recipiendae officium cessat: hinc *frivolis appellationibus,* quae dicuntur, seu iis quae proponuntur contra decisionem a iudice evidenter emissam secundum dispositionem iuris claram et manifestam, non est deferendum.

**32. Aliae cautiones.** – 1. Sed ad rectum exercitium potestatis iudicialis pertinet etiam ut non solum iudicia ita instituantur ut facile pateat veritas, sed etiam cum possibili *minimo incommodo* eius cui ius est. Siquidem et hoc iniquum est, ius non posse absque difficultate locum suum tenere. Hic maxime spectant normae quibus curatur ut forma iudicii sit *brevis,* seu *expedita,* et facile omnibus iudicialis via pateat.

Quod enim causae diutius pertractantur, id saltem uni parti detrimento est, quandoque autem gravibus scatet incommodis etiam contra ipsum bonum publicum. Praesertim pauperes nimio fastidio ex diuturna causae tractatione afficiuntur; et sic iisdem plerumque aditus praecluditur viam iudicialem experiendi, et quod suum esse putent, efficaciter repetere non possunt.

2. Ceterum, ut possibilis reddatur pauperibus quoque accessus ad tribunalia, suppeditari ipsis debent, ubi necesse habent, media opportuna ut in iudicio stare possint; qua in re primum locum obtinet *patrocinium gratuitum,* quod sane cito introductum fuit in Ecclesia, cui maximae laudi est semper cordi habuisse pauperum defensionem.

3. Ultimum, demum, quod notari debet circa exercitium

[1] Ita v. gr. in can. 404, *De Iudiciis* pro Eccl. Or., statuitur: « Non est locus appellationi... 10. A sententia iudicis unici in causis patrimonialibus de rebus quam pretium non excedit summam biscentum francorum aureorum ». Pii XII Motu proprio *Sollicitudinem Nostram,* 6 ian. 1950 (*A. A. S.*, v. XVII, p. 88).



potestatis iudicialis, pertinet ad necessitatem dandi *executionem sententiae,* quod est munus potestatis executivae. Ut enim iudicum munus efficax sit et civium fiduciam mereatur, prompte et integre, ad normam iuris sententiae executioni mandandae sunt, secus potestas iudicialis vim mere directivam haberet, quae vix sufficeret ad finem obtinendum.

**33. Limites.** – 1. Prima quaestio quae occurrit, est *de limitibus potestatis iudicialis sub respectu competentiae socialis.* Sed haec facile solvitur ad normam principiorum generalium: iudicat enim societas de omnibus circa quae potest legiferare, de omnibus iuribus videlicet quae tum ad communitatem spectant tum etiam ad singulos, quaeque, vel natura sua vel destinatione, illius sunt ordinis in quo est societas. Nisi tamen accedat ratio ordinis superioris, propter quam a competentia societatis eximitur id quod, ob personarum [1] vel rerum adiuncta, colligatur cum fine praestantioris societatis (nn. 15 ss.).

2. Sed, in ambitu competentiae socialis, potest ulterius quaeri quid valeat iudicialis potestas decernere ac statuere, seu quasnam functiones complectatur eiusdem potestatis exercitium.

*a*) Et primo quidem notandum quod, etsi iudicis sit leges *interpretari* et *applicare* ad casus particulares, eiusdem tamen non est nova iura condere; [2] edicere enim dumtaxat debet quod est conforme iuri constituto et aequitati, et quidem nonnisi quando eiusdem interventus provocatur sive ex

[1] Exemplum est in exemptione clericorum a foro saeculari, tum pro causis criminalibus tum etiam pro civilibus, etiam ubi agatur de delicto vel de re quae, natura sua, civilia sunt, seu ad forum saeculare spectant. Cfr. can. 120.

[2] Heic spectat quaestio de munere iudicum quoad conformitatem legis cum Constitutione et circa existentiam formalem legis. Cfr. Güenechea, op. cit., vol. II, pp. 260, 293.

http://www.obrascatolicas.com

facto violationis iuris, sive ex petitione, ut ius controversum, inter partes hinc inde litigantes, dirimat.

*b*) Ut legis applicatio ad factum particulare rite et efficaciter a iudice fieri possit, iurisdictioni inesse debet ius adhibendi *modicam coërcitionem* in reluctantes.

Quamvis enim hodie iudicum potestas seu iurisdictio in sola notione consistat, aliquod tamen imperium ipsa necessario secumfert; hinc tum ius canonicum tum ius commune receperunt principium iuris romani notissimum: « *cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur sine quibus iurisdictio explicari non potest* »; [1] ita in iure canonico iudex reum qui citatoriam schedam recuset, citatum habet, ipsumque, contumacem, potest poenis cogere ad tribunal; item, omnes in aula tribunalis adsistentes ad reverentiam et oboedientiam adducere, advocatos et procuratores censuris et poenis ad officium reducere eosque iure alias causas in tribunali ecclesiastico tractandi privare; potest testes ad iusiurandum emittendum etiam poenis adigere, etc. [2]

*c*) Non autem ad iudicem spectabit *executionem dare sententiae,* quod potius pertinet ad potestatem proprie dictam executivam, maxime sub respectu functionis coactivae; equidem, quamvis non semper et necessario requiratur coërcitio ad executionem iudicialis sententiae, plerumque tamen eadem adhibenda est, imo necessario supponitur, in executione omnis sententiae condemnatoriae latae in iudicio criminali.

---

[1] Fr. 2, Dig. II, 1; quoad Corpus iur. can. cfr. c. 28, X, de officio et potestate iudicis delegati I, 29. Lega, *De iudiciis ecclesiasticis,* Romae, 1905, vol. I, n. 40, p. 58.

[2] Cfr. v. gr. canones 1718, 1845, 1640 § 2, 1766 § 2, 1798, 1824, etc.



## Articulus III

### De potestate executiva

**34. Notio.** – Potestas executiva est *ius urgendi legum sententiarumque applicationem, dirigendo personas vel disponendo de rebus, atque removendo omnia obstacula quae finis socialis plenam assecutionem impediunt.*

1. Haec potestas dividi solet, pro triplici distincta functione, in *gubernativam,* quae est potestas circa personarum regimen ad normam legum: in *administrativam,* quae est potestas curandi seu administrandi bona societatis; et in *coactivam,* quae est potestas vim physicam adhibendi in socios ad finem consequendum, poenis quoque, si oportuerit, irrogatis.

2. Harum functionum autem genericum nomen *executivae* potestatis quodammodo improprium est; non enim haec potestas secumfert meram facultatem exequendi, sicut ex materiali huius verbi significatione videretur, sed, praesertim ubi agitur de gubernatione et administratione, includit etiam facultates quasdam ordinandi, decernendi et disponendi, quae speciem aliquam induunt pleni imperii, seu exercitii munerum aliarum quoque potestatum, legiferae videlicet et iudicialis. Hinc placet nonnullis hoc tertium auctoritatis socialis genus, nomine potestatis *administrativae* nuncupare: quo in casu, ut evidens est, latius sumitur hoc verbum quam cum refertur ad res oeconomicas dumtaxat. [1]

---

[1] Castellano (*Lectiones Iuris Administrativi,* Ed. altera, Romae, 1954) hanc cum Roberti refert definitionem: « Potestas *administrativa* subditos regit *intra limites legis,* curat et fovet bonum publicum, libere ex arbitrio procedens, singulis aptans quae generice a lege statuuntur », et ait: « Dicimus administrativam, non *executivam,* quia mera *executio,* ob infinitam casuum varietatem, est impossibilis, et si esset possibilis, foret *iniqua* ». Ve-

http://www.obrascatolicas.com

3. Vix autem opus est morari in declaranda necessitate huius potestatis. Parum enim esset media, obligatorio modo, per potestatem legiferam proponere, legesque applicare factis per potestatem iudiciariam, nisi dein urgeatur ipsarum legum et sententiarum executio; tunc enim auctoritas tantummodo theoreticum regiminis principium constitueret, omnino insufficiens et inefficax attenta hominum natura, passionibus debilitata.

4. Immo, valde eminet huius potestatis *momentum* ob eius characterem *continuitatis* (dum legislativae et iudiciariae potestatis exercitium intermitti potest) ».[1]

**35. Potestatis gubernativae et administrativae exercitium.** – Cum circa has potestatis executivae functiones nihil soleat specialiter adduci, nisi quod spectat ad *organa* (qua in re sermo abunde habetur ubi de subiecto potestatis, tum in Ecclesia, tum in societate civili), cumque difficultates contra has potestatis publicae partes non moveantur, paucis verbis heic perstringimus ea dumtaxat quae pertinent ad finem persequendum in recto exercitio earundem functionum; separatim vero et prolixius, e contra, loquendum potius erit de tertia parte, seu de potestate *coactiva*, circa quam plurimi fuerunt errores, maioresque sunt quaestiones diligentiori subiiciendae examini.

I. Quod spectat igitur *ad hominum directionem et regimen* pro eorumdem bono et pro faciliori assecutione finis socialis, patet potestate gubernativa maxime curandum esse ut talis ordinata, pacifica et prospera vitae socialis condi-

rum ex supra dictis patet non agi de *mera* executione, et ita difficultas ipsa non regit. Definitio, igitur, a nobis data plane congruit cum hac ultima, et quaestio est tantum de nomine, non autem de re.

[1] Quo fit ut quandoque organa executiva se substituant, in causa urgentiae et necessitatis, vel ipsis organis legislativis.



cio habeatur, quae tribus praesertim elementis (fattori) constat.

Haec sunt: 1° numerus conspirantium, 2° ipsorum pacificus et harmonicus convictus, in tuta fruitione iurium uniuscuiusque sub legum tutela, 3° individuorum omnium in finem sociale efficax conspiratio.

Potestas gubernativa, ad haec habenda, curat omnino legum applicationem, et tunc vere dies agit prospere et feliciter aliqua societas cum praedita est tali gubernio quod suaviter quidem sed etiam fortiter, ad leges applicandas omni studio incumbit. Ubi vero lex deficit, vel ubi id exigit ipsa legis applicatio, potestas gubernativa opportunas edit dispositiones, iuxta ea quae supra enunciata sunt (n. 34).

II. *Potestatis administrativae* exercitium respicit, directe, media *socialia*. Omnis enim societas, sive temporalis sive spiritualis, eo ipso quod hominibus constat et externe operatur, mediis externis et temporalibus, ut finem suum assequi valeat, absque dubio pollere debet.

Esto quod in societate spirituali haec media inadaequata et insufficientia erunt; imo, et pro societate perfecta ordinis temporalis, bona materialia non sufficiunt ad pleni perfectique boni prosecutionem, eo quod etiam bona moralia et intellectualia patrimonium suum necessario et naturaliter constituant: verum, bona materialia omnino requiruntur, pro necessitatibus activitatis socialis externae. Merito igitur a societatibus utriusque ordinis media oeconomica colliguntur vel etiam a subditis exiguntur; et, modo generali, idem dicendum est de omnibus societatibus etiam imperfectis, ut, eo ipso quod iure existendi et operandi in finem suum honestum seu licitum pollent, consequenter et necessario, iure fruantur acquirendi et possidendi media temporalia sibi propria, et eisdem libere utendi. Quaecumque autem est societas, semper auctoritatis munus et officium est curandi ut,

http://www.obrascatolicas.com

quae publica sunt, rite in bonum publicum cedant, in maxima sua productivitate aut efficientia serventur, atque a quavis dissipatione defendantur. Quae omnia eo magis praestantur quo directius rerum publicarum usus in publicam utilitatem de facto dirigitur, quo *efficacius* seu fructuosius commoda ex eis depromuntur, et quo *stabilius* seu securius societati conservantur.

**36. Potestatis coactivae notio.** – Potestas coactiva est *ius vim physicam adhibendi in personas, ad finis socialis consecutionem.*

Sub hac generica notione, triplex facultas comprehenditur vim physicam adhibendi, prout diversa est ratio propter quam ius hoc exercetur: videlicet facultas cogendi, coërcendi et puniendi.

Ut enim finis socialis obtineatur, necessarium est procurare, etiam vi physica, si oportuerit, adhibita, ut tum singulorum tum socialia iura serventur, omnesque subditi in officio suo contineantur et ordo socialis, ubi laesus fuerit, prompte restauretur.

Profecto, ad talem iuris et ordinis proportionatam tutelam habendam, oportet:

1° praevenire, quantum fieri potest, iuris laesiones, homines continendo in officio suo, cogendo eos qui renuunt oboedire, ut ex invitis fiant volentes, seu ad id faciendum vi adigantur quod sponte facere nolint: en *coactio* stricto sensu, idest *ius cogendi invitos;*

2° oportet etiam actiones eorum comprimere, qui de facto, sive ex prava voluntate, sive ex vitio naturali non imputabili, ordinem socialem perturbant actuali iuris laesione: en *coërcitio* seu *ius defensionis et repressionis contra aggressores;*

3° demum necesse est ordinem iam violatum reparare,



malum physicum delinquentibus inferendo et resarcitiones debitas exigendo: en *punitio* seu *ius infligendi poenas ad iuris laesi restaurationem.*

**37. Potestatis coactivae necessitas.** – Potestas coactiva est medium necessarium ad finis socialis consecutionem, sicut necessaria est potestas legifera et iudicialis. Societati namque competit ius iis utendi quae necessaria sunt ad finem. Porro si talis esset omnium hominum indoles et condicio moralis, ut legibus obtemperare et iudicum sententiis se conformare omnes semper parati essent, iam potestas legifera et iudicialis essent sufficientes, et societati non competeret uti etiam vi physica, tamquam medio sibi necessario. At, propter corruptam hominis naturam et passionum aestus, potest in subditis bona voluntas deficere, hinc possunt leges violari et sententiae sperni. Tunc vis physica est unicum medium ad consulendum bono sociali. Quod si potestas legifera et iudicialis dumtaxat esset adhibenda pro sociali regimine, et non esset ius quoque vis inferendae, *socialis auctoritatis vis esset mere directiva, theoretica et inefficax,* seu obligatio imposita a lege vel sententia, practice effectum suum, externum et socialem, non haberet: nam perversi homines ea spernerent quae lege vel praecepto vel sententia sunt imposita.

**38. Potestatis coactivae fundamentum.** – Ex dictis de necessitate potestatis coactivae, iam satis constat quodnam sit eiusdem fundamentum: est enim *necessitas tuendi ordinem socialem.* Legitima sane et sufficiens ratio adhibendi vim physicam est in iure et officio curandi ne finis socialis assecutio impediatur, vel ipsa societatis conservatio periclitetur; verum, talia impedimenta et pericula reapse habentur ex perturbationibus ordinis socialis, seu ex



http://www.obrascatolicas.com

quacumque perturbatione et violatione iuridicarum relationum quibus homines tum ad invicem tum erga societatem adstringuntur, et ex quibus harmonia socialis convictus et membrorum conspiratio in bonum commune resultat.

Tutela igitur istius ordinis socialis est legitima ratio ac iuridicum fundamentum adhibendi vim 1° *pro defensione* ab impugnantibus seu conantibus eum turbare, 2° *pro executione,* invitis quoque sociis, eorum quae ad eundem ordinem tuendum pertinent, 3° *pro reparatione violationum* quae iam fuerint patratae.

Praesertim **iuris puniendi ratio et fundamentum** in controversia fuit. Nostrum quidem non est agitatae huic controversiae operam dare, cum proprium id constituat iuris criminalis philosophici agmen.[1] Paucis, tamen, materiam disputationis heic perstringimus, ut conclusio nostra de legitimo iuris cogendi, ideoque et puniendi, fundamento confirmetur.

I. Iamvero notandum est duplicem dari distinctam, hac super re, pugnantium aciem: 1° eorum quidem qui autumant *factum socialis* punitionis delinquentium esse tantum effectum consequentem *ex facto* collisionis inter societatem et individuum (schola criminalis positiva); 2° atque eorum qui profitentur socialem auctoritatem, in puniendo, vero et proprie dicto *iure* uti, quamvis huius theoriae (*schola classica*) asseclae in diversas abeant sententias, cum quaerunt unde ius istud promanet.

1° *Scholae criminalis positivae* dogma est liberum arbitrium, ex quo actionum imputabilitas descendit, esse negandum, et crimen habendum esse tamquam effectum constitutionis physiologicae hominis, attentis etiam socialibus condicionibus in quibus homo vivit. Igitur imputabilitas non admittitur et conceptus culpae moralis denegatur.

[1] Cfr. Roberti, *De delictis et poenis,* vol. I, Pars I, § II, p. 33 ss.; Latini, *Iuris criminalis philosophici summa lineamenta,* Romae, 1924; Haus, *Principii generali di dir. pen.,* Napoli, 1877; Carrara, *Programma del corso di diritto criminale,* Lucca, 1871.



Actio autem socialis comparatur cum actione individuali, quare, sicut homo individuus, proprio unusquisque modo actus repellit sui ipsius conservationi contrarios, ita, mediantibus poenis, societas.

Factum irrogationis poenarum igitur esset effectus *luctae pro existentia* et medium praeservationis a malo quod nocere potest organismo sociali.

Haec doctrina, tamen, facile falsitatis evincitur: 1° eo quod nitatur *falso supposito,* seu denegatione liberi arbitrii, et 2° quia neque *experientia,* cui asseclae huius scholae se totos inniti gloriantur, typum delinquentis nati invenire valuit.[1]

2° Inter asseclas vero *scholae classicae,* primum quidem disputatum est an ius puniendi in societate originarium vel devolutum sit.

Qui societatis civilis originem ab hominum pacto sociali repetunt (Rousseau, Hobbes, Beccaria, etc.) omnem etiam potestatem, ideoque et puniendi ius, ex hominum pacto seu *cessione* repetunt; in societatem enim dicunt singulos ius puniendi transtulisse, vel se poenis subeundis submittere spopondisse, ex necessitate pacem et securitatem tuendi. Cum enim non alia praeter poenas, foret aptior atque efficientior ratio securitatem adsequendi, ab hominibus in civili statu quaesitam, arguunt socios, expresse aut saltem tacite, consensisse ut eae statuerentur et infligerentur.[2] Quod falsum esse patebit ex dicendis de origine societatis civilis.

II. Remanet, igitur, quod societas in delinquentes animadvertere possit vero iure sibi proprio seu *originario,* quod videlicet promanat ex eodem iure quo orta est societas.[3]

Et quidem ratio ultima seu fundamentum istius iuris puniendi non est repetendum ex kantiano *imperativo categorico,* quasi pu-

[1] Latini, *Iuris criminalis philosophici summa lineamenta,* p. 7 et ss.; Cathrein, *Moralphilosophie,* II, p. 709 ss.

[2] Renazzi, *Synopsis Elementorum Iur. Crim.,* lib. II, p. 62; cfr. etiam Beccaria, *Dei delitti e delle pene,* 1764.

[3] Pii XII Alloc. VI Conventui internationali de iure poenali, d. 3 oct. 1953 (*A. A. S.,* vol. 45, pag. 743); Graneris Iosephus, *Philosophia iuris,* I, De notione iuris, Torino, 1943; *Contributi tomistici alla filosofia del diritto,* Torino, 1949.

http://www.obrascatolicas.com

nitio unice inferri deberet quia crimen patratum est, praecisione facta a quolibet fine qui non sit mali expiatio, criminis vindicta: idest *quia malum meretur malum,* vel quia, iuxta Hegel, negatio destrui debet negatione (*theoria iustitiae*).

Nam si ista esset ratio et fundamentum inferendarum poenarum, functio punitiva, in humanis, omnino deficiens esset. Tunc enim iusta poenarum mensura unice esset *talio;* de facto, autem, aequalitas inter crimen et poenam raro in humanis attingi potest: auctoritas humana, enim, mala moralia malis physicis tantummodo retribuit; neque ceterum, actus criminosi malitia moralis, quae a conscientia individuali tota dependet, exterius plene cognosci potest. Insuper malum, etiam physicum, numquam potest esse finis in se, sed solum permitti ut medium ad aliquod bonum seu finem honestum.

**39.** Igitur bonum aliquod debet esse ratio et finis unde habetur legitimum fundamentum iuris puniendi; et merito theoria iuridica istud ponit in necessitate conservationis et ordinatae gubernationis societatis, pro efficaci consecutione finis seu boni communis: ad hoc sane requiritur ut omnis deordinatio de medio tollatur, seu oportet formidatam laesionem impedire, illatam reparare. *Tuitio* enim *antecedens* (ne ordo laedatur), obtinetur exemplaritate, deterritione et emendatione, quam poenae procurant; *tuitio* vero *consequens* (ut ordo laesus restauretur), obtinetur non solum rei emendatione sed etiam, et primario, criminis vindicta et iustitiae victoria quae publicam fiduciam et tranquillitatem restituit. Hinc patet civilis punitionis *causam* esse actionis criminosae socialem iniustitiam, *finem* vero esse ordinis publici restaurationem, *mensuram* autem esse damnum sociale, seu quantitatem socialis deordinationis per delictum causatae. [1]

**40.** Primum igitur sub potestatem coactivam cadunt ii et actiones eorum qui *malitia* aut contumacia sua socialem ordinem perturbant.

[1] CATHREIN, op. cit., II, pp. 709, 716; LATINI, op. cit., p. 42.



Hac in re notare pro nostro studio utile erit:

*a*) ad crimen non pertinere, ut patet ex dictis, actionem quae a libera voluntate non dimanat, neque actionem quae ordinem socialem, idest finem et oeconomiam mediorum non turbat, licet alio sub respectu prava sit; neque peccatum tacita mentis cogitatione patratum, licet aliqua ratione in lucem veniat, dummodo de societate non agatur ad cuius finem pertineat *etiam privata* uniuscuiusque institutio;

*b*) Propagationem doctrinae, quae tendit ad laedendum ordinem socialem, esse verum delictum; ita etiam dicendum de conatu externo ad crimen, cum tranquillitatem socialis ordinis turbet;

*c*) **Poenam** idest *malum sensibile, ad normam legis a publica auctoritate inflictum, propter ordinis perturbationem in societate per delictum inductam,* [1] nihil aliud esse nisi medium ad conservationem et restaurationem ordinis obtinendam; et in hoc fine poenarum adaequato et ultimo, alios fines speciales et proximos contineri, videlicet *praeservativum, emendativum, expiatorium* et *exemplarem.* Patet autem, ex diversitate ordinis et finis socialis pendere diversos modos quibus ipse ordo socialis turbatur et vicissim reparatur, ideoque diversitatem praestantiae inter fines poenae. De se, tutela ordinis socialis secumfert ut, ex finibus poenae expiatorius seu vindicativus sit praecipuus et magis directus et obiectivus. Emendatio autem rei non est finis poenae primarius et directus, nisi societas sibi proponat bonum singulorum quoque, simul cum bono publico, ut proprium et directum finem; quare in Ecclesia, quae finem immediatum habet etiam bonum privatum, seu singulorum sanctificationem, emendatio rei in poenarum medicinalium irrogatione primario intenditur. [2]

**41.** Sub potestatem coactivam cadunt etiam *actiones quae ex vitio naturae procedunt.* Tales sunt actiones quae ab ho-

[1] Est igitur de ratione poenae ut sit malum aliquod afflictionis vel privationis, illatum propter aliquam *culpam;* unde definitio GROTII (*De iure belli et pacis,* lib. II, c. 20, 1): *malum passionis ob malum actionis.* Cfr. etiam S. THOM., I, II, q. 46, a. 6 ad 2 et *De malo,* q. I, a. 4.

[2] OTTAVIANI, *Institutiones,* vol. I, p. 341 ss.

http://www.obrascatolicas.com

minibus mentis infirmitate laborantibus possunt poni, praesertim si ad reactiones violentas, ut non raro fieri solet, patientem maniacum vel furiosum morbus rapiat.

Potest autem ipsum consortium vitae (convivenza) cum quibusdam personis morbo contagioso affectis, ita in damnum sociale cedere, ut horum libertas agendi aut in aliquibus locis manendi etc., iure sociali coarctari valeat.

Tamen, circa haec omnia quae ex vitio naturae procedunt, alio sub respectu ac circa delicta, coactio exercetur: videlicet non ut puniantur, sed ut praecaveantur. Hinc extraordinariam tantum praebent materiam potestati coactivae.

**42. Coactivae potestatis functio praeventiva - Ius censurae.** Demum illae actiones quoque coërceri possunt quae, propter specialia adiuncta, iustum praebent timorem damni socialis secuturi. Hinc *ius politiae* quo, pro regiminis socialis necessitatibus, praeventionis titulo iustis de causis, publici conventus multitudinis, armorum delatio etc. inhiberi possunt. Specialiter autem ad praeventionem spectat *ius censurae,* circa quod pressius consideranda sunt quae sequuntur.

I. Quoniam potestatis executivae ratio et fundamentum est tuitio ordinis socialis, ad perfectiorem iuris cogendi usum maxime pertinet ut ordinis perturbationes potius praeveniantur quam reparentur; melius enim est si iuris laesiones non habeantur, quam ut iura laesa restaurari debeant, monente Leone M. « *cautius usurpationibus antequam tententur obsistere, quam quae usurpata fuerint vindicare* ». [1]

1° Etenim, dantur quaedam bona, sive privata sive socialia, quae, semel laesa, vel restaurari nequeunt vel saltem nonnisi magna cum difficultate. Prioris speciei sunt v. g. vita adempta, membra mutilata, maxime vero innocentia animae amissa; alterius vero speciei sunt v. g. honor laesus ex libello famoso, pax inter cives ex odio factionum turbata, magna damna privatis vel publicis bonis illata e populi tumultu, vel ex actione dolosa unius pauperis, etc.

[1] *Epist. I ad Metrop. Illiriae,* M. L., 54, 615.



2° Ceterum, etsi ordo publicus materialis pluribus in casibus restaurari possit, manet semper fuisse laesum ordinem moralem publicum: igitur maxime interest hanc quoque laesionem impedire cum bonum morale excelleat inter bona cuiusque societatis.

3° Est igitur **ius praeventionis** *munus praecavendi et impediendi crimina, omnesque ordinis perturbationes, praedispositis rite coactivis mediis.* In societate perfecta autem, ut efficaciter ius istud exerceatur, practice organum quoddam instituitur peculiare, cui munus competat investigandi, detegendi et coërcendi quae cuilibet malo externo, seu ordinis socialis perturbativo, ordinentur aut eidem occasionem dent.

II. Ad actionem praeventivam pertinet praesertim **ius censurae,** ad *impediendam pravae doctrinae propagationem.* Cum enim doctrinis informentur mores, patet societatis maxime interesse ne errores diffundantur. Si enim socii erroribus assenserint, certum est fore ut, data occasione, iuxta errores agant, ideoque causae multiplicentur laesionum ordinis socialis.

Et quoniam modus obvius propagationis doctrinae est praesertim per ephemerides, diaria et libros, sequitur inde ius esse in societate *exigendi ut praeventivo examini auctoritatis publicae subiiciantur scripta, antequam typis edantur:* neque enim populus universim ad trutinam falsas doctrinas et periculosas notitias revocare valet, cum sit vulgus « vacuum curis, et sine falsi verique discrimine, solitas adulationes edoctum ». [1]

Hinc patet quid respondendum sit obiicientibus, contra ius censurae, errorem rationibus esse vincendum, ut decet naturae

[1] Tacitus, *Historia,* II, 90; eadem fere iam Cicero, *Pro Plancio,* « non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia ».

http://www.obrascatolicas.com

humanae dignitatem. Equidem in ordine ad scientiam, rationibus utique, tamquam mediis proportionatis, contra errores pugnatur: immo debita veritatis cognitio per scientiam vel revelationem comparata, est velut necessarium praesuppositum pro legitimo exercitio iuris censurae;[1] sed cum agitur de ordine sociali servando, non semper media doctrinalia, seu mere scientifica, sunt proportionata, quia non omnes pollent ingenio et voluntate immuni a quavis prava inclinatione, ita ut erroris propagationi sit iam de se efficaciter praeclusa via.

**43. De vi armata.** – Ut efficax habeatur exercitium potestatis coactivae, requiritur in societate perfecta *vis armata*, seu *organum potestatis, mediis materialibus praeditum ad vim physicam, externam et publicam hominibus inferendam.*

1. Vis armata sic appellatur, quia media materialia quibus agit generatim sunt arma, quorum delatio et usus opportune committitur determinatis personis ad normam legis, et sub auctoritate superiorum exercendus.

2. Vis armata adhiberi potest tum contra hostes internos socialis ordinis, tum etiam, et multo magis, ad tuendam ipsam societatis existentiam adversus hostes externos. Sicut enim individuo, ita et societati, vim vi repellere competit.

3. Verum potest vis armata haberi *mediate* et *immediate*. Vim armatam immediatam habet qui propriis organis pollet, quibus directe utitur ad coactionem exercendam; vim armatam mediatam vero habet qui propriis organis quidem non pollet ad violentiam inferendam, sed tamen uti potest necessario ministerio vis armatae alterius societatis.

[1] Si igitur obiicitur ius censurae adhibendum non esse eo quod auctoritas socialis errare possit, conclusio quaedam ponitur latior quam praemissa. Profecto, si agitur de auctoritate *fallibili*, sequitur tantum ab hac non posse aliquid exigi quod non sit evidens sensui communi, saltem peritorum; itemque socialem auctoritatem teneri subiicere se auctoritati infallibili: «Dal che apparisce quanto ragionevolmente negli Stati cattolici la censura venga affidata o almeno assoggettata a chi è reputato organo della verità, alla Chiesa e a chi ne conosce a fondo e ne riverisce l'insegnamento», TAPARELLI, *Saggio di dir. nat.*, n. 902. In eodem loco (nn. praec.) idem Auctor egregie disserit de iure censurae eiusque limitibus in societate naturali; cfr. etiam CAVAGNIS, *Institut.*, Romae, 1906, vol. I, p. 71; AUDISIO, *Iuris naturae et gentium fundamenta*, lib. III, tit. VIII, nn. 12-13.



Tunc dici solet etiam vim armatam possideri virtualiter cum adsit ius obligandi eam societatem quae immediate habet vim armatam, ad eam adhibendam in ministerium prioris societatis. Hoc ius in societatibus paribus potest oriri *ex pacto*, in societatibus vero imparibus etiam titulo *suprematiae* quae habetur in societate ordinis superioris. Ex quo patet nullam dependentiam fluere huius societatis ab altera, si vis armata ita mediate seu virtute habetur, ideoque nullimode minui perfectionem iuridicam eiusdem societatis; cum enim iure *exigere* possit ab alia societate usum vis armatae in sui favorem, adest mera dependentia facti, qualem habet etiam rex a subditis, dominus a servis, et anima a corpore.

Quod si societas obligata id quod debet non praestat, iniuria agit, et damnum quod inde obveniet alteri societati vitium aliquod facti constituet, quod nullimode tangit eius condicionem iuridicam. Ceterum istud vitium facti posset haberi etiam si societas superior esset armata, sed minus quantitative quam inferior, quae ei forte opponatur.

## TITULUS III

## DE RELATIONIBUS IURIDICIS SOCIETATUM PERFECTARUM

### ARTICULUS I

### Praenotiones iuris publici externi

**44. Iuris publici externi obiectum.** – Relationes iuridicae quibus ad invicem ligantur societates, considerari possunt vel quatenus intercedunt *inter societates perfectas*, vel prout intercedunt inter societates quarum una sit perfecta

http://www.obrascatolicas.com

et alia imperfecta, vel demum quatenus existunt inter societates imperfectas. Sermo noster heic restringitur solummodo ad primum casum, seu ad relationes inter societates perfectas: *indirecte* autem et per consequens, in principiis iuridicis circa has relationes, expenduntur etiam alii casus, qui ad primum tandem reduci possunt.

*Societates imperfectae enim referuntur ad societates extraneas mediante sua societate perfecta homogenea, cuius iurisdictioni addictae sunt.*

**45. Societatum distinctio materialis, seu numerica, et formalis seu specifica.** – Societates perfectae duplici ex capite inter se distingui possunt: 1° ratione *finis,* 2° ratione membrorum; et quidem tum ex uno, tum ex alio capite, seorsim, tum demum, 3° ex utroque capite simul.

1. Possunt, enim, ante omnia, societatum perfectarum coexistentium esse *eadem membra,* et distinctio inter societates haberi potest propter *diversitatem finis* ipsarum. Tunc, sane, quamvis collectio illorum hominum, materialiter considerata, unitatem dicat, formaliter tamen inspecta (seu prouti homines qua membra socialia considerantur), ideam pluralitatis prae se fert: quia eorumdem hominum unio, considerata ut tendens in unum finem, differt, specie vel natura, ab ipsorum unione qua, eodem tempore, tendunt, diversis mediis et diversa organizatione, ad alium distinctum finem.

Dicuntur igitur **formaliter** tantum distinctae eae societates quae *iisdem quidem coalescunt membris, finem vero diversae naturae seu speciei habent.* Dicuntur etiam *specifice* et non numerice distinctae. Tales sunt v. g. Ecclesia et societas civilis in Statu Catholico.

2. Sed societates multiplicantur etiam ratione *membrorum:* id contigit cum socii unius nullo modo sunt alteri adscripti, quamvis finis idem sit praestitutus in utraque societate. Haec distinctio dicitur numerica seu *materialis* quia desumpta est ex multitudine, idest velut ab elemento materiali societatis.



Diversae autem numerice multitudines tunc dicuntur, cum sub diversis supremis auctoritatibus, inter se independentibus, ad finem tendunt: quia tunc propriis legislationibus, velut sociali motu numerice diverso, ad finem diriguntur.

Dicuntur igitur **materialiter** tantum distinctae societates quae *finem quidem eiusdem speciei habent, membris vero diversis, sub distincta auctoritate coadunatis, coalescunt.* Dicuntur etiam *numerice* et non specifice distinctae.

Ita, Status sunt numerice distinctae societates civiles, seu societas civilis est una specifice, et numerice multiplex. Quamvis enim homines in genere, naturali iure praevalente, ut propriae insufficientiae consulant, civilem societatem ingredi teneantur, non iubentur tamen unicam huius speciei societatem efformare, immo, inspectis humani generis condicionibus, id perdifficile de facto haberi posset; merito namque notat Heffter, [1] Status ex sua diversitate maxime derivare vim exercendi in actum, constanter et regulariter, proprias activitates et nativas facultates, dum, e contra, Status quidam universalis, si unquam exurgere posset, vix duraret, propter interiores luctas elementorum nationalium. [2]

3. Si demum societates distinguuntur tum ratione finis

[1] Heffter, *Le droit international moderne de l'Europe,* Berlin, 1885, § 15.

[2] Verum si agitur de Foederatione Statuum, prout nunc viget in America Septentrionali, optabilis omnino videtur etiam in Europa talis unio, quae religionis, stirpis, linguae cuiusve populi legitimas exigentias salvet, conciliatas cum bono politico et oeconomico totius Communitatis Statuum, praesertim ad pacem servandam. Qua in re prae oculis habenda est oratio Summi Pontificis Pii XII *Ci riesce,* habita die 6 decembris 1953 (*A. A. S.*, vol. 45, p. 794 ss.).

http://www.obrascatolicas.com

tum ratione membrorum, eae dicuntur *materialiter et formaliter* simul distinctae.

**46.** Corollaria. I. *Societates perfectae formaliter distinctae necessario sunt* **impares.**

*Societates enim sunt ut fines* (p. 14): ubi igitur deficit finium paritas, ibi est societatum respectivarum imparitas. Porro fines specifice distincti societatum perfectarum, re, duo tantum sunt, *spiritualis* videlicet et *temporalis*, et hi quidem diversum gradum habent, seu supernaturalis omnino praestat fini boni completi temporalis.

Itaque, societates huiusmodi finem diversum habentes, diversum et ipsae habent gradum et praestantiam, ita ut, ex his, una sit necessario maior seu *superior*, et altera *inferior*.

II. *Societates perfectae materialiter tantum distinctae* pares *omnes sunt*.

Hoc patet ex dictis sub n. I. Posita enim finium aequalitate ut habetur in societatibus quae finem eiusdem speciei habent, condicio iuridica societatum nequit diversa esse, ex diverso numero sociorum. Hinc nationes omnes, sive parvae sive magnae illae sint, paribus iuribus fruuntur in relationibus quas ad invicem habere possunt, spectatis principiis iuris internationalis, [1] et praecisione facta a specialibus condicionibus in quibus versantur *per accidens*, vel ab obligationibus pacto susceptis.

---

[1] Ita, duo Status, licet magnitudine, opibus et subditorum numero omnino alter alteri praestet, « sono uguali fra di loro nel senso che sono tutte persone o subietti di diritto internazionale, e possiedono quindi una somma di doveri e di diritti da farsi valere eventualmente nei loro rapporti reciproci aventi ad unico supposto l'esigenza dello Stato medesimo, astraendo da qualsiasi altra considerazione. In ciò non differiscono punto fra loro la Russia e la Repubblica di S. Marino ». Olivi, op. cit., § 17, p. 137; cfr. Heffter, op. cit. § 26 ss.

Propterea admitti nequeunt theoriae inde a primo conflictu mundiali prolatae quaeque in dies succrescunt, Status non omni sub adspectu aequales esse, sed secundum vim et momentum numericum et oeconomicum dimetiendos; ita theoriae de subordinatione oeconomica Status inferioris Statui superiori, ut nationalis socialismi asseclae in Germania sustinuerunt, et, post secundum bellum mundiale, potestas tributa Consilio « Veti », ut dicitur, in nova Nationum Societate (Uno), decernendi de quibusdam maximis quaestionibus aliorum Statuum.



III. *Societates formaliter et simul materialiter distinctae dantur quidem de facto, quamvis iure talis distinctio non deberet esse.*

Quod dentur de facto, constat ex eo quod adsunt plures populi quorum subditi nullimode sunt membra Ecclesiae; nam prima fronte apparet, v. g. Turcarum rempublicam *materialiter* et *formaliter* distingui ab Ecclesia; materialiter quidem, quia populus idolorum cultui addictus, cum nondum verae fidei adhaeserit et lavacro regenerationis sit ablutus, Ecclesiae corpori extraneus est; formaliter vero, quia societas civilis illius populi finem habet distinctum a fine Ecclesiae.

Quod autem iure simultanea illa distinctio non deberet existere, constat ex iuris divini dispositione qua omnes homines tenentur in Ecclesiam ingredi, quae est omnibus *necessaria*.

**47. Status concordiae et status conflictus.** – Relationes iuridicae societatum perfectarum aliis atque aliis principiis reguntur, prout societates ipsae in statu concordiae vel in statu conflictus versantur.

Societates sunt **in statu concordiae** cum activitas unius optime conciliari potest cum activitate alterius, ita ut interesse, seu commoda et utilitates, utriusque societatis ad invicem non opponantur.

Sunt vero **in statu conflictus** cum iura et activitates unius societatis simul componi nequeunt cum pleno exercitio iurium et activitatum alterius societatis, ita ut, ex his, una alteri cedere debeat, seu ius agendi alterutrius limitari debeat quantum exigit bonum alterius societatis. Notetur tamen:

1° agi de conflictu *iuridico* seu necessario, et non de illo qui oritur per accidens, seu de facto, et ex prava hominum voluntate. Sic, conflictus qui oritur inter Ecclesiam et Statum, eo quod v. g., Status sibi addicit Ecclesiae bona ea usurpando, est conflictus non inter *iura* Ecclesiae et *iura Status*, sed est lucta moralis inter ius et iniuriam;

http://www.obrascatolicas.com

2° agi de conflictu *particulari,* seu limitato ad quaedam negotia, videlicet ad nonnulla bona, ad certas obligationes et determinata iura.

Igitur conflictus iuridicus intelligitur qui *nec generalis* est (involvens videlicet sortem totius boni, totius vitae socialis) *neque insanabilis* (qui nempe necessario requirat sacrificium totale alterutrius societatis). Nunquam enim verificabitur casus in quo bonum unius societatis perfectae requirat exitium alterius societatis perfectae, nisi id iniuria, ex prava voluntate, procuretur. Sic Ecclesiae bonum nunquam requiret interitum alicuius Status: imo, neque conflictus armatus inter Nationes talis unquam erit iuridice, qui per se unice possit solvi cum necessario alterius Nationis interitu. [1]

Equidem, speciatim quod attinet ad societates *formaliter tantum distinctas,* manifestum est earum iura, pro finis socialis consecutione, causam esse plurium et distinctarum obligationum in eisdem subditis inhaerentium. Iamvero, obligationes quae eidem subiecto eodem tempore inhaerent, possunt plerumque tales esse quae simul coexistere et adimpleri valeant, in nonnullis vero oppositae esse possunt, seu mutuo sese elidentes: hic est casus conflictus.

Iamvero, leges quibus huiusmodi obligationes oppositae imponuntur, versari possunt circa obiecta vel *necessaria* vel *utilia* fini. Si versantur circa utilia, ex conflictu, finis socialis non periclitatur, quia alia utilia quaeri possunt, aliisque remediis compensatio facile obtinebitur. Si vero versarentur circa necessaria, tunc utique solutio alterutrius obligationis oppositae impediret finem alterius societatis; verum, haec secunda hypothesis, ex rerum natura, seu praescindendo a malitia hominum, nunquam deberet verificari: ratio est quia bona quae constituunt finem societatis *temporalis* sunt divisibilia et semper compensabilia; hic si finis impeditur, impeditur *quoad bonum aliquod particulare,* quod compensari potest et debet; et sic solvitur conflictus cum altera societate ordinis spiritualis.

[1] Anteactis temporibus, saepe, bellum consequebatur incorporatio *totalis* territorii Status victi ex parte victoris. Id autem non consequebatur ex eisdem exigentiis iuridicis quae conflictui causam dare potuerunt, quibus, per se, satisfieri poterat praebendo debitas reparationes, praestationes, etc. Ceterum, praesertim in antiquitate, incorporatio Statuum post bellum erat actus praepotentiae fortioris in debiliorem.

De casu gentis barbarae quae viam civilis progressus praecludat, cfr. Contuzzi, *Dir. internaz. pubbl.*, p. 251, n. 152.



## Articulus II

### Relationes societatum perfectarum in statu concordiae

**48. Principium I.** – In statu concordiae: A) *Omnes societates tenentur officio negativo iustitiae, quatenus una non debet aliam impedire;* B) *item, omnes tenentur officio positivo charitatis, ut auxilium mutuum sibi praestent.*

Principium, potius quam demonstratione, simplici quadam declaratione eget.

*A*) 1. In iis rebus, enim, in quibus finis consequendus postulat talia media, quae optime stare possunt cum libera activitate alterius societatis sive materialiter sive formaliter distinctae, irrationabiliter socii ita dirigerentur in finem ipsum, ut impedimenta ponant alteri societati; quemadmodum contra rectum rationis ordinem est, impedire, absque ulla necessitate, aliquod bonum, praesertim si sit lege praeceptum.

Iamvero in hypothesi facta, seu in statu concordiae, una societas finem suum optime assequi potest iis mediis quae non impediunt alterius societatis activitatem, idest ubi nulla *necessaria* collisio adest; ergo, sequitur adesse obligationem iuridicam iisdem tantummodo mediis utendi, quibus et bonum societatis propriae procuratur, et aliarum societatum bonum non impeditur.

http://www.obrascatolicas.com

2. Eo vel magis autem id urgendum est, ubi agitur de societatibus *formaliter* tantum distinctis, quarum nempe subditi iidem sunt, fines vero prosequendi diversi. Equidem, in casu concordiae, supponuntur socii ligati duplici genere seu ordine obligationum, pro consecutione duplicis finis.

Quae obligationes, in nostra hypothesi, conciliabiles sunt, ideoque adimplendae simul, cum nulla sit ratio unius vel alterius excludendae.

Iamvero, rectus rationis ordo postulat ut obligationes, quousque conciliari possunt, *omnes* adimpleantur.

Ita v. g. Status qui militibus exercitia militaria, vel discipulis scholas et gymnastis instructiones physicas obligatorie imponat, in illis dierum festivorum horis in quibus essent officia sacra adimplenda, irrationabiliter — deficiente vera necessitatis causa — impediret bonum aliquod spirituale quod Ecclesia pro iisdem subditis curat. [1]

Uterque finis namque (institutionis civilis subditorum et sanctificationis eorumdem diebus festivis fovendae) optime conciliari possunt; hac in re status concordiae est naturalis, et iniuste impedimenta crearentur activitati spirituali Ecclesiae.

Hinc legislator quilibet curare debet quod leges ita condantur, ut, si socii alligantur vinculis iuridicis alterius societatis, conflictus non creentur, in iis praesertim in quibus, suapte natura, concorditer agi potest. V. g. kalendarium civile deberet, quoad dies festos, convenire cum kalendario ecclesiastico; facile enim commoda et necessitates utriusque societatis, his in rebus,, conciliari possunt. Idem dicendum de legislatione scholastica in qua *conciliari debent* necessitates Status cum iuribus familiae et Ecclesiae. [2]

[1] Et quidem positio impedimenti, irrationabilis est quousque non intercedat causa, seu ratio necessitatis; nam sicut dantur pro privatis causae excusantes seu eximentes a lege ecclesiastica, ita etiam ratione boni communis civitatis. Sic, in exemplo allato, possunt *necessitate belli*, talia impedimenta iustificari.

[2] Unde Pius XI, haec de Germaniae politica scholari sub nationalsocialismo: « Il credente ha un diritto inalienabile di professare la sua fede, e di praticarla in quella forma che ad essa conviene. Quelle leggi che sopprimono o rendono difficile la professione e la pratica di questa fede, sono in contrasto col diritto naturale.

« I genitori coscienziosi e consapevoli della loro missione educativa, hanno, prima di altro, il diritto essenziale all'educazione dei figli, donati loro da Dio, secondo lo spirito della vera fede, e in accordo con i suoi principii e le sue prescrizioni. Leggi o altre disposizioni le quali non tengono conto nella questione scolastica della volontà dei genitori o la rendono inefficace con le minacce o con la violenza sono in contraddizione col diritto naturale e, nella loro intima essenza, immorali.

« La Chiesa, la cui missione è di custodire e interpretare il diritto naturale, non può far altro che dichiarare essere effetto di violenza, e quindi, prive di ogni valore giuridico, le iscrizioni scolastiche avvenute, in un recente passato, in un'atmosfera di notoria mancanza di libertà ». Litt. Enc. *Mit brennender Sorge*, 14 martii 1937 (versio ital. in *A. A. S.*, vol. XXIX, p. 182).

[1] Non licet igitur alicui societati rem facere aut exigere, pro subditis suis, ex qua descendat damnum alienae societatis quacum status belli non viget. « Dal che apparisce quanto rettamente venga dal Grozio vituperata la dottrina... che permette il muover guerra ad un popolo soltanto perchè prospera e cresce ». TAPARELLI, *Saggio di diritto naturale*, n. 1252.

Ille autem *egoismus* statalis seu *politicus*, iam proclamatus a Bismarck etiam ut *ratio* belli et ad nostra quoque tempora productus et ingravescens atque ab aliis viris politicis ut norma agendi assumptus, omnino reprobandus est.





Pariter inter duas societates materialiter tantum distinctas, ut sunt duo Status, bonum progressus civilis simul foveri potest, quin timeatur ne bonum unius Nationis aliquid detrimenti patiatur ex ordinata activitate alterius societatis pro bono suorum subditorum. Iniuria igitur quaedam Natio ageret, si interveniret in negotiis internis aliarum Nationum, putans necessarium pro bono suorum subditorum deprimere opes, pacem, progressum apud exteros, ne videlicet aliae nationes floreant vigeantque. [1]

*B*) Ad secundam partem principii quod attinet, praenotandum est non agi ibi de relationibus vere *iuridicis:* sermo enim est de officio positivo *charitatis*. Enunciatur autem ad respuendum errorem eorum qui autumant inter societates non dari nisi relationes quae iustitiae titulo nitantur, ac de cetero principium proclamant « *non interventus* ».

1. Siquidem charitas omnes ligat, sive personas phy-

http://www.obrascatolicas.com

sicas sive morales, tum pares tum impares. Unde posito quod uni sit necessitas, alteri vero auxilii praestandi facultas, exurgit officium charitatis, indigenti succurrendi. Quod sane frequentius afficit potentiores cum debiliores potius in necessitate inveniri contingat quam in condicione aliis subveniendi.

2. Officium autem istud, ut patet, eo vel magis intercedere constat inter societates *formaliter tantum distinctas*, quod in iis, membrorum ratione, quaedam colligatio ita intercedat necesse est, ut indigentia et damnum unius societatis alteram quoque tangat, cum afficiat eadem ipsa membra alterius societatis.

3. Quod si agatur de *societatibus materialiter distinctis*, hae quidem sunt extraneae ad invicem ratione membrorum, imo etiam attento fine speciali, seu bono individuali, verum numquam sunt extraneae ratione humanitatis.

**49. Principium II.** – *In statu concordiae, inter duas societates formaliter distinctas* A) *inferior tenetur positive inservire superiori;* B) *haec vero tenetur auxilium ferre inferiori solummodo in quantum id necessarium sit ad consulendum proprio fini.*

Praenot. 1. Considerantur in casu societates impares, ideoque solummodo societates *formaliter* tantum distinctae (v. p. 76); societates namque materialiter tantum distinctae pares sunt, ideoque de ipsis hoc principium enunciari nequit, quod supponit societatum imparitatem.

2. *Positive inservire* significat nedum societati superiori impedimento non esse, sed insuper ea ipsi praestare quae necessaria sunt ad eiusdem finem, et in ceteris rebus eam adiuvare.

*A*) Societatem inferiorem inservire debere superiori, probatur tum ratione finis, tum ratione membrorum.



1. Omnes *fines* ita sunt inter se colligati, ut inferior ordinetur, saltem indirecte, ad superiorem, et per hunc ad supremum.

Itaque, qui habet obligationem ad finem inferiorem, habet obligationem *in finem ordinatum ad alium finem superiorem;* ideoque media collata ad consecutionem finis inferioris debent, tandem aliquando, sive directe sive indirecte, inservire ad consecutionem finis superioris. Et integra societas, quae non est nisi medium propter finem, inservire debet etiam ad finem superiorem: si quid igitur pro hoc fine necessarium est, quod habetur in societate inferiori, ista, ut rectam servet ordinationem sui finis, debet illud conferre in bonum societatis superioris.

2. Praeterea, in duabus societatibus formaliter tantum distinctis, *membra* sunt eadem: ideoque ipsi homines qui tenentur obligatione conferendi media necessaria ad finem societatis inferioris, iidem tenentur conferre media etiam ad finem societatis superioris. Itaque haec societas, pro suo bono, id potest exigere quod praesto est in societate inferiori, seu quod sibi debent subditi sui et ab ipsis possidetur quatenus sunt collecti in inferiori organizatione.

*B*) Societas superior tenetur etiam officio charitatis sicut supra dictum est (p. 82) ad adiuvandum inferiorem in necessitate positum, quotiescumque id praestare valet; verum datur etiam casus in quo exurgit vera obligatio iuridica, ut enunciatur in hac II parte.

*Officium iuridicum* iuvandi *inferiorem* societatem datur cum huius necessitas tangit ipsum bonum societatis superioris. Ratio autem obligationis quae tunc exurgit, evidens est: namque societas superior prospicere debet suo fini; et in hoc casu, cum medium proportionatum sit in auxilio praestando societati inferiori, hoc auxilium fit obligatorium sicut omnia alia media necessaria proprio fini.

http://www.obrascatolicas.com

Ut patet, si hoc officium ligat societatem superiorem erga inferiorem, *a fortiori* obligare potest *societates pares*. Sic Taparelli examinat casum interventus necessarii unius Nationis in alteram, perturbatam a falsis principiis, et turbarum commotionibus nimis agitatam, ubi probabile est periculum propagationis perturbationis in proprio territorio.

Ecclesia, vero, in multis saepe adiuvare societates civiles pro ipsarum bono temporali sollicita fuit, cum merito timendum esset ne animorum perturbationes propter civilia negotia, in damnum spirituale quoque fidelium cederent.

## Articulus III

### Relationes societatum perfectarum in statu conflictus

**50. Principium I.** – *In conflictu inter societates* **formaliter** *distinctas:* A) **superior,** *seu quae finem altioris ordinis habet,* **praevalere debet**; B) *eidemque competit iudicium ferre de ipsius conflictus terminis et solutione.*

Praenot. 1. Agitur de conflictu *iuridico,* sensu supra explicato (n. 47).

2. Societatum formaliter distinctarum necessario una debet maior esse et altera inferior (n. 46).

*A*) Prima pars probatur ex fine. In iis in quibus viget conflictus inter duas societates formaliter distinctas, habentur duo genera obligationum, in eodem subiecto inhaerentium, quarum solutio simul componi nequit, cum potius solutio unius alterius solutionem impediat, et viceversa. Praevalere igitur debet *potior obligatio.* Potior autem *obligatio in casu est obligatio superioris societatis, quae ad finem praestantiorem* dirigitur seu ad bonum altioris ordinis. [1]

[1] Solieri, *Instit. iuris eccl.*, I, Romae, 1921, n. 154, p. 125; cfr. etiam Cavagnis, *Institutiones,* Romae, 1906, vol. I, n. 180, p. 101, qui merito notat bonum minus, impediens bonum maius esse relative malum: ideo enim ius est prosequendi bona minora quia ducunt ad maiora vel ad ea disponunt; hinc tale ius cessat cessante conciliatione cum maiori bono.



Quidam proposuerunt aliam regulam, videlicet in conflictu duarum societatum iisdem membris coalescentium, *eam vincere debere quae rationem* **necessitatis** *pro se habeat, eam vinci quae ratione tantum* **utilitatis** *fulcitur:* « *Cedant utilia necessariis* ».

Porro si res est de mera utilitate coram alterius necessitate absoluta, ut reapse intelligendum est proverbium allatum, tunc non agitur de regula ad solvendum *conflictum necessarium,* de quo nunc est sermo: in casu enim potius applicatur regula quae enunciat officium negativum iustitiae, quo invicem ligantur societates, ut una alteram non impediat absque vera necessitate.

Si vero utile accipitur pro eo quod ita proportionem habeat ad finem, ut relative necessarium sit, scilicet ad integrandum bonum assequendum, tunc non cedit necessariis alterius ordinis, quamvis magis necessariis, nisi agatur de bono ordinis superioris.

Sed, practice, notandum est quod casus conflictus *necessarii* inter veram utilitatem societatis unius et absolutam necessitatem alterius mere ficticius erit.

Societates enim sunt, ratione membrorum, taliter inter se colligatae ut ex conflictu intestino, qui solvi deberet cum exitio societatis inferioris, certe *non utilitas, sed damnum* etiam superioris societatis sequeretur.

Igitur, praesertim hac in re, habenda sunt prae oculis quae praenotavimus de natura conflictus qui ex rei necessitate, praescindendo a malitia hominum, exurgere potest, inter societates formaliter distinctas (n. 47). — Et sic patet quid respondendum sit contra Schenkl, qui ad praxim Ecclesiae appellat, quae, in mere utilibus, cedit societati civili si eidem necessaria sint; et asserit id tam aequum esse ut potius contrarium sit absurdum: secus enim dicendum esset Ecclesiam ius habere destruendi societatem civilem. Talem praxim Ecclesia tenet praecise ratione sui boni, ad quod maxime confert etiam pax, tranquillitas et felicitas fidelium in bene ordinata societate civili. [1] In omnibus tamen Ecclesia prae oculis habere debet quod praecipuum et omnino praevalens bonum hominum est salus anima-

[1] Rotrodus, Archiep. Remensis, ad Alexandrum III: « Quasi quibusdam sibi invicem complexibus dignitas ecclesiastica et dignitas regia occurrunt, cum nec regia salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia tranquillitatem sine potestate regia consequetur » (M. L., 200, col. 1400).

http://www.obrascatolicas.com

rum; *quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* [1]

In conflictu igitur inter bonum temporale et bonum spirituale, *regula generalis* est istud praevalere debere, illud vero cedere: practice non ita res devenient ut Status ruina unquam sequatur (cfr. n. 47, 2°).

*B*) In *altera parte* principii edicitur iudicium auctoritativum circa conflictum competere societati superiori. Quaestio ad hoc reducitur: dubium posset exurgere, vel disceptatio, circa veram mediorum necessitatem propter finem, quae necessitas forte denegatur a societate inferiori, relata ad obligationes inductas a societate superiori. Iamvero argumentum allatum in prima parte, in tantum valet in quantum adest reapse necessitas vel utilitas mediorum propter finem.

Igitur *iudicium ferre de hac necessitate ipsi societati superiori competit:* primo quidem quia ius disponendi de mediis ad finem includit ius etiam iudicandi de ipsorum idoneitate et necessitate; dein vero quia inferior de rebus ad superiorem societatem spectantibus iudicare non valet.

1. Neque dicatur societatem superiorem, per hoc, iudicare etiam de rebus ad inferiorem societatem spectantibus; *directe* enim iudicium societatis superioris fertur circa res in proprium finem ordinatas, et solummodo *indirecte,* per accidens. ad necessitatem vel utilitatem mediorum societatis inferioris refertur, et quidem sub ratione proprii finis.

2. Posset autem obiici societatem superiorem in hoc iudicio errare posse. Supponitur quidem agi de auctoritate fallibili; quod si haec evidenter erraret, in gravamen inferioris, haec non teneretur stare iudicio illius, quia praeciperet quae ad finem socialem non sunt necessaria (p. 38). In praxi tamen expedit ut societas superior inferiorem societatem audiat.

[1] MATTH., XVI, 26; cfr. quae exponuntur sub nn. 206 ss., de relationibus inter Ecclesiam et Statum.



**51. Principium II. - In conflictu inter duas societates materialiter tantum distinctas,** *neutra est alteri immolanda, sed ex aequo communis utilitas est procuranda.*

Agitur de societate quae est una specifice et multiplex numerice. Plures namque dantur Status qui membris distinguuntur, finem autem eiusdem speciei, seu bonum completum felicitatis temporalis, omnes pariter prosequuntur.

Ratio autem principii enunciati est quia hae societates, pares cum sint, iisdem pollent iuribus, seu neutra iuridice praevalet alteri, ideoque nec una alteri cedere aliquid tenetur de iuribus suis.

Ideo utriusque ius, in quantum fieri potest, conciliandum est, v. g. bona dividendo, si divisibilia, vel compensando. Imo, quamvis ex una parte sit tantum ius putativum, et ex altera ius obiectivum, aut saltem ex una parte sit maius bonum, vel maius ius in conflictu, controversiae solutio, primum omnium, procuranda est mediis pacificis.

Primum igitur contendi debet ut *probetur existentia iuris* quod vindicatur; secundo procuranda est *litis compositio* communi concordia; tertio, antequam bellum indicetur, *media coactiva minoris momenti* sunt adhibenda ubi sperare licet eadem efficacia fore.

Et haec quidem media ad solvendos conflictus omnino adhiberi debent ubicumque iudicari potest ea ita efficacia existere ut, per ea, absque belli ruinis res componi possit. Dantur etiam viae *mediationis, arbitratus,* et *iudicii ad tribunal internationale:* sed haec media, cum agatur de societatibus independentibus et perfectis, sunt quidem ratione humanitatis maxime commendanda, non autem *iuridica* obligatio est eadem adhibendi; [1] vi enim suae independentiae

[1] CAVAGNIS, *Institutiones,* n. 188, p. 104; nisi tamen intercesserit obligatio praevie suscepta.

Nostra aetate plures nationes sponte inter se pactis convenerunt de

http://www.obrascatolicas.com

et perfectionis, societates ipsae supponuntur habere ius sufficiens ad sibi consulendum, ideoque et ad ius suum prosequendum.

Quod autem attinet ad ultimum remedium, seu ad recursum ad arma, per bellum, quod remedium hucusque tam frequenter et tam exitialiter adhibitum est, haec sunt habenda:

**Bellum omnino interdicendum.** – Verum, licet haec omnia ad modum speculativae seu omnino theoreticae dissertationis admitti possint, praesertim si animadvertatur eadem principia respicere proelia quae vere proelia erant inter voluntarios milites pugnantes [1] et non iam temporum nostrodum *ingentia* et belluina excidia cum *totali* ruina nationum proeliantium, dicenda sunt hodie, practice, non esse absque iniuria tum civium tum humanitatis totius amplius ad vitam nationum hodiernarum applicabilia.

Aliis verbis, hodie, nisi agatur de bello defensivo (et quidem sub determinatis condicionibus), quo Status arcere nititur *actualem* iniustam aggressionem bellicam alterius, *non datur amplius iustum bellum quod Statui aggredi liceat ad repetendum ius suum.*

Non quod theorias summorum doctorum iuris internationalis christiani respuamus aut reiiciamus: nam illi loquebantur de re (bello) quae est valde diversa a re (bello) nostrae aetatis; et quidem non in quantum agatur de differentiis tantummodo secundum numerum et quantitatem, sed de vera differentia in substantia rei circa quam principia iuridica adstruuntur.

---

adhibendis pacificis mediis ad solvendas controversias, quae pacta inscripta fuere apud Societatem Nationum.

[1] Equidem hodie maxima fit iniuria civibus qui adstringuntur servitio militari per coactivam conscriptionem, dum prius stipendia merebantur qui tantummodo voluntarie ad arma sumenda accedebant.



Iam Patres Concilii Vaticani, de salute christianarum plebium anxii « potius horribilibus caedibus » quam proeliis iam tunc oppressarum, itemque maxime solliciti quod, causa bellorum, tot quoque animae essent pereuntes ob mala moralia quae praelia comitantur et subsequuuntur, a Summo Pontifice Pio IX petierunt ut necessaria statuerentur quae ad bella vitanda et ad eadem saltem humaniter gerenda, homines inducerent.[1] Ast, insuper:

*a*) ob hodierna adiuncta faciliorum communicationum et studium participandi bona totius orbis, frequentiores sunt nunc causae litigandi;

*b*) caedes de quibus agebant Patres, non afficiunt solos milites, seu exercitus bellatores, sed et populum integrum; [2]

*c*) destructiones patrimonii nationis tales causantur incursionibus aëreis et novissimis horribilibus armis, quae per longum annorum spatium, miseros faciunt populos victos et victores;

*d*) arma quae habentur, talia odia ob illatas innocentibus quoque iniurias excitant quae repressalias semper saeviores provocent, ita ut bella gerantur spretis omnibus iuris gentium legibus et cum atrociori belluina feritate; quam magnum autem sit et irreparabile damnum moribus et lenitati populorum quod exurgit ex schola odii et cladium quae vocatur « bellum » patet etiam ex criminibus quibus scatet tempus bello subsequens;

---

[1] Iam enim tunc — cum nondum patrata essent ingentia scelestia bellica saec. XX, — ita describebant rationes et effectus conscriptionis obligatoriae, et praeliorum: « Intoleranda prorsus facta est praesens mundi conditio propter exercitus adeo ingentes, perpetuos ac sorte conscriptos. Sumptibus gravati gemunt populi. Impietatis spiritus, legumque in rebus internationalibus oblivio faciliorem omnino viam aperiunt bellis inchoandis illegalibus et iniustis, *seu potius horrendis caedibus longe lateque grassantibus.* Hinc imminuta pauperum subsidia, fractaque commercii ratio, *hinc humana conscientia* vel devia penitus et aberrans, vel indigne laesa, purimaeque tandem animae pereuntes... ». Acta et Decreta Sacr. Oecumenici Concilii Vaticani, vol. VII, *Collectio Lacensis*, col. 861-866, Friburgi Brisgoviae, Herder, 1890.

[2] Eo vel magis quod per conscriptionem obligatoriam generalem (*lévée en masse*) et per iniunctionem civibus factam organizandi internam defensionem et resistentiam, belligerantes iam amplius nolunt distinguere inter milites et cives, et omnes habent ut offensioni obnoxios tamquam indiscriminatos bellatores.

http://www.obrascatolicas.com

*e*) ob connexionem et ligamen hodiernarum relationum inter gentes in orbe qui nunc quasi angustus et parvus habetur, proelia extenduntur per universum fere mundum;

*f*) arma secreta talia parari possunt quae, utpote non praevisa, evertunt et fallacem reddunt quamcumque praevisionem illius regiminis quod putat bellum iustum geri posse cum spe illud vincendi.

Haec omnia et alia multa quae addi possent, ostendunt hodie in bello gerendo numquam haberi posse illas condiciones supra memoratas, quae *theoretice* redderent *iustum* et *licitum* bellum. [1]

Porro, addendum est, nullam dari umquam posse *talem ac tantam causam,* quae tot malorum, caedium, destructionum ac moralium religiosarumque rerum eversionis causam esse valeat proportionatam.

**Practice** ergo *numquam bellum* **indicere** *licebit;* immo nec bellum defensivum suscipiendum erit, nisi auctoritas legima cui spectat illud decernere cum certitudine victoriae habeat etiam secura argumenta de superioritate boni quod populo per bellum defensivum procuratur, super immensis malis quae eidem populo universoque orbi ex bello obvenient. [2]

Secus regimen populorum idem valeret ac regimen universalis cladis in qua, sicut in recenti bello manifestum fuit,

[1] « Storicamente la guerra non è più uno strumento di giustizia, e praticamente è la più grande violazione della carità... Bisogna avere il coraggio di rivedere la nuova pratica della guerra; perchè le condizioni della teologia per la guerra giusta non si verificano quasi mai ». CORDOVANI, *Il Santificatore,* Roma 1939, n. 490 sq.

[2] « Iniquitas partis adversae iusta bella ingerit gerenda sapienti: quae iniquitas utique homini est dolenda, quia hominum est, etsi nulla ex ea bellandi necessitas nasceretur. Haec itaque mala tam magna, tam horrenda, tam saeva, quisquis cum dolore considerat, miseria fateatur. Quisquis autem vel patitur sine animi dolore vel cogitat, multo utique miserius ideo se putat beatum, quia et humanum perdidit sensum » (S. AUGUST., *De civitate Dei,* cap. XIX). Notat autem CORDOVANI, op. cit., p. 490: « Una guerra vinta oggi non ripara più il danno che nasce dall'averla combattuta ».



plures sunt victimae innocentes inter ipsos cives quam inter milites.

Quae autem erit in posterum via ad solvendos conflictus internationales? « Cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim; cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum » [1] ad primum semper confugiendum est, seu paci semper est consulendum. Ad hoc obtinendum potius quam armarum est animorum paranda vis ad tuendam pacem.

Arma charitatis, iustitiae et veritatis erunt:

*a*) educatio civilis et religiosa populorum quae animum plebium (ideoque et gubernantium ab eis selectorum) ad cooperationem inclinet et ad mutuam inter gentes iurium et officiorum honestam agnitionem et permutationem, exclusa lucta classium, lucta stirpium et lucta imperialismi sive politici sive oeconomici, quae omnia constituunt praecipuos bellorum fomites;

*b*) institutio organi internationalis, cuius decisionibus omnes gentes et gubernantes stare debeant;

*c*) spiritus fraternitatis populorum iuxta principia evangelica, ita ut quaelibet gens parata sit sacrificia obire pro bono communitatis totius humanae consortionis, quemadmodum et individui in propria republica pro bono communi aliquid de suo semper conferre debent. [2]

[1] CICERO, *De Officiis,* I, 1, 11, qui tamen ad bellum confugi posse autumabat: « *confugiendum est ad posterius si uti non licet superiore. Una quidem sententia paci, quae nihil habitura sit insidiarum semper est consulendum* » (*De officiis,* ibid.).

[2] Omnino, autem, curandum est ut praesertim causae bellorum praeviae removeantur, ea adhibendo remedia, quae in quinque punctis synthetice collecta sunt a Pio XII in insigni Nuncio radiophonico natalicio anni 1941, grassante ultimo bello. In iis, enim, Summus Pontifex fundamenta pacifica novi ordinis internationalis mirifice conlustravit (*A. A. S.*, vol. XIX, pag. 16, ss.).

http://www.obrascatolicas.com

*d*) demum, impedire gubernia totalitaria, quae sunt primae scaturigines bellorum.

Oratores populi ipsaeque plebes quae *evidenter* [1] aspiciunt proprium gubernium parare caedem et ruinam populi bello quod aggressurum sit, illud regimen evertere *iustis modis* possunt et debent. [2]

[1] Cfr. n. 16, p. 38, cum nota.
[2] S. Th., *De regimine principum*, l. 1, c. 6.

# PARS II

## DE NATURA ET POTESTATE ECCLESIAE

## SECTIO I

### DE ECCLESIAE IURIDICA PERFECTIONE

### TITULUS I

#### DE ECCLESIA UT SOCIETATE

#### Articulus I

**Notio iuridica Ecclesiae**

52. Ecclesia a theologis solet definiri: « *coetus hominum viatorum, eiusdem fidei christianae professione, et eorundem sacramentorum communione adunatus, sub regimine legitimorum pastorum, ac praecipue Romani Pontificis* ». [1]

Haec definitio continet omnia elementa quae *socialem* indolem Ecclesiae manifestant. Equidem indicantur: 1° Hominum pluralitas (*coetus hominum*), seu elementum, quod dicitur materiale, primum societatis constitutivum; 2° Unionis vinculum quo fideles arctissime colligantur (unitas *fidei, communionis* et *regiminis*); 3° Media autem illa recensentur (*sacramenta*) quae praecipua sunt et, attento fine su-

[1] S. Bellarminus, *Controvers.*, lib. III; *De Ecclesia*, c. II. In definitione Bellarmini verbum « *viatorum* » non habetur: opportune autem solet a nonnullis addi, ut indicetur Ecclesiae militantis finis proximus, sicut explicatur in sequenti nota.

http://www.obrascatolicas.com

pernaturali, proxime adaequata; 4° Finis quoque implicite enunciatur (beatitudo aeterna in caelesti patria a fidelibus assequenda) cum eadem Ecclesia dicatur coetus *hominum viatorum*, quasi ut indicetur ratio seu scopus unionis eorundem hominum. [1]

Porro Ecclesiam habere formam societatis, est *factum* quod sub omnium oculos cadit; omnibus enim constat dari fidelium catholicorum multitudinem a quatuor ventis congregatam [2] regimini unius supremi pastoris aliorumque inferiorum rectorum subiectam et oboedientem, mediis tum spiritualibus tum temporalibus, ad communitatis utilitatem destinatis, praeditam, atque in finem supernaturalem visionis beatificae Dei tendentem.

Verum, praeter factum est etiam *ius*. Dicimus namque Ecclesiam legitime existere tamquam societatem, et quidem societatem iuridicam, quia ita voluntate sua disposuit Christus eius divinus Conditor; sit ergo.

**53.** Propositio: *Iure divino exsistit Ecclesia tamquam societas iuridica.*

Haec propositio autem probatur ostendendo Iesum Christum posuisse, pro Ecclesiae institutione, omnia elementa ex quibus veri nominis societas iuridica exurgit.

1. Haec veritas impugnata est a pluribus protestantibus et a modernistis, itemque a nonnullis liberalibus. Ex protestantibus, initio illi denegaverunt Ecclesiae constitutionem in societatem iuridicam, qui eius visibilitatem impugnarunt; [3] inter re-

---

[1] Haec omnia elementa clarius etiam elucent in breviori definitione quae ab AA. iuris publ. eccl. solet exhiberi; ab eisdem Ecclesia dicitur « *societas a Christo Domino* instituta, ut in ea et per eam exclusive homines vitam aeternam consequantur ». CAVAGNIS, *Inst. iur. publ. eccl.*, Romae, 1906, vol. I, p. 109, n. 199.

[2] *Didaché*, XI, n. 5.

[3] Haud una mens protestantium est circa naturam Ecclesiae. Initio reformationis, praedicatum est veram Ecclesiam, quae promissiones habeat, esse *invisibilem*, eiusque membra constitui praedestinatione (Calvinus), imo



centiores vero distinguenda est triplex classis: 1ª eorum qui, in *deismum* seu *rationalismum* propendentes [1] Ecclesiae originem divinam negant, cum Christum dicant solummodo docuisse homines quomodo Deum ut Patrem colerent eique inservirent, adduntque homines in religiosam societatem coaluisse processu quodam mere naturali; 2ª eorum qui autumant Christum societatem religiosam quidem instituisse, sed eius naturam et *constitutionem non determinasse;* [2] 3ª vero, eorum qui etiam quandam *hierarchiam* divinitus institutam admittunt. [3]

2. *Modernistae* cum protestantibus rationalistis consentientes, omnem ideam de vera societate fundanda a Christi mente alienam fuisse praedicant, et asserunt Dominum concepisse *regnum* quoddam vel mere *internum* vel mere *excatologicum*. Hi quidem factum existentiae Ecclesiae inesse societati, explicant figmentis alicuius processus historici evolutionistici. [4]

3. Quod spectat ad *liberales* (rigidiores), eorum mens esset admittere utique ecclesiae liberum ius exsistendi, sed non uti societatem iuridicam; eidem enim tribuunt cohortari dumtaxat, monere, regere sua sponte oblatos; itaque eam habent plane similem ceterarum communitatum, quas respublica continet; ob eamque rem, si quid illa iuris, si quid possideat facultatis ad agendum legitimae, possidere dicitur concessu, beneficioque principum civitatis (Immortale Dei, § 36). — Ceterum, de liberalismo ampliori dissertatione erit agendum, ubi de relationibus inter Ecclesiam et Statum.

---

fide, spe, charitate (Luterus); Angli sub Henrico VIII solum primatum R. P. negabant, sed postea errores Calvini passim apud eos obtinuerunt; tamen adhuc apud multos (*High Church*) socialis Ecclesiae forma servatur.

[1] Inter eos HARNACK, *Dogmengeschichte*, t. I, lib. I, c. 3; SCHMIEDEL, in *Encycl. biblica* (Cheyne) art. *Ministry;* A. SABATIER, *Les religions d'autorité et la religion de l'Esprit.*

[2] Vid. E. D. MORRIS, *Ecclesiology*, p. 29, 30; cfr. SCHAEF, *Creeds*, vol. 3, p. 512, ubi refert XXXV ex 39 articulis Confessionis Anglicanae, unde desumitur nonnullos protestantes ita in Caesarismum incidisse ut auctoritatem ecclesiasticam civili auctoritati esse adnexam putaverint.

[3] Inter hos *Puscystae* seu *Ritualistae;* cfr. PUSEY, *The rule of faith;* MANDEL CREIGHTON, *The position of the Church of England.*

[4] *Programma dei Modernisti*, Roma, 1908; cfr. etiam LOISY, *L'Evangile et l'Eglise*, c. III. Cfr. Enc. *Pascendi*, Pii X, 1907.

http://www.obrascatolicas.com

**54.** Argumentum nostrum sic, breviter, proponitur: Societas iuridica est unio hominum vinculo iuris colligatorum, ad eundem finem communibus mediis consequendum (p. 17). Iamvero Ecclesia est a Christo instituta tamquam coetus hominum *communione fidei, mediorum et regiminis iuridice obligantis,* in finem supernaturalem simul conspirantium. Igitur ex Christi institutione, seu iure divino, existit Ecclesia tamquam *societas iuridica.*

I. Constat enim a Cristo **coetum hominum** initium duxisse,[1] voluntate Eius usque ad consummationem saeculi duraturum,[2] in quem homines recipiuntur per baptisma seu per actum solemnem incorporationis,[3] quemadmodum in aliis coetibus homines incorporantur actu quodam externo et significativo receptionis in veram societatem.[4] Coetum istum a se constitutum Christus saepe *socialiter distinctum esse* ab alio quolibet coetu, etiam religioso, significavit.

II. Item constat Christum homines ad Ecclesiae coetum vocasse, ut omnes in ea et per eam exclusive finem communem, ultimum et necessarium, idest salutem animarum sempiternam, consequerentur.

Venit enim Christus in hunc mundum ut homines *vitam habeant et abundantius habeant,*[1] per sanctificationem in hoc mundo consequendam, et in coelis perenniter perficiendam visione beatifica Dei;[2] Ecclesia autem ideo instituta est ut Christi missionem continuet.[3]

III. **Unionis vinculum** inter fideles pariter a Christo in Ecclesia est constitutum, illudque triplex est, constat enim unitate *fidei, communionis* et *regiminis.* Nam sicut unus Dominus, ita « una fides, unum baptisma »[4] item, « unum ovile et unus pastor ».[5] Quo fit ut Ecclesia sit, quemadmodum Christus Patrem oravit,[6] unum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis.

Quoniam autem agitur de vinculo non mere ethico, sed vere *iuridicas obligationes secumferente,* sequitur agi de societate iuridica.

Equidem sacra *hierarchia* in Ecclesia divinitus est constituta, scilicet Deus ipse magistratus fidelium multitudini assignavit qui *cum potestate* praeessent; imo, ad modum bene ordinatae reipublicae, ita eam disposuit, ut unus ovium princeps et maximus certissimusque veritatis magister in eadem esset, cui, supra ceteros Ecclesiae pastores, competeret *solvere et ligare,* fidelesque auctoritative *regere* sicut competit populorum pastoribus, iis videlicet a quibus *claves regni* gestantur.

---

[1] Apostolorum Collegium ipse Christus adunavit; Matth., X, 1; Marc., III, 13; Luc., VI, 13; quos voluit elegit (Ioan., XV, 16) sibique adhaerere eos voluit tamquam primum nucleum ovilis ad quod alias oves in posterum adduci oporteret (Ioan., X, 16).

[2] Omni namque creaturae praedicandum est evangelium (Matth., XXVIII, 19; Marc., XVI, 15); adstabit autem Christus Ecclesiae suae, ne luctis *portarum* inferi succumbat (Matth., XVI, 18), usque ad *consummationem saeculi* (Matth., XXVIII, 20). Circa sensum horum verborum cfr. Van Laak, *Theol. fund.*, III, prop. 3.

[3] Iam ipse Christus primos discipulos colligens ad Ecclesiae inchoationem, primum eos baptizasse legitur (Ioan., III, 22; IV, 1); iussitque Apostolos docere omnes gentes *baptizantes* eos ut Ecclesiae ingressum eis sic aperirent. Et prima Ecclesiae incrementa, post Pentecosten, ex numero baptizatorum recensentur (... *baptizati sunt; et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia*) *Act.*, II, 41.

[4] Imo recte dici potest actum receptionis in coetum fidelium talem esse qui, ritus solemnitate, et vinculis inde consequentibus, longe antecellat quamlibet inscriptionem in societates. Taliter enim per baptisma coalescunt fideles ut omnes arctissime uniantur, sicut aedificatio constructa (*Eph.*, II 21) et corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis (*Eph.*, VI, 16). « Etenim, ait S. Paulus, *in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive Gentiles, sive servi, sive liberi* » (*I Cor.*, XII, 13). Quicumque ergo baptizantur per hoc inseruntur in Christo, seu unum fiunt in corpore eius mystico, quod est Ecclesia: *Gal.*, III, 26-27; *Eph.*, IV, 4-5; *Col.*, I, 18.

[1] Ioan., X, 10.

[2] Ioan., VI, 40; XVII, 2-3; *I Thess.*, IV, 3.

[3] *Sicut misit me Pater et ego mitto vos,* Ioan., XX, 21. Cfr. Matth., XXIV, 14; Luc., XXIV, 47.

[4] *Eph.*, IV, 6.

[5] Ioan., X, 16.

[6] « *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi... ut sint unum sicut et nos... ut omnes unum sint... ut et ipsi in nobis unum sint... ut sint unum sicut et nos unum sumus... ut sint consummati in unum* »: Ioan., XVII, 11 et ss.





http://www.obrascatolicas.com

Porro, nullius principis auctoritas, in terris, maiestate, efficacia et obligandi virtute ita praestat ac fulget, sicut supremi Ecclesiae Principis aliorumque sacrorum pastorum potestas, quorum quidem magisterium, ministerium et imperium *directe* a Deo promanat, itemque divinis iisque maximis auctum est sanctionibus: « *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* ». — « *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* ». — « *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur* ». — « *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* ». — « *Qui vos audit me audit; et qui vos spernit, me spernit* ». — « *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo...* ». [1]

IV. **Media** autem praecipua Ecclesiae, seu instrumenta ad fidelium sanctificationem idonea et necessaria, ab ipso Christo sunt Ecclesiae collata: talia sunt sacramenta. Sed insuper, ex potestate sibi facta, alia media ipsa Ecclesia iure constituit ad impetrandam gratiam maxime idonea, idest *sacramentalia;* praeterea, habet Ecclesia, vi ipsius divinae missionis, ius possidendi templa aliaque loca sacra, necnon possidendi vel exigendi omnia *media temporalia,* pro externis suis necessitatibus atque piis operibus, quomodo Christus exemplo suo docuit. Nam Iesus, cum apostolorum collegium constituit, nucleum Ecclesiae postea in universo orbe dilatandum, ei communia esse bona voluit, et oblata conservans, loculos habuit quibus apostolorum necessitatibus providebat et pauperibus opitulabatur. [2]

Notasse autem iuvabit hic, semel pro semper, media in societate quacumque, et ideo etiam in Ecclesia, nonnulla esse *actu,* seu re et formaliter, nonnulla vero *iure* et virtualiter, quatenus exigi possunt ab alia societate vel a subditis (cfr. quae supra exposuimus, pag. 27, V). V. gr. *vis armata* vel auxilium *brachii saecularis* est in Ecclesia quatenus haec auctoritative talia exigere potest, cum necessaria sibi sunt, a societate civili.

---

[1] Ioan., XX, 21; Matth., XXVIII, 18 ss.; Marc., XVI, 16; Matth., XVIII, 17; Luc., X, 16; Matth., XVIII, 18.

[2] Ioan., XII, 6; XIII, 29.



## Articulus II

### De iuris socialis Ecclesiae defensione

**55. Methodus disputationis.** – Perfectio iuridica Ecclesiae, quae veris catholicis faciliter demonstrari potest, eo quod veritas haec evidenter eruatur *ex fontibus revelationis,* [1] debet quandoque vindicari coram Ecclesiae adversariis.

1. Horum nomine primi omnium venire possunt, quoad rem nostram, **iurisdictionalistae, seu regalistae,** statolatrae, liberales rigorosi, totalitarii aliique id genus, qui, licet catholici nominis se iactent, non tamen ut boni filii Ecclesiae, propter obnubilatum passionibus politicis iudicium, in omnibus se gerunt, multisque erroribus indulgent praesertim ob illam, quae saepe affertur, « rationem Status ». De his notat Cavagnis: « regalistae volunt videri catholici, et plures etiam bona fide erraverunt; hinc subiective esse poterant boni catholici; igitur contra eos urgemus merito veritates catholicas circa naturam ipsius Ecclesiae ut appareat quid iuris ex iisdem descendat, ideoque ut contradictio appareat ex admissione principiorum et negatione conclusionum necessarium ». [2]

Cum istis igitur urgemus eadem principia quibus veritates nostrae fideles omnes docemus, innixi potissimum testimoniis S. Scripturae et Traditionis, deinde vero principiis iuris naturalis aliisque iuris publici ecclesiastici fontibus.

---

[1] Ne iuris publici dissertationes cum theologiae fundamentalis materia permisceantur, ad theologos remittimus, quoad ea quae ad illorum provinciam maxime spectant, quaeque nobis praebent basim seu certum disceptationum iuridicarum fundamentum. Tales sunt theses de Ecclesiae *visibilitate, indefectibilitate, necessitate, supernaturalitate, unitate,* etc.

[2] Cavagnis, *Institutiones iuris publ. eccl.,* Romae, 1906, vol. I, n. 200, p. 110.

http://www.obrascatolicas.com

Quod si aliquod principium revelatum, v. g. hierarchicam Ecclesiae constitutionem, hi negent, tum res est cum haereticis, ut infra.

2. **Haeretici:** hi quidem multiplicis generis sunt, alii alia dogmata negantes; et antequam disputatio iuridica cum iisdem instituatur, theologica est praemittenda et perficienda. Hac vero omissa, nihilominus Ecclesiae perfectionem vindicare pariter possumus, arguendo tum ad hominem, ex iis principiis quae ipsi profitentur, tum etiam veritates deducendo ex aliis principiis quae nobiscum communia forte adhuc retinent ex revelatione. Quod si revelationem non admittant et fidem divinis testimoniis, ex S. Scripturis quoque desumptis, denegent, ut est de plurimis protestantibus rationalismo addictis, tum res est cum adversariis de quibus infra.

3. **Infideles, athei, rationalistae, etc.** – Cum istis non alia disputationis communia principia habemus, nisi quae *ex iure naturali* seu ex lumine rationis manifestantur. Cum his quoque, igitur, disputatio de religione revelata, deque vera Ecclesia Christi est praemittenda. At non semper id possibile est, vel opportunum, vel facile. Eo vel magis quod si de atheis agitur, horum talis est animi dispositio ut propter superbiam, vel passionum aestus, velint generatim hanc disputationem effugere aut insincero animo instituere. Coram istis igitur Ecclesiae iura vindicantur potissimum rationibus desumptis ex generalibus iuris naturalis socialis principiis. Ex his aliqualis defensio iurium Ecclesiae institui potest, non tamen omnium; ideoque non eadem quae in statibus catholicis, aut etiam christianis non catholicis, ab Ecclesia urgentur, item apud infideles vindicantur; sed apud istos Ecclesia initio contenta est sibi ea agnosci, quae eidem iure naturali et gentium competerent, praecisione facta ab eius dignitate societatis perfectae supernaturalis.



Quaerit igitur Ecclesia primum omnium ut agnoscatur tamquam *persona moralis legitima,* saltem eodem iure ac id conceditur aliis societatibus finem honestum habentibus. Porro, hoc posito, Ecclesiae, sicut personae cuilibet tum physicae, tum morali, agnoscendum est ius *existendi,* et *operandi,* ut sese evolvat et finem suum consequatur quousque id non probetur esse in damnum Status. Iamvero id numquam probabitur quando agitur de Ecclesia, quia oporteret probare eandem habere finem qui collisionem cum fine Status secumferat, sive propter distractionem virium socialium Status in alium finem inutilem, vel non tam utilem sicut finem Status; sive propter positivam oppositionem cum fine Status.

Haec autem numquam poterunt solide probari, quia secus posset probari ordinem supernaturalem et finem supernaturalem, ad quem homines sunt destinati, reapse non existere, vel esse finem dignitate et utilitate inferiorem, vel ordinem gratiae destruere seu oppositum esse ordini naturae. Quae omnia prorsus absurda sunt.

Neque virium socialium distractio probari potest ex eo quod Ecclesia avocat sibi curam spiritualium, de quibus Status posset ipse disponere; siquidem id niteretur quodam praeoccupato conceptu, aut notione falsa quoad propriam iuris sphaeram, [1] ut patebit ex dicendis de Ecclesia et Statu.

**56. Quid circa erroneas opiniones Praesidum status catholici.** – Perfectio iuridica Ecclesiae eiusdemque iura vindicantur in tota sua plenitudine coram *Statu catholico,* in quo nempe subditi catholici constituunt maiorem civium partem, et principia catholica debent agnosci et adhiberi ut norma suprema legislationis, independenter a privatis praesidum opinionibus. Hi namque populos regere debent non iuxta diversas suas sententias, alienas a subditorum

[1] Posset quidem Status putare sibi imminutum esse ius ex legalitate Ecclesiae, tunc tantum si putaret ius circa sacra sibi competere. Ceterum, ut optime notat Bachofen (*Summa iuris eccl. publ.*, Romae, 1910, n. 23, p. 54) si societatis ius quoad aliqua est diminutum, ex altera parte, maiora sibi bona succrescere sentiet ex coexistentia cum Ecclesia.

http://www.obrascatolicas.com

mente, sed conformiter ad probatos mores, aequas traditiones, religionemque illam quae semper extitit uberrimorum fructuum, in bonum societatis, feracissima. *Alioquin voluntas principis* (quaecumque sit principatus forma) *magis esset iniquitas quam lex.* [1] Equidem ipsum naturale ius quod, Deo auctore, imperandi facultatem in civitate impertitur, eiusdem limites figit ne id, quod divinorum iurium et humanarum libertatum tutela ac praesidium esse deberet, in horum contemptum exerceatur.

Igitur, maxima ex parte, ius publicum ecclesiasticum respicit condicionem iuridicam Ecclesiae non in quolibet Statu, sed in eo *qui membris constat religioni catholicae addictis.* [2]

Quod si cives essent catholici et tamen socialia principia catholica civili legislatione violarentur, id, primum omnium, *vitio principis* esset vertendum, quaecumque sit regiminis forma; itemque *culpae subditorum,* si regiminis forma democratica vigeat; cum enim, in tali reipublicae conformatione, civibus datum sit, praesertim iure suffragii, ad rerum urbanarum necnon politicarum administrationem suam conferre operam, culpae vertendum est si, maioritatem (quae dicitur) cum constituant, tamen sinant, sua insipientia vel indifferentia, habenas regiminis accipi ab iis, quorum opiniones personales spem salutis tum Ecclesiae tum civitati haud sane magnam afferant.

Quod si in Statu catholico aliqui sint acatholici, ipsorum ratio non habetur in legislatione generali, sed pro ipsis ius quoddam speciale constitui potest, praesertim ad perturbationes avertendas, quae forte orirentur ex eorumdem dissidentium resistentia.

Quoniam autem de facto etiam inter catholicos subditos, itemque, inter rectores Status catholici, dantur qui veritati aliquando resistunt, in iure publico ecclesiastico ratio habetur

[1] S. Th., I, II, q. 99, a. 1.

[2] Cavagnis, *Institutiones iuris publ. eccl.,* Romae, 1906, vol. I, n. 397, p. 263. Cfr. nostrum opusculum *Doveri dello Stato cattolico verso la religione,* Romae, 1953. Itaque *Status catholicus* dicitur non quatenus omnibus omnino subditis catholicis constat, sed pro maiori parte.



etiam errorum qui circa Ecclesiae perfectionem, organizationem et iura, passim, omni fere tempore, evulgati sunt; sed de his sermo specialis habetur post idoneam veritatum propositionem. [1]

# TITULUS II

## DEMONSTRATIO PERFECTIONIS IURIDICAE ECCLESIAE

### Articulus I

### Ecclesiae perfectio ex eius natura

**57. Ecclesiae perfectio probatur primo ex eo quod est societas suprema.** – Argumentum sic breviter conficitur: Ecclesia est societas iuridica et suprema; iamvero, societas iuridica suprema est natura sua iuridice perfecta. Sequitur ergo Ecclesiam esse societatem iuridice perfectam.

1. Equidem, ostensum est iam Ecclesiam esse societatem iuridicam (p. 94); eamdem vero esse etiam *supremam* deducitur *ex fine.* Namque, societates sunt ut fines, ex quibus pendet earum gradus et praestantia, ita ut quae societas finem prosequitur supremum, ultimum videlicet et praestantissimum, qui propterea ad alium finem non sit ordinatus, eadem suprema evadat.

Talis autem est Ecclesia, cuius finis est longe nobilissimus ac praestantissimus, seu vere supremus; ideo enim Ecclesia instituta est, ut per eam homines ad sempiternam in coelis felicitatem deducantur.

2. Quod vero societas iuridica suprema, ideoque Eccle-

[1] In sequentibus, ut iam notavimus, supponimus probatum Ecclesiam esse nedum societatem *externam* et *visibilem,* sed etiam *spiritualem* et *supernaturalem, unam* et *universalem,* itemque omnibus hominibus *necessariam*: quae omnia abunde tractantur in theologia fundamentali; equidem eadem hic summatim repetere (ut fieri solet) esset supervacaneum et, ob brevitatem, minus evidens. Igitur ad theologos remittimus.

http://www.obrascatolicas.com

sia, sit iuridice perfecta, paucis ostenditur: societas iuridice perfecta ea est quae bonum in suo ordine completum tamquam finem habens, ac media omnia ad illud consequendum iure possidens, est in suo ordine sibi sufficiens et independens; porro, *societas suprema tendit in bonum* completum (cfr. supra p. 25), quod videlicet non est medium vel pars alterius boni. Unde consequitur, etiam, societatem supremam neque ab alia dependere ratione finis neque ad aliam ut partem ordinari; itemque, neque ratione mediorum pendere: ius enim eius ad finem est absolutum et illimitatum, quia *agitur de fine ultimo* et non subordinato. Hinc talis societas *iure* adhibet omnia media iudicio suo, eaque habet vel realiter vel saltem virtualiter, cum iure exigere possit: secus non esset *legitime* constituta ut homines per eam revera consequantur finem supremum.

Re quidem vera, quia legitime Ecclesia tendit ad finem supremum (habet enim ad id divinum mandatum) media proportionata, omniaque sibi necessaria, ad talem finem dicenda est possidere: neque enim putandum est Christum finem sine mediis Ecclesiae dedisse. Profecto, constat Ecclesiam habere *realiter* in se media supernaturalia, immediate accepta a Christo; nonnulla vero habet in quantum possidentur a subditis, a quibus *iure exigi* possunt. Et ideo quia *auctoritative* Ecclesia haec petit, eadem possidet iuridice, et *nulli evadit* subiecta *ratione mediorum*.

**58. Secundo, deducitur ex eo quod Ecclesia est societas spiritualis et supernaturalis.** – Etenim, haec societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, *supernaturalis est et spiritualis*. Iamvero, repugnat societatem supernaturalem et spiritualem in genere suo supremam ordinari ad aliam societatem ab eaque dependere. Etenim si ad aliam ordinatur ab



eaque dependet, haec superior societas non potest esse nisi illa quae est suprema in ordine naturali, idest *societas civilis*. [1] Tunc autem haec consequerentur:

I. Quod finis societatis supernaturalis ordinaretur ad finem ordinis naturalis, bonum spirituale ordinaretur et subordinaretur temporali bono. Haec autem asserere, idem esset ac rerum ordinem perturbare; ea enim quae naturalia sunt praeferrentur iis quae sunt *supra naturam*.

II. Quod media spiritualia et supernaturalia societatis religiosae essent in potestate et arbitrio societatis mere naturalis. Nam societas imperfecta quae alteri subordinatur, ab hac dependet etiam ratione mediorum. Iamvero, omnino impossibile est potestatem *mere temporalem* [2] habere in sui arbitrio et dispositione media supernaturalia, collata, pro fine superiori, alteri societati quae natura ab ea differt.

III. Conscientiarum securitas et fiducia omnino evanesceret, cum illa deesset persuasio et moralis certitudo spiritualia negotia non politicis, sed supernaturalibus criteriis dirigi.

Equidem impossibile est homines habere ius potestatemque circa ea media quae in Dei solius dispositione sunt, nisi Deus

---

[1] Consideratur tantum hypothesis dependentiae a Statu, quia quaelibet alia hypothesis (dependentiae ab alia societate temporali imperfecta) reducitur, per consequens, ad casum dependentiae a Statu. Ex eo enim quod Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam (*Immortale Dei*, § 24, Itaque Deus), sequitur quamlibet societatem aut Ecclesiae aut civili societati esse subiectam, prout finis eius, aut ad aeternam aut ad temporalem felicitatem spectat. Vicissim, exclusa dependentia Ecclesiae a Statu, merito concluditur Ecclesiam, a fortiori, esse omnino liberam et independentem a qualibet alia societate subiecta Statui.

[2] Consulto dicimus *mere temporalem*, ad excludendam hypothesim (in praesenti oeconomia mere ficticiam), quod Deus ipsam potestatem civilem eiusque subiectum elevaverit ad ordinem supernaturalem.

http://www.obrascatolicas.com

*voluerit* eamdem potestatem hominibus conferre. Igitur cui Deus concredidit haec media, eidem tantum, consequenter, competit divinitus collata potestas circa eadem, iuxta modum, ordinem limitesque divinitus pariter praefinitos. Atqui Deus potestatem civilem in mere temporalibus constituit, nihil vero eidem contulit circa sacra, dum e contra, contulit exclusive soli Ecclesiae, et quidem immediate, media supernaturalia, ut *adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria omnia* in se et per se *ipsa possideret*.[1] Imo propter haec media, praesertim, instituit in Ecclesia specialem potestatem a temporali potestate distinctam,[2] quaeque tum origine, tum destinatione seu fine, tum mediis sibi concreditis, *sacra* vocatur (*hierarchia* = Sacer principatus) et speciali adsistentia divina est praedita, ut secundum tendentias et criteria spiritualia suis fruatur iuribus atque circa media disponat.

**59. Tertio probatur ex eo quod Ecclesia est societas una et universalis.** – Si Ecclesia esset societas imperfecta, ideoque a Statu dependens, non salvaretur una ex notis eius essentialibus, qua nempe semper gaudere debet ex sui Divini Institutoris voluntate. Debet enim Ecclesia esse *una et simul universalis*. Profecto, ex dependentia a Statu sequeretur necessario Ecclesiae divisio, seu efformarentur Ecclesiae *nationales*, cum tot darentur numerice distinctae Ecclesiae, quot nationes. Quod sane confirmatur ex studiis Rerumpublicarum nostri temporis quae « Ecclesiarum nationalium » ortum fovent: pessumdatur tunc uno eodemque actu *unitas* et *independentia*.

[1] *Immortale Dei*, § 18, Haec societas.

[2] Profecto hodie non desunt populi praesertim in Asia et Africa in quibus permixtio et unio duplicis potestatis religiosae et civilis in imperante velut congenita consideratur. At prout urbanitas et civilis cultus progreditur divina sapientia elucet illius sententiae qua iubemur ut *Caesari quae sunt Caesaris* et Deo quae Dei sunt reddamus. Exinde vero melius claret quam alienum sit a Christi mente illarum gentium, christiani sed non catholici nominis, habitudo qua civilibus auctoritatibus ius in sacra vel in hierarchicum regimen agnoscunt. Cfr. pag. seq. not. 2. Item cfr. Meysztowicz, *La religion dans les Constitutions des Etats modernes*, Roma, 1938, p. 106 ss.



Quando dicimus Ecclesiam esse unam, intelligimus eam, ex divina institutione, esse debere *unam specifice* et *numerice:* quatenus tota fidelium multitudo, quae per universum orbem extenditur, *unum corpus* constituat, sub *uno capite* supremo.[1] E contra, societas civilis quamvis una sit specifice (omnes enim Status bonum eiusdem speciei tamquam finem habent), numerice tamen multiplex est quia diversi dantur, in civilibus, subditorum coetus proprium ac distinctum regimen habentes. Itaque in hypothesi qua Ecclesia a Statu dependeret, cum in singulis nationibus diversum habeatur subiectum supremae auctoritatis civilis, Ecclesia non unicam haberet supra se potestatem supremam, sed diversas pro diversitate territorii singularum nationum; haberentur igitur, etiam quoad finem spiritualem, *tot coetus fidelium cum sua distincta auctoritate suprema, quot sunt Status:* ideoque distinctae, numerice, societates religiosae, seu *Ecclesiae nationales*.

Id reapse confirmatur experientia. Sectae ab Ecclesia deciduae, quae independentiam suam coram Statu non vindicarunt, factae sunt nationales.[2] Debuit enim quaelibet Natio excludere,

[1] Et ita praevenitur difficultati eorum qui autumant sufficere unitatem fidei, caritatis et communionis; haec enim ostenderent unitatem in specie, sed non in numero, ad quam requiritur etiam unitas *regiminis*.

[2] Ita v. gr. lex ad ordinandam « ecclesiam orthodoxam » in *Romania* a Gubernio civili lata (6 maii 1925) iam in ipso 1° articulo huius ecclesiae autocefaliam proclamat, quatenus nulli hierarchiae exterae obnoxia sit; at simul haec statuuntur: eadem ecclesia negotia sua gerit et administrat sub *inspectione Status*, videlicet Ministerii cultuum (art. 4); sessiones « Sanctae Synodus » per *nuntium regium* aperiuntur (art. 5 special. Ordinationis) eisdemque potest interesse cum voto consultivo Administer Cultuum. Item lex civilis, anni 1925, creavit organum centrale ad regimen eiusdem ecclesiae, distinctum a « S. Sinodo » vocatum « Congressum Nationalem ecclesiasticum » in quo pars laica potior est, et cuius placita, ut vigeant, a *Rege rata haberi debent* (cfr. Ottaviani, *Institutiones*, ed. III, vol. II, p. 403 ss.). Hinc patet cur ecclesiarum ab unitate catholica deciduarum multiplicentur *autocephaliae* nationales (Iugoslavia, Graecia, Romania, Bulgaria) quae coincidunt cum subiectione regimini politico. Ecclesia autem Mo-

http://www.obrascatolicas.com

in proprio territorio, influxum religiosum sacrae potestatis alterius nationis, eo quod is secumferret, aut secumferre timeretur, influxum politicum civilis auctoritatis a qua illa sacra potestas dependet. Quod eo vel maxime contingit ubi Status aemulatione supernationalismi feruntur; praesertim vero si bello inter se pugnant.

Demum in hypothesi dependentiae Ecclesiae a Statu auferretur absoluta necessitas tutandi conscientias, quae in rebus spiritualibus debent pro certo habere directionem spiritualem motam esse aptis criteriis i. e. spiritualibus et non politicis.

**60.** *Confirmantur allata argumenta* ex **peculiaribus Sacrae Scripturae locis**, quibus manifeste evincitur Christum de Ecclesia locutum fuisse, deque eius constitutione et organizatione egisse *sicut de societate iuridice perfecta*. Revera, ut ex Sacris Scripturis constat, « Iesus Christus Apostolis suis *libera mandata dedit in sacra*, adiuncta tum *ferendarum legum* veri nominis facultate, tum genuina, quae hinc consequitur, *iudicandi puniendique potestate* ». [1] Per haec autem Christus Ecclesiae contulit omnia quae propria sunt societatis perfectae : inter essentialia, enim, et distinctiva societatis perfectae, praeter finem in suo ordine supremum, recte ponitur possessio omnimodae libertatis in imperando, nec non exercitium potestatis legiferae, iudicialis,

scovitarum, antea, iureiurando suorum episcoporum, mancipio se dederat imperatoribus, et sic ipsas regiminis politici vicissitudines secuta est.

Haec, quidem, referunt condicionem illarum ecclesiarum, antequam communismus russicus easdem oppresserit. Nunc, enim, peior facta est condicio servitutis schismasticarum Ecclesiarum. Bolschevistarum regimen idem vellet obtinere etiam quoad Ecclesiam Catholicam per erectionem nationalium ecclesiarum : clerus, autem, populusque catholicus optime resistit, nedum ob principia dogmatica, sed etiam quia videt invasiones iurium ecclesiasticorum, quas pauci proditores tolerant, servientes regimini communistico; hoc, enim, eo usque pervenit, ut Ordinarios rectoresque Ecclesiarum constituere auderet.

[1] Leo XIII, Enc. *Immortale Dei*, § 19, Revera.



et coactivae non ab alia humana auctoritate participatae neque sub alterius dependentia exercendae.

1. Etenim Christus mandatum dedit Apostolis eorumque successoribus *libere* evangelium praedicandi in universo mundo : « *Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae* ». « *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* ». [1] Itemque mandatum dedit supremae auctoritati Ecclesiae libere universos fideles regendi : « *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* ». [2]

Ex quibus evidenter constat Ecclesiam esse societatem in qua collata sit potestas *a*) amplitudine illimitata quoad media, *b*) et nulli alteri potestati obnoxia, seu plene libere et independenter exercenda.

*a*) **Potestas amplitudine illimitata:** Ius enim praedicandi, docendi, etc. nullis territorii vel temporis limitibus circumscribitur, nullis materiae finibus (omnia quaecumque mandavi vobis); itemque quodcumque ligatur a Petro seu a suprema auctoritate Ecclesiae, illud ipsum ligatur in coelo, quodcumque solvitur ab eo, idem in coelis solvitur, nihil causarum excluditur, nulla ponitur limitatio.

*b*) **Potestas plene libera:** Ius docendi, praedicandi, baptizandi, pascendi seu regendi, nullius humanae potestatis placitis obnoxium fit, cum potius nitatur voluntate eius cui data est *omnis potestas* in coelo et in terra. Item, inter potestatem coelestem et potestatem Petri nulla est alia media potestas huic

[1] Marc., XVI, 15; Matth., XXVIII, 18.
[2] Matth., XVI, 18-19.

http://www.obrascatolicas.com

superior. Hoc enim pugnaret cum verbis Christi; nam si v. g. a civili potestate penderet Ecclesiae auctoritas, posset illa ligare quod Ecclesia solvit, et ideo idem non solveretur in coelis. [1] Ceterum Christus non aliud fundamentum posuit Ecclesiae quam Petrum eiusque successores: sed contra, si ipsa auctoritas Petri penderet a civili potestate, haec esset primum et praecipuum fundamentum, quo Ecclesia regetur.

2. Adiunxit autem Deus veri nominis facultatem *legum ferendarum,* cum gemina quae hinc consequitur *iudicandi puniendique potestate,* ita ut Ecclesiae, quae expressam imaginem *regni* gerit, non inferiora imperii iura competant, in suo ordine, ac illa quae, in rebus civilibus, exercentur a supremis rerum publicarum rectoribus. Qua super re, fusius sermo erit habendus, ubi de singulis his potestatis ecclesiasticae functionibus agetur (v. sect. II, tit. II, ss.).

## Articulus II

### Ecclesiae perfectio ex Traditione et praxi

**61. Argumentum ex Traditione et praxi Ecclesiae.** – Demum, ex praxi Apostolorum, ex Traditione, necnon ex definitionibus ecclesiasticis nova argumenta desumuntur, quae insuper ostendunt conclusiones deductas ex allatis locis Sacrae Scripturae legitimas esse ac vere probativas. Argumentum hoc, quod pluribus constat partibus, breviter sic proponitur, iisdem fere verbis Leonis XIII, ex Enc. Litt. *Immortale Dei.* [2]

[1] « Falsa ergo esset — concludit Mazzella (*De locis theologicis*) — universalis illa affirmatio, quod ligatur aut solvitur in coelis quodcumque Ecclesia ligat aut solvit in terris ». Cfr. De Luca, ***Institutiones iuris eccl. publ.***, Romae, 1901, n. 45, p. 124 ss.

[2] § 21, Hanc vero, et seq. Paulisper tamen immutatus est ordo, pro opportunitate disceptationis.



Auctoritatem in seipsa absolutam planeque suis iuris, quae ab assentatrice principum philosophia iamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi *asserere* itemque publice *exercere* numquam desiit *a*) primis omnium pro ea propugnantibus *Apostolis,* qui cum disseminare evangelium a principibus Synagogae prohiberentur, constanter respondebant: *Oboedire oportet Deo magis quam hominibus; b*) eamdem *sancti Ecclesiae Patres* rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt; *c*) quin etiam, et opinione et re eamdem probarunt ipsi *viri principes rerumque publicarum gubernatores,* ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt; *d*) *Romanique Pontifices* eandem potestatem, invicta animi constantia, adversus oppugnatores vindicare nunquam praetermiserunt.

**62.** *a*) Primum igitur arguitur ex **modo agendi Apostolorum.** Hi namque Ecclesiae propagationem et regimen ita curarunt, ut nullis prorsus humanae potestatis limitibus vel prohibitionibus ostenderent se obligari aut impediri posse. Leges ediderunt, iudicia exercuerunt, disciplinam in Ecclesia, poenis quoque adhibitis, [1] tueri studuerunt, evangelium praedicarunt ubique gentium, quin ullo modo solliciti essent, in his agendis, de ordinationibus aut mandatis cuiusvis potestatis, sed *unice mandatum Dei respicientes,* [2] et divinitus acceptam missionem considerantes ut fontem plenitudinis iuris et libertatis pro Ecclesia, etiam in ordine publico. Imo, generatim missionem suam exercuerunt ubique contradicentibus, aut saltem non consentientibus, rerum publicarum gubernatoribus; quare pro libertate sui ministerii saepe contumelias pati [3] ac vitam demum omnes impendere de-

[1] De his fusius agitur ubi *De Potestate Ecclesiae* legifera, iudiciali et executiva.

[2] *Act.*, IV, 19-20; V, 29.

[3] *Act.*, V, 40-42; VIII, 1; XIII, 50; XIV, 18; *Cor.*, XI, 25, etc.

http://www.obrascatolicas.com

buerunt. Qui modus agendi eo vel magis vim suam probativam, hac in re, manifestat, si comparetur cum doctrina apostolica, de obsequio principibus, etiam dyscolis, praebendo, in iis videlicet in quibus iidem legitime imperant. [1]

**63.** *b*) Eamdem Ecclesiae libertatem ac independentiam, cum plenitudine potestatis in rebus sacris **Sancti Ecclesiae Patres** rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt, etiam contra supremarum civilium potestatum oppugnationes. Equidem, Patres:

1. *Omnem plenitudinem potestatis, quoad res sacras, ponunt unice in Ecclesia, quae ideo, propriis magistratibus regitur.*

Ita e. g. *S. Ioan. Damascenus* loquitur: « Tibi parebimus, imperator, in his quae ad huius saeculi negotia pertinent. Verum ad res Ecclesiae statuendas, pastores habemus qui nobis verbum loquuntur, atque instituta ecclesiastica tradiderunt. [2]

2. *Plenam autem Ecclesiae potestatem ostendunt autonomam sicut potestatem societatis civilis; qua de causa similitudinis comparationem instituunt inter utramque societatem.*

*S. Gelasius Pontifex:* « Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacra Pontificum et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuae salutis expetis, inque sumendis coelestibus sacramentis, eisque (ut competit) disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praeesse. Nosti itaque inter haec, ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem ». [3]

*Osius Cordubensis* imperatorem Constantium sic alloquitur: « Tibi Deus imperium tradidit, nobis quae sunt Ecclesiae con-

[1] *Rom.*, XIII, 1 ss.; *I Tim.*, II, 2; *I Petr.*, II, 13 ss.
[2] *Orat. II de Imaginibus* (M. G., 94, col. 1298).
[3] In ep. *ad imperatorem Anastasium* (M. L., 59, col. 42).



credidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue ne, si ad ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite — scriptum est — quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Neque nobis igitur terrae imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem ». [1]

*S. Gregorius II:* « Idcirco Ecclesiis praepositi sunt Pontifices a Reipublicae negotiis abstinentes; et Imperatores ergo similiter ab ecclesiasticis abstineant et quae sibi commissa sunt capessant ». [2]

3. *Quin imo, comparantes utriusque societatis potestatem, ecclesiasticam civili praestare invicte asserunt:*

Equidem *S. Gregorius Nazianz.* provinciae procuratorem seu praefectum sic alloquitur: « Nam vos [principes et praefecti] quoque imperio meo ac throno lex Christi subiicit. Imperium enim nos quoque [episcopi] gerimus; addo etiam praestantius ac perfectius; nisi vero aequum sit spiritum carni et ecclesia terrenis cedere ». [3]

Et *S. Ioannes Chrysostomus*: « Duplex imperii genus est; alterum cuius opera homines populis et urbibus imperant, ac civilem hanc vitam moderantur... At vero, hic quoque aliud imperii genus est ac civili quidem imperio sublimius. Quodnam igitur hoc est? Quod in Ecclesia viget... hoc enim imperium tanto civili excellentius quanto caelum terra, imo etiam multo praestantius ». [4]

Item, *S. Isidorus Pelusiota*: « Ex sacerdotio et regno rerum administratio conflata est; quamvis permagna utriusque differentia sit. Illud enim veluti anima est, hoc velut corpus; ad unum tamen et eundem finem tendunt; hoc est ad animae salutem ». [5]

[1] Ex Athanasii, *Hist. arian. ad monachos*, ed. Maurin. n. 44 (M. G., 25, col. 746). Et paulo inferius (n. 52 cit. ed. — M. G., ibi, col. 755). « Quandonam Ecclesiae decretum ab imperatore accepit auctoritatem? ».
[2] *Ep. I ad Leonem Isauricum* (M. L., 89, col. 518).
[3] *Orat. 17 ad cives Nazianzenos timore perculsos, et praefectum irascentem*, c. 8° (M. L., XXXV, 975).
[4] *Homil.*, XV in II ad *Cor.*, n. 4 et 5 (M. G., 61, col. 507 et 508).
[5] *Ep.* 249, in lib. 3° iuxta ed. Paris., 1658 (M. G., 78, col. 927).



http://www.obrascatolicas.com

4. *Incompetentiam autem cuiuslibet auctoritatis in rebus sacris acriter asserentes, plenam inde independentiam Ecclesiae confirmant:*

*S. Ambrosius* competentiam civilium principum sic in suis finibus constringit: « Allegatur imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea quae divina sunt imperiale aliquod ius habere; noli te extollere sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus; scriptum est: *Quae Dei Deo, quae Caesaris Caesari*. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiae; publicorum tibi moenium ius commissum est, non sacrorum ». [1]

Et *S. Athanasius* sic excludit interventum principis in negotiis ecclesiasticis: « Si namque illud episcoporum decretum est, quid illud attinet ad imperatorem? Si imperatoriae minae sunt, quid opus hominibus nuncupatis episcopis? Quandonam a saeculo res huiusmodi audita est? Quandonam Ecclesiae decretum ab imperatore accepit auctoritatem, aut pro decreto illud habitum est? ». [2]

Et *S. Ioannes Damascenus* omnem invasionem et usurpationem potestatis in rebus ecclesiasticis ex parte imperatorum latrocinium vocat: « Penes imperatores potestas non est, ut Ecclesiae leges sanciant. Attende quid dicat Apostolus: Et quosdam quidem posuit doctores ad perfectionem Ecclesiae (*I Cor.*, XII, 28). ... Ad imperatores spectat recta reipublicae administratio: Ecclesiae regimen ad pastores et doctores. Eiusmodi invasio latrocinium est, fratres ». [3]

Demum, *Gregorius II* ad Leonem Isaurum ait: « Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi, sic neque imperator in Ecclesias introspiciendi et electiones in clero peragendi, neque consecrandi, vel symbola sanctorum sacramentorum administrandi, sed neque participandi absque opera sacerdotis ». [4]

5. Hinc *concludunt Patres oportere ut in iis quae ad finem Ecclesiae pertinent, eidem subiiciantur supremi quoque magistratus civiles:*

*Lucifer Calaritanus* indebitum Constantii interventum in rebus ecclesiasticis reprehendens, his verbis animadvertit imperatorem non posse invocare pro se legem *Deut.*, XVII, 9-12, in qua praeter sacerdotes memoratur et iudex. « Sed dicis, isto in loco, Deo devotissimus Moyses quomodo Sacerdotum fecit mentionem, sic et Iudicis. Proba te super nos factum iudicem, proba ad hoc te constitutum Imperatorem, ut nos armis tuis ad omnem implendam voluntatem amici tui diaboli perduceres. Cum probare non possis, quia praeceptum sit tibi non solum non dominari Episcopis, sed et ita *eorum oboedire statutis*, ut si subvertere eorum decreta tentaveris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori iussus sis, quo modo dicere poteris, iudicare te posse de Episcopis, quibus nisi oboedieris, iam quantum apud Deum, mortis poena fueris mulctantus? » [1]

Et *S. Ambrosius* in sermone contra Auxentium de Basilicis non tradendis: « Qui honorificentius quam ut Imperator filius Ecclesiae esse dicatur?... Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est ». [2]

Et *Hosius Cordubensis* ad Constantium imperatorem: « Ne te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus praecepta mandes; sed a nobis potius haec ediscas ». [3]

**64.** Ex allatis Patrum documentis, vero, non modo *doctrinalis* patet defensio independentiae et potestatis Ecclesiae, sed **praxis** quoque in primis iam Ecclesiae saeculis vigens colligi potest, cum textus illi adducti referantur ad

---

[1] *Ep.* 20 (M. L., 16, col. 1041 ss.).
[2] *Hist. arian. ad monachos*, n. 52 (M. G., 25, col. 755).
[3] *Orat. II, de Imagin.*, n. 12 (M. G., 94, col. 1295).
[4] Ex *Bullario rom.*, t. I, ad an. 731: JAFFÉ, n. 2180, 2182 (M. L., 89, col. 522).

[1] *Lib. I, pro Athanasio* ad imperat. Constantium (M. L., 13, col. 826). Lucifer Calaritanus autem, in hac re, consentientes habuit omnes illius temporis Patres; hinc S. Athanasius ei rescripsit: « Accepimus epistolas et libros religiosissimae ac sapientissimae animae tuae in quibus perspeximus imaginem apostolicam... traditionem integram patrum nostrorum, regulam rectam ecclesiastici ordinis... Crede mihi, Lucifer, non tu solus haec locutus es, sed Spiritus Sanctus tecum » (M. G., 26, col. 1184 sq.).
[2] M. L., 16, col. 1018.
[3] ATHAN., *Hist. arian. ad monachos*, n. 44 (M. G., 25, col. 746).



http://www.obrascatolicas.com

res et facta in quibus pugnatum est contra laesiones iurium et invasiones ecclesiasticarum libertatum.

Idem, vero, saeculis posterioribus praestitum est, sicut in luctis investiturarum, in oppugnationibus regalistarum, usque ad nostra tempora, quemadmodum recens historia discidiorum inter ecclesiasticam et civilem potestatem plurium nationum docet.[1]

**65.** *c*) **Christianorum Principum testimoniis** apprime confirmatur, Patrum sententias nedum ecclesiasticorum doctrinam constituisse, sed et laicorum ac moderatorum rerum publicarum persuasioni conformes fuisse: equidem ipsi viri principes, cum primum societas civilis christiana facta est, Ecclesiae auctoritatem et independentiam agnoscentes, frequenter mentem suam publice, *dictis*, imo etiam *iussis* et *legibus*, manifestarunt.

1. *Constantinus M. Imperator*, cum ei episcopi ariani supplicem dedissent libellum, sic in Concilio Nicaeno locutus est: « Deus vos constituit sacerdotes et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, et ideo nos a vobis recte iudicamur; vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, et vestra iurgia quaecumque sunt ad illud divinum reserventur examen. Vos enim nobis a Deo dati estis Dii, et conveniens non est ut homo iudicet Deus, sed ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga Deorum; in medio autem Deus iudicat ».[2]

Item, *Valentinianus* his verbis libertatem conciliorum Ecclesiae agnovit: « Mihi quidem, in laicorum ordine constituto, fas non est huiusmodi negotia curiosius scrutari. Sacerdotes vero quibus id curae est, seorsum ubicumque voluerint conveniant ».[1]

*Honorius* fratrem suum Arcadium reprehendens, quod S. Ioannem Chrysostomum in exilium egerit iudicio saeculari, scripsit: « Cum si quid de causa religionis inter antistites ageretur, episcopale oportuerit esse iudicium; ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium ».[2]

*Iustinianus imp.*: « Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei a suprema collata clementia, sacerdotium videlicet et imperium; et illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis praesidens ac diligentiam exhibens; ex uno eodemque principio utraque procedentia exornant vitam ».[3]

*Basilius imp.* in Syn. VIII, laicos alloquens ait: « Nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem movere. Haec enim investigare Patriarcharum, Pontificum et Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt et coelestes adepti sunt claves; non nostrum, qui pasci debemus ».[4]

2. Extant quoque posterioribus saeculis regum praeclara documenta: praestat v. g. *Caroli Magni* decretum quo praecipiuntur omnes cuiusvis gradus magistratus reverentiam et oboedientiam exhibere Ecclesiae: « Volumus atque praecipimus, ut omnes suis sacerdotibus, tam maioris ordinis quam inferioris, a minimo usque ad maximum, ut summo Deo, cuius vice in Ecclesia legatione funguntur, oboedientes existant. Nam nullo pacto agnoscere possumus, qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, et suis sacerdotibus, apparuerint... ».[5]

In Medio Aevo, pariter, *Ludovicus VII*, Galliarum rex, adversus Fridericum I imp. (Barbarossa), qui Ecclesiae potestati

---

[1] Recolantur vicissitudines *Kulturkampf* in Germania, *Lex separationis* in Gallia, plurimae RR. PP. protestationes in Italia ob leges eversivas aliasque laesiones iurium Ecclesiae; Litterae Encyclicae *Iniquis afflictisque*, 18 novembris 1926, de iniuriis Ecclesiae illatis in Mexico; Litt. Encycl. *Dilectissima Nobis*, 3 iunii 1933, de iniusta rei catholicae condicione in Hispania; ob tuitionem libertatis Actionis Catholicae, Encycl. *Non abbiamo bisogno*, 29 iunii 1931; contra hitlerismi oppugnationes Litt. Encic. *Mit brennender Sorge*, 19 martii 1937; novissime, vero, Ep. Encyclica *Orientales Ecclesias*, ubi R. P. persecutionem contra Ecclesiam in regionibus orientalibus, communistico regimine oppressis, exponit atque condamnat (*A. A. S.*, vol. 45, pag. 5 ss.).

[2] Rufinus, *Historia ecclesiastica*, lib. I, c. 2 (M. L., 21, col. 468).

[1] Sozomenus, *Hist. eccl.*, lib. VI, c. 7 (M. G., 67, col. 1311).

[2] *Epist. ad fratrem suum Arcadium.*

[3] Nov. 6., *praef.*

[4] Apud Labbaeum, *Conc.*, vol. VIII, col. 1134.

[5] Apud Balutium, *Capitular.*, t. I, p. 437, ad an. 805. Et paulo post, Ludovicus et Lotharius, ad Eugenium papam: « Veraciter nos debitores cognoscimus, ut his, quibus regimen ecclesiarum et ovium dominicarum cura commissa est, in omnibus causis ad divinum cultum pertinentibus opem et auxilium, pro qualitate virium nostrarum, et intellectus nostri capacitate, feramus ». Apud Baron., *Annales Eccl.*, ad an. 825, n. 47.



http://www.obrascatolicas.com

reluctabatur, haec edicebat: « An ignorat praedictus imperator, quod D. N. I. C. cum esset in terris, beato Petro et per eum universis successoribus oves suas pascendas commisit? Nonne audivit in Evangelio ab eodem Filio Dei eidem Principi Apostolorum esse dictum: Simon, diligis me? Pasce oves meas. Numquid sunt hic Francorum reges vel aliquid praelati excepti? »[1]

3. Quod autem non solum dictis, sed etiam *re*, Ecclesiae plenam independentiam et iuridicam perfectionem principes agnoverint, profecto id maximi momenti est; siquidem hoc argumentum *ex facto ideo* efficaciam suam magnam exerit, quia saltem recognitionem *possessionis iuris* plusquam millenariae ostendit, quem titulum nulla dynastia, nullum imperium humanum pro se iactare valet; neque ius tali titulo cohonestatum ulli subripere fas est, aut eo expoliare possessorem qui adversus neminem iniuria agat. Et quoniam hodierni quoque rerum publicarum moderatores praescindere nequeunt, in gubernandis civibus, ab iis rerum adiunctis, quae, in ordine externo et sociali, maximum habent influxum, officium est ipsorum considerare factum, saltem positionis socialis et internationalis Ecclesiae, et cum hac societate, cuius nulla ampliorem efficacioremque habet in cives vim potestatemque ita agere ut de facto existit.[2]

4. Revera id semper praestitit veterum principum populorumque sapientia.

*Iustinianus* vim quarundam legum ecclesiasticarum existimavit tantae esse efficaciae vel in ipso ordine civili, ut eis vigorem quoque dederit legum imperii;[3] generatim, usque ad nostra fere tempora, sacrorum canonum observatio urgebatur et vigebat ministerio quoque brachii saecularis; item, immunitates ecclesiasticas plurimas ipsae leges civiles suas quo-

[1] Apud Baronium, op. cit., ad an. 1162, n. 10.

[2] Filomusi-Guelfi, *Enciclopedia giuridica*, § 124, Napoli, 1917; Calisse, *Diritto ecclesiastico*, p. 158; Friedberg-Ruffini, *Trattato di dir. eccl.*, § 29, not. 25. Praestat heic referre quae in art. 2 Tractatus Lateranensis (11 februarii 1929) declarantur: « L'Italia riconosce la sovranità della Santa Sede nel campo internazionale come attributo inerente alla sua natura, in conformità della sua tradizione ed alle esigenze della sua missione nel mondo ».

[3] « Sancimus vicem legum obtinere sanctas ecclesiasticas regulas quae a sanctis quatuor conciliis expositae sunt aut firmatae... ».



que fecerunt, earumdemque vigorem opportunis firmarunt sanctionibus; demum, ipsa crimina ecclesiastica quandoque civilibus quoque poenis punita sunt, ut factum est de haeresi; imo, ipsi *codices hodierni* pro effectibus publicis, quos vita socialis Ecclesiae producit, ius canonicum habent, in materiis praesertim beneficialibus, ut fontem iuris, saltem accessorium seu subsidiarium: pariter *Constitutionales* leges quarumdam Nationum agnoscunt ius Ecclesiae sese regendi iuxta suas leges.[1]

5. Demum, nostris quoque temporibus, non minus quam saeculis elapsis, rerum publicarum moderatores cum Sede Apostolica veras *Conventiones*, ad instar pactorum internationalium, ineunt, et legatos mittunt accipiuntque, ideoque saltem implicite personalitatem iuridicam internationalem Sedis Apostolicae agnoscunt.[2]

**66.** *d) Denique Romani Pontifices* Ecclesiae perfectionem iuridicam, adversus oppugnatores vindicare, tum gloriosissimis rebus gestis, tum constanti magisterio, numquam praetermiserunt.

*Callistus II*, in Concilio Lateranensi I, post luctas de investituris habito: « Praeterea iuxta Beatissimi Stephani Papae sanctionem statuimus, ut laici, quamvis religiosi sint, nullam tamen de ecclesiasticis rebus aliquid disponendi habeant facultatem: sed secundum apostolorum canones omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat et ea velut Deo contemplante dispenset. Si quis ergo *principum* aut *laicorum aliorum*

[1] Exempli gratia, art. 114, Constitutionis Poloniae, « L'Eglise catholique-romaine est réglée par ses propres lois ». In pluribus autem proximi Orientis Nationibus legislatio Ecclesiae, v. g. quoad matrimonium, quoad iudicia civilia etc. vim habet in foro civili. Sic canones promulgati in Motu Proprio e disciplina sacramenti matrimonii pro Ecclesia Orientali *Crebrae* d. 22 februarii 1949 (*A. A. S.*, vol. XLI, p. 89 ss.) et Litteris Apostolicis *Sollicitudinem Nostram*, d. 6 ian. 1950 (*A. A. S.*, vol. XLII, p. 3 ss.) de iudiciis pro Ecclesia Orientali valent etiam pro foro civili.

[2] Quoad personalitatem iuridicam internationalem Ecclesiae, cfr. Pasquazi, *Ius internationale publicum*, Romae 1935, vol. I, p. 80 ss.; Anzilotti, *Corso di dir. intern.*, Roma 1928, p. 128 ss.; Fiore, *Trattato di dir. internaz. pubbl.*, vol. I, p. 47 et 463; Di Meglio, *De personalitate iuridica internationali Ecclesiae*, Romae, 1932.

http://www.obrascatolicas.com

dispensationem vel donationem rerum sive possessionum ecclesiasticarum sibi vindicaverit, ut sacrilegus iudicetur ». [1]

*Ioannes XXII,* in Constitutione Dogmatica *Licet* recensuit ac damnavit Marsilii Patavini et Ioannis de Ianduno errores de Ecclesiae constitutione et potestate, inficiantes Ecclesiae independentiam ab imperatore, eiusque facultatem puniendi reos aut possidendi bona temporalia independenter a civili potestate; eosdemque errores damnavit velut « sacrae scripturae contrarios et fidei catholicae inimicos, haereticos, seu haereticales et erroneos ». [2]

In Bulla *Coena,* quae quotannis feria V mai. Hebd. usque ad annum 1769 publicata est, Romani Pontifices pluribus articulis edicebant Ecclesiam esse societatem perfectam et independentem.

*Pius VI* ut haereticam damnavit propositionem Synodi Pistoriensis, qua insinuabatur Ecclesiam non habere potestatem societatis perfectae, seu « non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubris poenis coercendi atque cogendi ». [3]

*Pius IX* acriter improbans eorum opiniones quos minime pudebat affirmare « Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione vel, minimum, assensu potestatis civilis; itemque « ecclesiasticam potestatem non esse iure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque eiusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur iura potestatis civilis », damnavit propositionem sequentem: « Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis

[1] Denzinger, n. 361; cfr. can. 25 conc. Later. II, et can. 14 conc. Later. III.

[2] Denzinger, n. 495 ss.

[3] Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794; Denzinger, n. 1504. Cfr. Benedicti XIV Breve *Ad assiduas,* an. 1755.



est definire, quae sint Ecclesiae iura et limites, intra quos eadem iura exercere queat ». [1]

*Leo XIII,* in Encyclicis Litteris, quibus de civitatum constitutione christiana egit, simul Ecclesiae iura libertatemque ac iuridicam perfectionem integro documento probat ac vindicat: *Societas est* — docet Summus Pontifex de Ecclesia — *genere et iure perfecta,* cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque Conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia... [2]

*Benedictus XV,* Codicem Iuris Canonici promulgans, de exercitio legiferae potestatis, quae Ecclesiae competit tamquam societati perfectae, agens, haec habet: « Providentissima Mater Ecclesia, ita a Conditore Christo constituta, *ut omnibus instructa esset notis quae cuilibet perfectae societati congruunt,* inde a suis primordiis, cum, Dominico obsequens mandato, docere ac regere omnes gentes incepit, aggressa est iam tum sacri ordinis virorum christianaeque plebis disciplinam datis legibus moderari ac tueri ». [3]

Quare in ipso Codice ab eodem Romano Pontifice promulgato, pluries sacris canonibus vindicatur Ecclesiae *plena* ac *libera* potestas, *independens* a qualibet humana auctoritate, speciatim vero a civili potestate, leges ferendi, iudicandi, puniendique potestas, acquirendi ac administrandi bona etc. [4] Et quidem notatu dignum est ipsum ius canonicum Concordatis, Constitutionibus Nationum, aliisque legibus civilibus saepius agnitum esse fontem iuris pro ipsis civilibus societatibus. [5]

[1] *Syll.* prop. 19 (Denz., 1719): cfr. Bull. *Quanta* cura, 8 dec. 1864; notentur quoque sequentes Syllabi propositiones 20 et 54: « Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu ». « Reges et principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiae ». Denzinger, 1720 et 1754.

[2] *Immortale Dei,* § 18 Haec societas; § 49, Similiter.

[3] Const. *Providentissima,* 27 maii 1917.

[4] Cfr. ex. gr. cc. 218, 335, 1495, 1553, 2214; item cfr. cc. 109, 120, 121, 196, 265, 1160, 1260, § 2, 1405, 2334, 2390.

[5] Quoad Concordata, cfr. ex. gr.: Conc. *Germanicum,* art. 33; *Austr.*,

http://www.obrascatolicas.com

Et *Pius XI,* Encycl. Litt. *Ubi arcano Dei* 23 decembris 1922, talem Regno Christi naturam ac condicionem vindicat qua « in eo dignitatis gradu statuitur Ecclesia, in quo a suo ipsius Auctore collocata fuit, *perfectae societatis,* ceterarumque societatum magistrae ac ducis ». [1]

*Pius XII,* demum, Litt. Encycl. *Supremi Pontificatus,* 20 octobris 1939, tamquam strenuus defensor iurium Ecclesiae eius libertatem et independentiam propriam societatis perfectae vindicat contra omnes ausus moderni absolutismi. Haec autem Epistola Encyclica ab omnibus habenda est prae oculis qui volunt nedum iura Ecclesiae sed et individuorum ac familiarum naturales ac divinas facultates servare contra tendentias hodiernas statolatriae. [2]

# SECTIO II

## DE ECCLESIAE POTESTATE

## TITULUS I

### NATURA, LIMITES, ET SPECIES POTESTATIS ECCLESIASTICAE

#### ARTICULUS I

#### De potestate ordinis et iurisdictionis

**67. Notio.** – 1. Duplex potestatis genus in Ecclesia est: *ordinis* videlicet et *iurisdictionis;* hoc sane pendet ex fine proximo eidem Ecclesiae praestituto. Haec societas namque a Christo Domino ideo instituta est ut in ea et per eam

art. 22. Quoad Constitutiones, cfr. ex. gr.: Const. *Boliviae* (anni 1880), art. 9; Const. *Columbiae* (anni 1886), art. 53; Const. *Poloniae* (anni 1935), art. 114. Novissimum Concordatum Hispanicum (d. 27 aug. 1953) in articulo II haec statuit: « El Estado español reconoce a la Iglesia Católica el carácter de Sociedad perfecta ».

[1] *A. A. S.*, vol. XIV, p. 690.

[2] *A. A. S.*, vol. XXXI, p. 411-453.



homines, mediis idoneis adhibitis quae Ecclesiae collata sunt, atque actibus suis ab Ecclesia rite directis, fructum sanctificationis in terris consequantur, ac tandem vitam aenam in coelis habeant. [1]

Hinc potestas Ecclesiae versatur: 1° *circa media* ad gratiam sanctificantem producendam vel impetrandam idonea, quae sunt sacramenta et sacramentalia; 2° *circa hominum actus,* ut necessaria habeatur, Dei auxiliante gratia, ipsorum fidelium cooperatio per rectam fidei professionem et vitae conformationem christianis moribus.

2. Igitur potestas, qua pollet Ecclesia in ordine ad conficienda et administranda sacramenta et sacramentalia et ad omnes actus cultus rite perficiendos, vocatur potestas **ordinis**; haec vero secumfert vim quamdam seu facultatem quamdam supernaturaliter collatam ad praedicta sacra peragenda, et in subiecto cui inhaeret confert nedum ius exercendi, debitis modis, talem facultatem, sed etiam quamdam praecellentiam dignitatis respectu aliorum membrorum Ecclesiae.

Potestas vero quae Ecclesiae competit in ordine ad gubernandos homines, idest ad dirigendos auctoritative eorum actus tum quoad fidem, tum quoad mores, dicitur potestas iurisdictionis, et haec confert in subiecto in quo residet proprie dictam superioritatem imperii.

3. *Subiectum* autem, cui competit vel potestas ordinis vel potestas iurisdictionis, coetum quemdam particularem in Ecclesia constituit idest *clerum,* complexum clericorum, a ceteris membris, videlicet *a laicis* apprime distinctum. Quoniam vero haec distinctio iure divino in Ecclesia existit, [2]

[1] « Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam », *Rom.*, V, 22.

[2] Can. 107: « Ex divina institutione sunt in Ecclesia clerici a laicis

http://www.obrascatolicas.com

patet Ecclesiam ipsam iure divino esse debere societatem inaequalem. Porro, inaequalitas ulterius ex eo habetur quod non aequali modo a clericis participatur potestas, sive ordinis sive iurisdictionis, sed dantur diversi gradus hierarchici secundum quod alii aliis subordinantur.

Sacra autem hierarchia duplici ordine ex divina institutione distincta est: pro diversa enim ratione potestatis, datur *hierarchia ordinis* et *hierarchia iurisdictionis;* illa episcopis, presbyteris et ministris gradu distinctis constat, ista vero pontificatu supremo et episcopatu subordinato, quibus ex Ecclesiae institutione alii quoque gradus accessere. [1]

**68.** I. De divina potestatis ordinis existentia extat definitio Concilii Tridentini: « Si quis dixerit non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi... anathema sit ». [2]

Vocatur autem potestas ordinis tum quia per illum ritum sacrum confertur qui *ordinatio* vel simpliciter *ordo* dicitur, tum etiam quia per gradus seu ordines distributa, diversimode participatur; vocatur quoque potestas *ministerii.*

Demum notandum est potestatem ordinis aliam esse *iuris divini,* aliam vero *iuris ecclesiastici*: illam Christus instituit ac conferri voluit, per sacram ordinationem, ad conficienda et administranda sacramenta, quorum ipse est auctor; altera vero est ex Ecclesiae institutione, quia versatur circa illos ritus sensibiles quos ipsa instituit, ad gratiam significandam et precibus impetrandam, et haec sunt sacramentalia.

II. Potestas iurisdictionis, quae vocatur quoque *imperium,* heic intelligitur sensu quodam generali de omni specie potestatis publicae pro regimine fidelium, et non de sola potestate iudiciali.

Esse autem in Ecclesia hanc quoque potestatem iam satis constaret ex dictis de Ecclesiae iuridicitate et perfectione; verum particulariter ostendi potest ex S. Scripturis, traditione et universali Ecclesiae praxi, ut mox patebit ex dicendis de potestate legifera, iudiciali et executiva Ecclesiae. Hinc speciatim quoad Romani Pontificis auctoritatem, definivit Concilium Florentinum ipsi in Beato Petro *pascendi, regendi, ac gubernandi* universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, [1] et Pius VI generatim agens de potestate universis Ecclesiae pastoribus competente, ut haereticam damnavit propositionem affirmantem « *abusum fore auctoritatis Ecclesiae, transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum,* et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde; tum etiam, multo minus ad eam pertinere, *exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis* ». [2]

Quoniam vero potestas iurisdictionis confertur non per ordinationem, sed *per canonicam missionem* factam a legitimo superiore, uno excepto Romano Pontifice, cui immediate confertur a Christo, eadem diversimode participari potest, independenter a gradu quem quis habet in hierarchia ordinis, sed prout datur a Superiore, cum possit v. g. Episcopus, qui tamen plenitudinem sacerdotii habet, nulla iurisdictione gaudere, et vicissim simplex clericus, vel etiam, extraordinarie ex Romani Pontificis concessione, laicus plus minusve hac potestate pollere. [3]

Ex dictis clara evadit, haec, quae sequitur, iurisdictionis ecclesiasticae definitio; est enim « *potestas publica legitimi superioris, a Christo vel ab Ecclesia per canonicam missionem concessa, regendi baptizatos in ordine ad salutem aeternam* ». [4]

---

distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis; utrique autem possunt esse religiosi ». Cfr. *Conc. Trid.,* sess. XXIII, can. 4.

[1] Can. 108, § 3.

[2] Sess. XXIII, can. 6; item sess. XXIII, c. I, *de Sacr. Ordin.*: « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, anathema sit ».

[1] Ex Bulla *Laetentur coeli,* 6 iulii 1439, Denz., n. 694.

[2] *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794; Denz., 1504; cfr. etiam Conc. Trid., sess. VII, can. 7 et sq.; Conc. Vat. Const. *Pastor aeternus,* cap. 3; *Syll.* (passim).

[3] Bouix, *De principiis iuris can.,* p. 546.

[4] Maroto, *Institutiones iuris can.,* n. 573, p. 666.



http://www.obrascatolicas.com

**69. Distinctio inter hierarchiam ordinis et iurisdictionis; differentia inter utramque potestatem.** – Distinctionem et separabilitatem utriusque potestatis nonnulli quidem impugnarunt tum catholici, tum viri heterodoxae fidei. [1]

Hi ultimi, ideo asserebant per episcopalem consecrationem conferri plenitudinem sacerdotii simul et iurisdictionis, ut, penitus sublata qualibet inter utramque potestatem distinctione, Romanum Pontificem parem facerent, potestate, ceteris episcopis.

Verum multiplici ex capite ostendi potest utramque potestatem esse *distinctam* et *independentem*.

I. Equidem: a) *differunt* origine *seu modo quo conferuntur*. Potestas ordinis sane confertur per ritum sacrum exteriorem et sensibilem, qui dicitur *ordinatio;* potestas vero iurisdictionis confertur per *missionem* seu *canonicam institutionem*, qua fit legitima subditorum assignatio, quae necessaria omnino est ut actus iurisdictionis in aliquem exerceri possit. Hinc Concilium Tridentinum duplicem actum, in constitutione pastorum Ecclesiae, distinguit: « Si quis dixerit eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros, anathema sit ». [2]

Qui asserunt in antiquae Ecclesiae disciplina, ad assequendam utramque potestatem, solam ordinationem satis fuisse, et recentiore tantum aevo duplicem et distinctum modum adhibitum esse, ideo in errorem lapsi sunt, quia id quod *eodem tempore* fiebat, *unico eodemque actu* actum fuisse censuerint. Verum duo semper distincti actus fuerunt: quatenus, prout historice constat, is ordinabatur qui ad aliquam Ecclesiam regendam electus fuerat.

b) *Differunt* **proprietatibus.** Potestas ordinis adnexa est et innititur characteri sacramentali; hinc peracta ordinatione, manet res et sacramentum in perpetuum, idest potestas ad sacra conficienda. Igitur, potestas ordinis *quoad conservationem* et durationem non pendet a voluntate hominum; item, *quoad acquisitionem* non potest haberi in eo qui est sine charactere, ideoque non est delegabilis vel praescriptibilis, etc.; similiter *quoad exercitium* valide semper adhibetur non obstante cuiuslibet prohibitione; demum *quoad vim et efficaciam* aequalis est in omnibus habentibus characterem determinati ordinis seu gradus, quin hominum voluntate restringi aut augeri queat: et hoc sensu edicebat Hieronymus: « ubicumque fuerit episcopus sive Romae, sive Eugubii... eiusdem est et sacerdotii ».

E contra cum iurisdictio *adquiratur* per deputationem vel missionem canonicam, *amitti potest* v. g. finito tempore statutae deputationis, vel etiam renuntiatione legitime facta, vel revocatione ex parte superioris; item *quoad exercitium* pendet eius a voluntate et legibus Ecclesiae; adquiri potest etiam delegatione; qui enim pollet iure regendi, ex rei natura valet id praestare tum immediate tum mediate, idest vel per se vel per alios, nisi lege vel praecepto prohibeatur; *quoad vim et efficaciam* vero potest maior esse vel minor, etiam in eodem gradu hierarchico, cum v. g. episcopi potestas, specialibus facultatibus a Romano Pontifice collatis, augeri possit; in inferioribus autem diversimode participatur, quia tanta est quanta superioris placito confertur.

c) *Differunt denique* fine *proximo*. Equidem potestas ordinis *directe tendit* in sanctificationem singulorum per usum eorum mediorum quae ex opere operato gratiam producunt; potestas vero iurisdictionis *directe* tendit ad regendos hominum actus ut necessaria habeatur cooperatio ipsorum; et quoniam praecipue et immediate respicit communitatem, singulorum sanctificationem procurat mediate tantum.

I. Sunt invicem **independentes.** Enimvero:

a) *Separate subsistere possunt*. In aliquibus enim est ordinis potestas et non iurisdictionis; id contingit in pluribus clericis, imo etiam in nonnullis qui, licet plenitudinem sacerdotii adepti sint, supremo gradu potestatis ordinis gaudent at sine iurisdictione, ut sunt episcopi titulares. Iurisdictio enim requirit subditorum assignationem, et haec non procedit a charactere sacramentali. E converso posset laicus, idest vir qui nec

[1] PHILLIPS, *Principia iuris can.*, t. I, § 32; HINSCHIUS, *Sistem der K. Kirchenr.*, t. I, p. 170; cfr. DEVOTI, *Institutiones canonicae*, lib. I, tit. II, § 1.

[2] Sess. XXIII, can. 7.



http://www.obrascatolicas.com

primam tonsuram receperit, extraordinaria iurisdictione pollere et plenitudinem potestatis iurisdictionis in universali Ecclesia habere, si idem eligeretur in Romanum Pontificem, licet statim ordinibus esset augendus.

Verum quidem est anteactis temporibus utramque potestatem simul eodem tempore iis fuisse collatam qui manciparentur sacris muneribus: imo ordinaria potestas, ipso iure vigente, quisbudam sacris officiis, quae ordinis potestatem supponunt, inhaeret, ideoque connaturali modo et regulariter utraque potestas reperitur in iisdem subiectis, ut verificatur in Romano Pontifice, et in Episcopis residentialibus; sed etiam in his casibus apparet earum separabilitas et independentia; nam,

b) *cum simul in eodem subiecto existunt, una immutari vel penitus amitti potest altera integra remanente.*

Enimvero, quia potestas iurisdictionis confertur per canonicam missionem et subditorum adsignationem, potest immutari vel auferri, quatenus aliter determinetur competentia tum respectu materiae tum respectu subditorum, vel quatenus missio et subditorum assignatio revocetur; sed semper immutata remanet potestas ordinis sicut immutatus perseverat character, etiam in eo qui v. g. *extra Ecclesiam* fit per haeresim aut schisma. Similiter potest quis renuntiare potestati iurisdictionis, sed per hoc non abdicat potestatem ordinis quam simul habet, neque enim id possibile est. Hinc v. g. episcopi residentiales cum titulares fiunt, iurisdictionem quidem amittunt, ordinis vero potestatem plene cum charactere conservant. Item, v. g. Caelestinus V, cum se supremo pontificatu abdicavit, deposuit plenitudinem potestatis in Ecclesia universali, et humilis monachus iterum factus est, qui tamen ordinis potestate expoliari non potuit: et hoc sub respectu immutata eius potestas episcopalis permansit.

**70. Relatio inter potestatem ordinis et iurisdictionis.** – Vidimus utriusque potestatis notas proprias ac distinctivas; verum in pluribus conveniunt potestas ordinis et iurisdictionis.

1° *Conveniunt enim in causa efficiente*, quod ambae a Deo profectae sint, et quidem non mediate, ut ab Auctore



naturae. Sane, ad potestatem ordinis iuris divini conferendam Deus immediate concurrit, itemque ad potestatem iurisdictionis quae Romano Pontifici conceditur; ceteris vero potestatem iurisdictionis Deus concedit per comparticipationem factam a Romano Pontifice tamquam a causa secundaria. Item potestas ordinis iuris ecclesiastici a Deo procedit ex facultate quam Ipse Ecclesiae fecit eandem constituendi.

2° Item, *conveniunt natura*. Utraque potestas enim est supernaturalis, origine, fine et obiecto, ut explicavimus (n. 67 s.; p. 122 ss.).

3° Denique est utriusque potestatis *idem finis*, saltem mediatus, cum utraque potestas ultimatim homines dirigat ad sanctificationem consequendam et ad vitam aeternam adipiscendam.

4° Arctissima autem colligatio inter potestatem ordinis et iurisdictionis patet quoque ex connexione quae viget, *ratione subiecti* in quo utraque potestas residet. Nam: *a*) connaturali modo et ordinario invenitur in iisdem subiectis; *b*) ex iure canonico communi, soli clerici sunt capaces iurisdictionis adipiscendae; *c*) imo talis est relatio inter iurisdictionem illam ordinariam qua pollent v. g. episcopi, ad sacramentum ordinis, ut ideo foeminae dicantur ipso *iure divino* [1] incapaces iurisdictionis ordinariae recipiendae, quia a sacerdotio excluduntur.

5° Praeterea relatio quaedam dependentiae intercedit inter utramque potestatem; equidem ordinis potestas cadit in suo exercitio sub potestate iurisdictionis, licet solummodo quoad liceitatem, nam essentia et usus validus tolli nequit, cum nitatur, ut vidimus, charactere indelebili.

[1] Est autem controversia num iurisdictionis delegatae mulieres sint capaces. Certe quidem incapaces sunt ex iure canonico, nec hodie, etiam dispensative, conceditur eis a Romano Pontifice.



http://www.obrascatolicas.com

## Articulus II

### De potestate iurisdictionis speciatim

**71. Obiectum potestatis iurisdictionis.** – Nostrum est agere non de potestate ordinis sed de potestate iurisdictionis. Equidem proprium est sacerdotalis ministerii mediationem exercere inter Deum et populum, in quantum divina populo tradit: [1] sed in quantum hoc agit, praescindit a *publico regimine*. Hinc a Deo data est sacerdotio christiano potestas quoque iurisdictionis, in quantum Deus Ecclesiam condĭdit non ut simplicem religionem, sed ut religiosam *societatem* iuridice perfectam.

Igitur in iure publico ecclesiastico, in quo Ecclesia respicitur prout est societas iuridice perfecta, directe et immedĭate agitur de eius potestate iurisdictionis quae sociale seu publicum et externum regimen intendit. Unde can. 196 « Potestas iurisdictionis *seu regiminis...* ».

Potestatem iurisdictionis diximus esse potestatem publicam legĭtimi superioris a Christo, vel ab Ecclesia per canonicam missionem, concessam, regendi baptizatos in ordine ad salutem aeternam. Baptizatorum directio autem fieri debet ipsorum cooperationem gratiae Dei promovendo, tum per rectae fidei professionem, tum per actuum conformationem bonis moribus: hinc duplex obiectum circa quod potestas iurisdictionis exercetur, pro regimine hominum: hoc est fides et mores, ideoque duplex, pro obiecti diversitate, potestatis huius ratio seu functio: *magisterium* vidĕlicet et *imperium*. [2]

---

[1] S. Th., III, q. 22, a. 1.

[2] De iis qui vellent magisterium a potestate iurisdictionis seiungere et tertium genus potestatis sic statuere (potestas *ordinis, iurisdictionis, magisterii* = seu ministerii, imperii et magisterii) cfr. Ottaviani, *Institutiones*, ed. III, 1948, vol. I, n. 118, p. 208 ss.



**72. Iurisdictio fori interni et externi.** – Potestas iurisdictionis seu regiminis quae ex divina institutione est in Ecclesia, alia est fori externi, alia fori interni, seu conscientiae, sive sacramentalis sive extrasacramentalis (c. 196; cfr. c. 1044, 3).

Ratio divĭsionis est quia in Ecclesia, ob specialem eius naturam et finem, duplex modus potestatis iurisdictionis exercendae est necessarius, pro efficaci directione populi christiani. Est enim Ecclesia societas spiritualis et supernaturalis, quae tendit in fidelium sanctificationem: id autem ipsa tutius consequitur, bonum publicum ac privatum simul directe intendens, idest dirigens non solum in communi omnes fideles, verum singulos directe quoque et immediate disponens, secundum quod specialis uniuscuiusque condĭcio et status exigit.

Potestas iurisdictionis *fori interni* illa est quae bonum communitatis procurat urgendo singulorum directionem, nam exercetur in privatam uniuscuiusque fidelis utilitatem. Talis est v. g. potestas absolvendi a peccatis, vel dispensandi a votis privatis, non autem ab illis quae publice, in facie Ecclesiae emittuntur: nam iurisdictio fori interni ordinat fidelium relationes morales ad Deum, non eorumdem relationes sociales ad Ecclesiam ut societatem visibilem. [1] Haec autem potestas subdividĭtur in iurisdictionem fori interni *sacramentalis*, quae exerceri nequit nisi intra tribunal sacramenti poenitentiae, et in iurisdictionem fori interni *extra sacramentalis*, quae extra praedictum tribunal exercetur: id v. g. fit quando in foro conscientiae, sed extra sacramentalem confessionem, dispensatur super impedimentis matrimonialibus *occultis*. [2]

---

[1] Wernz, *Ius Decretalium*, Prati, 1915, t. II, P. I, n. 4, p. 14.

[2] Hinc *Sacrae Poenitentiariae* competentia in *can.* 258 ita describitur ut eidem tribuatur, « in foro interno, etiam non sacramentali, gratias largiri, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes et condonationes ».

http://www.obrascatolicas.com

Potestas iurisdictionis *fori externi* est illa quae directe et primario in bonum communitatis exercetur, seu in publicam fidelium utilitatem. Talis est v. g. facultas concedendi potestatem absolvendi tum a peccatis tum a censuris, facultas decreta legesque edendi, beneficia conferendi, etc.

Ex dictis patet solius Ecclesiae esse potestatem habere fori interni; quae potestas, etsi internam et privatam fidelium sanctificationem respiciat, est tamen vere potestas quaedam socialis, quia Ecclesiae competit qua societas, et eius ministris confertur tamquam iis qui socialis potestatis participes fiunt.

Item constat quo sensu sit intelligendum vulgare adagium: Ecclesia de internis non iudicat.[1] Ecclesia enim non iudicat de internis in iudicio publico, seu in foro suo externo, bene vero in foro suo interno.

**73. Potestas iurisdictionis ordinaria et delegata.** – Ratione *tituli* seu fundamenti, quo innititur potestas iurisdictionis in aliquo subiecto, potest esse *ordinaria* et *delegata:* illa est quae ex iure adnexa est officio, proindeque habito legitime officio exercetur iure proprio, dum e contra sine officio in se subsistens non datur; e contra iurisdictio delegata est ea quae non ex officio habetur, quia nulli officio per se adnexa est ex iure, sed commissa est personae, seu collata est sola per iniunctionem aut mandatum (c. 197, § 1). Iurisdictio autem ordinaria potest esse sive *propria* sive *vicaria* (c. 197, § 2). Propria est quae non solum ex officio habetur, sed etiam nomine proprio exercetur, idest non vices ac partes alterius gerendo; vicaria autem est quae ex officio quidem habetur at alieno nomine exercetur, quia per se ad alium, tamquam principalem, spectaret, cuius veluti substitutus et accessoria persona habetur ille qui vicarius existit.[2]

[1] Innocentius III (c. 34, X *De Simonia*, V, 3): « Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare ».

[2] Maroto, *Institutiones iuris canonici*, Romae, 1921, t. I, n. 695 ss., p. 824.



Tria igitur concurrunt ad constituendam potestatem iurisdictionis propriam: *a*) quod sit officio adnexa, *b*) quod adnexio facta sit ex iure, *c*) quod nomine proprio exerceri possit, tamquam a persona directe et principaliter tali potestate praedita.

Potestas autem vicaria est quidem adnexa officio ex iure (v. g. officio Vicariatus in Urbe), at exercetur tamquam ab agente secundario et substituto eius cui potestas eadem ordinaria principaliter pertinet.

Hoc quidem respectu personarum quae in Ecclesia obtinent ipsius Ecclesiae iurisdictionem. At potest alius quoque adspectus considerari secundum quem potestas ordinaria vicaria nuncupatur; prout videlicet haec in Ecclesia in se spectata et non in singulis pastoribus consideratur, cum videlicet Ecclesia agit non quidem nomine proprio, seu ex potestate plane consequente iura socialia sibi connaturalia vi suae divinae constitutionis, sed potius talem potestatem ex speciali commissione, et ut Dei instrumentum, ideoque ut divinae voluntatis interpres, exercet. Id v. g. obtinet cum a iuramentis solvit, a votis, itemque a vinculo matrimonii rati et non consummati,[1] vel etiam a vinculo matrimonii legitimi in favorem fidei.[2]

In iure publico ecclesiastico agitur directe et primario de potestate iurisdictionis fori externi; et attenditur triplex functio quae potestatis iurisdictionis in publico societatis regimine propria est: legifera, videlicet, iudiciaria et executiva.

[1] Wernz, *Ius Decretalium*, Prati, 1915, t. II, P. I, n. 4, pp. 13 et 14.

[2] Vide Const. Pauli III, *Altitudo*, 1 iunii 1537; S. Pii V, *Romani Pontificis*, 2 aug. 1571; Gregorii XIII, *Populis*, 25 ian. 1515 in fine Codicis et can. 1125 quo praedictae Constitutiones ad universum orbem extenduntur. Cfr. Gasparri, *De Matrimonio*, Typis Vaticanis, 1932, vol. II, pp. 232 ss., nn. 1156-1170.

http://www.obrascatolicas.com

# TITULUS II

## DE ECCLESIAE POTESTATE LEGIFERA

### ARTICULUS I

### Existentia potestatis legiferae in Ecclesia

**74.** I. **Ex verbis Christi.** – 1. Ex verbis Christi constat Ecclesiam regni [1] imaginem expressam gerere; ipsiusque supremum magistratum potestate legifera esse instructum ex eo etiam constat quod collatas sibi habuit *claves* [2] ipsius regni seu supremam potestatem (sovranità), cuius praecipua functio distinctiva est ius legiferandi; insigne enim usitatum « *imperii claves* » esse nemo nescit. [3]

2. Constat insuper **alligandi ius** *plenum* in Ecclesia constitutum esse: [4] ideoque vinculum quodlibet, non excluso igitur vinculo legis, ab ea imponi posse. Praeterea, obligationes seu vincula legis ab Ecclesia imponi posse ex eo etiam

[1] Cfr. Lc., IV, 16-22; XII, 32; MATTH., XI, 2-15, ubi Christus verba Isaiae, c. 61, 1-2; 35, 5-6, ad se applicat. — In literatura rabbinica « *regnum Dei* » significat potestatem regiam Dei in homines, eiusque exercitium. LAGRANGE, *Le messianisme chez les Juifs*, p. 151 ss. Quae potestas regia Dei in Ecclesia tamquam in Regno Dei a Christo fundato in terris (MATTH., XIII, 31; X, 7: Lc., XI, 20; XVI, 16) exercetur ab iis qui legatione pro Deo funguntur, quibus a Christo omnis potestas data est, in coelo et in terra: MATTH., XXVIII, 18, 19. Quod autem agatur de regno quod non sit mera perfectio interna animarum, sed *coetus hominum externus*, speciatim colligitur ex MATTH., XIII, 24-30, 47-50; XXI, 43; XXV, 1-13, etc.

[2] MATTH., XVI, 9; cfr. Is., XXII, 22 (KNABENBAUER, *Comm. in Isaiam*, I, p. 493; CONDAMIN, *Le livre d'Isaïe*, p. 152). Quoad explicationem sensus verborum « Claves regni coelorum », cfr. BELLARMINUS, l. I, *De Rom. Pont.*, c. 13; BILLOT, *De Ecclesia Christi*, Prati, 1909, p. XI, th. 20, p. 440; TANQUEREY, *Syn. theol. dogm. - De Eccl.*, ed. XIV, p. 384.

[3] LEONIS XIII, Enc. *De Unitate Ecclesiae*. Cfr. IOB. XII, 14; Is., XXII, 22; *Ap.* I, 18.

[4] MATTH., XVI, 19; XVIII, 18; quoad explicationem horum textuum cfr. BILLOT, l. c., p. 448 et ss.; KNABENBAUER, op cit., p. 68 et CAVAGNIS, op. cit., n. 218; TANQUEREY, op. cit., p. 384, n. 614.



confirmatur quod eadem Ecclesia, secundum similitudinem a I. C. expressam, *gregis* imaginem gerat, cuius *pastor*, hominum gubernacula cum habeat, imperium exercet quomodo populorum pastores, [1] seu reges, gerunt; oves enim rationales ducuntur et reguntur convenienter per obligationes quae intellectum et voluntatem attingunt, seu per leges.

3. Ceterum, quis dicat Ecclesiae pastoribus collatam non fuisse potestatem legum ferendarum, cum ipsis omnis potestas data sit in coelo et in terra, sicut collata fuerat Christo divino legislatori? Nam « Divinus Salvator non tantum fuit doctor sed verus legislator; ergo etiam cum Apostolis potestatem legislativam communicavit ». [2]

Neque dicatur confusionem fieri inter ordinem religiosum et ordinem iuridicum, inter sphaeram vitae internae seu spiritualis ac sphaeram vitae publicae et socialis, ipsumque Christum, ex adverso, declarasse *regnum suum non esse de hoc mundo*, [3] sed internum, conscientiae, ad quam dirigendam *lex angelica* sufficiat. Dixit enim Christus regnum suum non esse de hoc mundo, quatenus non habeat originem ex causis mundanis, seu tale sit quod non armis aut violentia constituatur ac defendatur, sicut ipse Christus Pilato explicavit. [4] Et ideo regnum Christi merito comparatur ab Eusebio Caesareensi cum republica mosaica, in qua certe legislativa potestas aderat, quia Christus « novae vitae ac piis hominibus accommodatae reipublicae primus introductor legisque lator extitit ». [5] Quod si primus legislator,

[1] Id sane eruitur ex usu communi apud auctores tum sacros tum profanos, quando hac metaphora utuntur ad designandos greges hominum. ISAI., XLIV, 28; *II Reg.*, V. 2; MICH., V, 2-4; EZECH., XXXIV, 2, 3.

[2] WERNZ, *Ius Decretalium*, ed III, 1913, vol. I, n. 90, p. 106.

[3] IOAN., VIII, 36.

[4] Unde Augustinus: « Hic non ait: " Regnum meum non est *in* hoc mundo " sed: " non est *de* hoc mundo ". Et cum hoc probaret dicens: " Si *ex* hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudaeis "; non ait: " nunc autem regnum meum non est *hic* ", sed " non est *hinc* ". Hic est enim regnum eius usque in finem saeculi ». Tract. 115, n. 2 (M. L., 35, col. 1939).

[5] *Demonst. evang.*, lib. III, 2 (M. G., 22, 170).

http://www.obrascatolicas.com

Christus, evangelicam legem condidit, evidenter tamen ostendit post se ipsum reliquisse alios legislatores, quibus eandem potestatem qua ipse praeditus erat contulit: « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos *servare omnia quaecumque mandavi vobis* ». [1] Igitur Christus plenitudinem suae potestatis invocat, ut exinde significet auctoritatem Apostolis conferendam nihil aliud esse nisi suae divinae potestatis participationem. Apostoli autem docere debent non solum res *credendas* sed etiam *praecepta* ab omnibus servanda, ideoque potestatem legislativam accipiunt.

**75. II. Ex doctrina et praxi Apostolorum.** – Ex Sacris Scripturis constat etiam Apostolos testimonia, superius allata de potestate legifera, modo supra explicato intellexisse, atque ad praxim deduxisse. In *Concilio Hierosolimitano* vere potestate legifera iidem usi sunt, legem divinam interpretando, atque onus imponendo abstinendi a sanguine et suffocato. *Paulus* vero [2] postquam illud decretum apostolicum editum est, « perambulabat... Syriam et Ciliciam confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum et seniorum »; [3] ipseque Apostolus Gentium, qui a Domino accepit omnia quae opere et sermone docuit, ius sibi competere ostendit leges ferendi, laudatque fideles qui eas servaverint: « scitis quae praecepta dederim vobis », [4] « laudo vos... quod praecepta mea tenetis. [5]

[1] MATTH., XXVIII, 18-20.

[2] *Act.*, XV, 28: « *Visum est enim Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria...* ». De his autem apostolicis litteris IOANNES CHRISOSTOMUS: « Potuissent certe — inquit — multo plura praecipere et absque litteris; sed epistolam mittunt ita ut sit lex scripta... Vide brevem epistolam nihil redundans habentem, nec apparatum, nec syllogismos, *sed praeceptum*. Poterant et sine litteris, sed ut lex scripta esset, epistolam mittunt » (*Hom.*, 33 in *Act. Ap.*; M. G., 60, col. 242).

[3] *Act.*, XV, 41; cfr. *Act.*, XVI, 4.

[4] *I Thess.*, IV, 2.

[5] *I Cor.*, XI, 2.



Revera in litteris Apostolorum, praesertim in epistolis paulinis, passim leguntur exempla eorum praeceptorum, quae ab ipsis statuta sunt, sancte ab omnibus ecclesiis custodienda. [1] Talia sunt decreta de idolothitis, [2] de qualitatibus eligendorum episcoporum, deque bigamis non ordinandis ac neophitis non evehendis, [3] de charismatum usu, [4] de modo iudicandi presbyteros, [5] de christianorum connubiis, [6] de honesto mulierum ornatu, deque coniugum conversatione, [7] de forma recti regiminis a senioribus servanda, [8] aliaque multa de pluribus aliis negotiis ecclesiasticis, circa quae disciplinam servandam firmare iam primum apostoli ipsi solliciti fuere.

**76. III. Ex praxi constanti Ecclesiae.** – Apostolorum exempla secuti, ii, qui eis successerunt, ac praesertim Romani Pontifices, leges et decreta ferre pro recto ecclesiarum regimine haud destiterunt.

Origines iuris canonici attingunt tria priora saecula Ecclesiae. Id praesertim evincitur ex celebratione conciliorum, et synodorum in iis primis saeculis habita. Postea, saeculo IV habitum est magnum Concilium Nicaenum, universale, aliaque subsecuta sunt, tum particularia tum oecumenica concilia, in quibus, simul cum fidei tuitione, curata est disciplinae ecclesiasticae ordinatio, decretis seu legibus pluribus editis pro temporum opportunitate.

Testantur idem antiquae collectiones legum ecclesiasticarum, tum privatae tum authenticae, quae veluti conspe-

[1] *Act.*, XV, 41; *Hebr.*, XIII, 17.

[2] *I Cor.*, X, 20, 28. Cfr. etiam *I Cor.*, VIII, 1 ss.

[3] *I Tim.*, III, 2 ss.

[4] *I Cor.*, XIV, 23 ss.

[5] *I Tim.*, V, 19.

[6] *I Cor.*, VII, 12 ss.

[7] *I Petr.*, III, 1 ss.

[8] *I Petr.*, V, 1. Petrus, praecepta tradens nedum fidelibus sed et *senioribus*, qui curam habent fidelium, talibus utitur verbis ex quibus elucet *auctoritas modesta* et *secura* quae propria est illorum qui non iam dominatum exercent (Lc., XXII, 25) sed Christi famulatum.

http://www.obrascatolicas.com

ctum historicum exhibent exercitii muneris legislativi in Ecclesia iam a temporibus apostolicis persoluti, usque ad nostra tempora, in quibus promulgatus est Codex iuris canonici.

Concludere ergo nobis licet ex praxi apostolorum et Ecclesiae universae iure deduci posse existentiam potestatis legiferae in ipsa Ecclesia; secus dicendum esset apostolos hac in re graviter errasse, et factum *constans* ac *universale* nullum habere in Ecclesia valorem. Ceterum habentur quoque hac super re plurimae definitiones, quae valorem facti doctrinaliter confirmant, ut ex dicendis constabit.

**77.** IV. **Ex doctrina Ecclesiae.** – *Concilium Tridentinum* definivit fidelibus inesse obligationem parendi legibus ecclesiasticis, ideoque potestatem Ecclesiae legiferam magisterio suo supremo vindicavit: « Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit ». [1]

*Pius VI* propositionem IV Synodi Pistoriensis damnavit « qua parte insinuat Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae, aliter quam per media quae pendent a persuasione, quatenus intendat Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia, sed etiam *iubendi per leges*, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coërcendi atque cogendi... » tamquam inducentem in systema alias damnatum ut haereticum. [2]

[1] Sess. VII, can. 8; DENZ., n. 864.

[2] *Auctorem fidei*, DENZ., n. 1505. Cfr. BENEDICTI XIV Breve *Ad assiduas*, an. 1755.



Item *Concilium Vaticanum* definiens: « primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe Beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse » quem primatum « Romanus Pontifex tamquam Petri Principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet », [1] eo ipso in supremo Ecclesiae capite potestatem legiferam vindicavit: haec enim certissime in potestate iurisdictionis continetur.

Hinc demum *Codex iuris canonici* (can. 218) Romani Pontificis auctoritatem sic enunciat: « Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu successor, habet non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent. Haec potestas est vere episcopalis, ordinaria et immediata, tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a qua vis humana auctoritate independens ».

De potestate vero episcopali agens, edicit: « Ius ipsis (episcopis) et officium est gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus *cum potestate legislativa*, iudiciaria, coactiva ad normam sacrorum canonum exercenda ». [2]

**78.** Corollarium I. – *Ecclesiae potestas legifera est a potestate civili plene independens.*

Id descendit 1° ex dictis de Ecclesiae perfectione iuridica (cfr. supra p. 103 ss.). Enimvero, ius legiferandi absque subiectione externis potestatibus, est necessario connexum cum iure suprematiae societatis perfectae, cum exigentiis communitatis sive politicae sive religiosae, cuius leges aptari debent peculiaribus

[1] Const. dogm. *Pastor aeternus*, cc. 1 et 4.

[2] Can. 335; cfr. etiam initium Const. Ap. *Providentissima*, 27 maii 1917, qua ipse Codex promulgatus fuit.

http://www.obrascatolicas.com

adiunctis in quibus versatur populus vel obiectum de quo agitur; quae leges si condantur sub influxu externae potestatis, minus aptae generatim evadunt; [1] item 2° *ex natura potestatis* ecclesiasticae quae est spiritualis et supernaturalis; confirmatur 3° *ex natura rerum* de quibus potestate legifera Ecclesiae disponitur: sunt enim res ad eius vitam interiorem, et ad animarum salutem spectantes. Ad solam autem Ecclesiam pertinet statuere de iis quae interiorem eius vitam spectant, cuius ratio a Christo Domino restitutore salutis nostrae fuit constituta; hinc dux hominibus esse ad coelestia non civitas sed Ecclesia debet: eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis quae religionem attingunt videat ipsa et statuat, ac rem christianam libere expediteque iudicio suo administret. [2]

Quam ob rem Pius IX, proscribens eorum errorem quos minime pudebat affirmare « Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione vel, minimum, assensu potestatis civilis », in *Syllabo* damnavit propositionem secundum quam « ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu ». [3]

Corollarium II. - *Hinc falsae sunt doctrinae quibus aut negatur aut pessumdatur independentia potestatis legiferae Ecclesiae.*

---

[1] Fiore, *Diritto internaz. pubblico*, vol. I, lib. 1, c. 1, § 380.

[2] *Immortale Dei*, § 20, Itaque dux; Leonis XIII, *Litt. ad Archiep. et Ep. Borussiae*, 6 ian. 1886.

Quodsi aliquando Ecclesia indulget ut acta quaedam ecclesiastici regiminis civili auctoritati notificentur (cfr. Conc. Rum., 1929, art VIII), cum publici iuris fiunt, id nullatenus ad libertatem legiferam coarctandam conceditur; haec enim notificatio fieri debet non quasi praevia promulgationi legis, non quasi ad habendum consensum ad eis promulgationem, sed tantum post editam legem vel decretum, notitiae causae, seu officiosae communicationis titulo. Hinc praenotatus articulus Conc. Rumeni: « ...Dans le cas où elles seraient d'un intérêt général et publiées par eux, elles seront ensuite portées également à la connaissance du Ministère des Cultes ».

[3] Encycl. *Quanta cura*, 8 dec. 1864; Denz., 1697. Cfr. etiam *Syllabi* prop. 19 et 20, 41-42; Wilmers, *De Christi Ecclesia*, p. 112 et sq., 133 sq.; Billot, *De Ecclesia Christi*, Prati, 1909, p. 449 et sq.



Quorum errorum assertores hi sunt praecipui:

*Marsilius Patavinus* (an. 1343 mortuus), qui in suo libro *Defensor pacis* docet Christum fidelibus omnem Ecclesiae potestatem tradidisse, sub auctoritate populi et civilis potestatis exercendam. Haec doctrina damnata fuit a Ioanne XXII, Const. *Licet*, 23 octobris 1327;

*Protestantes* qui, cum denegent Ecclesiam esse societatem visibilem, eidem in suos subditos omnem iurisdictionis potestatem adimunt;

*Febronius* in libro *De statu Ecclesiae*, an. 1763 edito, a Clemente XIII damnato, decr. 27 februarii 1764, denegans monarchicam Ecclesiae constitutionem, ac R. P. Primatum coarctans extollensque e contra Episcoporum et civilium principum adversum Romani Pontificis auctoritatem, antesignanus errorum regalistarum factus est, qui in Statu plenitudinem potestatis ponunt;

*Gallicani* qui ius placiti regii ac ius Appellationis ab abusu defendunt; et licet iuridicam perfectionem Ecclesiae non denegent, tamen eius legiferam potestatem quoad independentiam minuunt, eam obnoxiam potestati civili faciendo;

*Positivistae, liberales* ac *modernistae*, qui omnes Ecclesiae denegant characteres societatis perfectae ideoque eius legibus tantummodo moralem quandam vim concedunt.

Item, hodierni *statolatrae* et *totalitarii*, qui nihil dicunt esse posse in sociali hominum consortio quod non sit per Statum, in Statu et sub Statu.

## Articulus II

### Obiectum potestatis legiferae Ecclesiae

**79. Potestas legifera Ecclesiae respectu sacri ministerii.** – Sacrum Ecclesiae ministerium ordinatur ad conficienda et ad ministranda sacramenta et sacramentalia et ad connexa munera sacra rite obeunda. Ne autem haec omnia hominum arbitrio relinquantur, neve incongrua diversitas aut abusus in his peragendis irrepant, debet Ecclesia obligatorio modo proponere — sive ius divinum declarando, sive novum ius

http://www.obrascatolicas.com

condendo — normas quae ad validam et licitam confectionem et administrationem sacrorum pertinent. Id secumfert ordinationem *cultus divini*, qui respicit non solum sacrosanctum Missae sacrificium et sacramentorum administrationem, sed etiam divinam psalmodiam, omnesque sacras functiones quae fiunt in honorem Dei, preces, coeremonias, actiones scilicet quae functiones comitantur, res divino cultui dedicatas, uti ex. gr. vasa cultus, sacra indumenta et templa, quae omnia obiectum efformant liturgiae.

Leges autem liturgicae, quarum nonnullae a Iesu Christo conditae sunt, nonnullae ab apostolis, ceteraeque processu temporis, tum pro Ecclesia universali tum pro particularibus ecclesiis, etiam orientalibus, conditae sunt, inveniuntur *in libris liturgicis* (missale, breviarium, rituale, pontificale, coeremoniale). *Codex* vero iuris canonici ius liturgicum non ordinat, sed illud generatim reliquit in eodem statu ac erat prius;[1] liturgicae leges autem continentur quoque in *Constitutionibus Romanorum Pontificum* sicut etiam in *decretis* illis S. R. C. quae materiam stricte liturgicam attingunt.

Quo sub respectu, tamquam praecipua obiecta sacrarum legum liturgicarum habenda sunt: 1° *ritus* cultui publico exercendo determinati; 2° *tempora sacra* festis peragendis et precibus fundendis distincta; 3° *res sacrae, loca, cultus* et *coemeteria*.

[1] « Id factum est tum propter maximam venerationem, qua Ecclesia prosequitur receptos ritus, ac coeremonias cultus, unde difficilius et non sine maxima diligentia eas immutat, tum propter magnum numerum regularum liturgicarum..., tum denique propter specialem naturam ac characterem legum liturgicarum..., satis diversum a charactere aliarum legum liturgicarum..., quacirca hae cum illis in unum coniungi commode non potuissent ». Maroto, *Institutiones iuris canonici*, Romae, 1921, vol. 1, n. 171, p. 163.



I. **Ritus sacri.** - Ecclesiae exclusive competit leges condere de ritibus divini cultus:

1° Cum enim sacri ritus et coeremoniae, quibus Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, ex apostolica traditione et disciplina, utitur in sacramentorum administratione, in divinis officiis, omnique Dei et Sanctorum veneratione, magnam populi eruditionem procurent, rerum sacrarum maiestatem commendent, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis igne inflamment,[1] patet eos non aliud esse quam totidem media directe ordinata ad fidelium sanctificationem, ideoque exclusive Ecclesiae iudicio ac competentiae addicta.

2° Eo vel magis id affirmandum est, quod in hisce Ecclesiae ritibus implicita multorum catholicorum dogmatum contineatur professio; aequum est igitur omnem de iisdem ritibus dispositionem et custodiam Ecclesiae propriam agnoscere.

Hinc tamquam impudentissimae usurpationes iurium Ecclesiae habendae sunt interventiones quas aliquando auctoritates laicales in disponendis rebus cultus habuerunt. Praesertim in Austria id evenit, auctore *Iosepho II*. Hic namque obtentu salutis publicae et puritatis religionis (cum imperatoris esse putaret omnibus modis, tum etiam directo interventu in rebus sacris. pietatem subditorum excitare et fovere, eo quod religio medium sit efficax promovendi salutem civilis societatis), cultum publicum ad normam legis civilis accommodatum voluit, ac proinde peculiarem ordinem in eo peragendo auctoritate sua praescripsit. Exemplum habetur etiam in legibus quas Mexicana respublica de rebus religiosis constituit praetextu curandi bona et iura civium: inter leges vexatorias[2] illae notandae heic sunt

[1] Sixti V, Const. *Immensa*, 22 ian. 1588; Bona, *De divina psalmodia*, c. 19, § 2, n. 1.

[2] Vide reipublicae Constit. an. 1917 et praesertim art. 130 et confer haec cum recentioribus emendationibus iussu Calles introductis; ad rem vide Litt. Past. Episcopatus Mexicani, 21 apr. 1926, ac Encyclicas Litteras Pii Pp. XI, *Iniquis affictisque*, 18 nov. 1926. Cfr. etiam leges in Hispania statutas, tum in Constitutione (nunc abolita), an. 1933, tum post Constitutionem, in applicatione Constitutionis, circa Confessiones et Congregationes religiosas (*Gaceta Oficial*, 3 iun. 1933); novissime leges ab actuali regimine communistico in Cecoslovachia circa programmata pro Seminariis latas, quibus studium doctrinae marxistae praescribitur.

http://www.obrascatolicas.com

quae tribuunt Statui facultatem coarctandi numerum sacerdotum secundum quandam proportionem cum civium numero, item leges quibus interdicitur emissio votorum, item leges quibus respublica praesumpsit duas supprimere dioeceses, etc.

Connexio autem rituum cum verae fidei professione exigit ut eorundem rituum puritas vindicetur, nedum relate ad interventiones auctoritatis civilis, verum etiam contra arbitrarias privatorum immutationes. Errores, enim, liturgismi exagerati nostri temporis in hac materia ita a Romano Pontifice in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* diei 20 nov. 1947 damnati fuerunt: « Quamobrem uni Summo Pontifici ius est quemlibet de divino culto agendo morem recognoscere ac statuere, novos inducere ac probare ritus, eosque etiam immutare, quos quidem immutandos iudicaverit (cfr. C. I. C. can. 1257); Episcopis autem ius et officium est vigilare diligenter ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur (cfr. C. I. C. can. 1261). Haud igitur fas est privatorum arbitrio, etsi iidem ex Cleri ordine sint, sacras atque venerandas res illas permittere, quae ad religiosam christianae societatis vitam pertineant; itemque ad Iesu Christi sacerdotii exercitium divinumque cultum, ad debitum sanctissimae Trinitati, Incarnato Verbo, eius Genitrici augustae ceterisque caelitibus honorem reddendum, et ad hominum salutem procurandam attineant; eodemque ratione privato nemini ulla facultas est externas hoc in genere actiones moderari, quae cum Ecclesiastica disciplina et cum Mystici Corporis ordine, unitate ac concordia, immo haud raro cum catholicae fidei integritate coniunguntur quam maxime.

Ecclesia procul dubio vivens membrorum compages est, atque adeo in iis etiam rebus, quae ad sacram respiciunt Liturgiam, succrescit, explicatur atque evolvitur, et ad necessitates rerumque adiuncta, quae temporum decursu habeantur, sese accomodat atque conformat, sarta tamen tectaque servata suae doctrinae integritate. Verumtamen temerarius eorum ausus omnino reprobandus est, qui novas deliberato consilio liturgicas consuetudines invehant, vel obsoletos iam ritus reviviscere iubeant, qui cum vigentibus legibus ac rubricis non concordent. Id autem contingere, Venerabiles Fratres, non sine magno animi dolore novimus, non modo in parvi sed in gravissimi etiam momenti rebus; non desunt siquidem qui in augusto peragendo Eucharistiae Sacrificio vulgari lingua utantur, qui nonnullos festos dies, — qui quidem ex rationibus



mature perpensis iam decreti ac statuti fuerint — ad alia tempora transferant, et qui denique ex legitimis publicarum precum libris sacra Veteris Testamenti scripta expungant, quippe quae reputent haud satis aetati huic nostrae congruentia atque opportuna.

Latinae linguae usus, ut apud magnam Ecclesiae partem viget, perspicuum est venustumque unitatis signum, ac remedium efficax adversus quaslibet germanae doctrinae corruptelas. In non paucis tamen ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum existere potest; nihilominus unius Apostolicae Sedis est id concedere; atque adeo, ea inconsulta eaque non approbante, nihil prorsus hoc in genere fieri fas est, quandoquidem, ut diximus, sacrae Liturgiae ordinatio ab eius consilio ac nutu omnino pendet ».[1]

II. **Tempora sacra.** - Ecclesiae competit exclusive legiferare de temporibus sacris ac praesertim dies festos de praecepto determinare. Etenim etiam quando in kalendario christiano specialia tempora distinguit ac coordinat, id Ecclesia praestat ad spiritualis vitae exercitium, ad divinum cultum, finemque spiritualem promovendum: ipsaque liturgia, precibus et hymnis sacris, temporum distinctionem praesefert, dierumque festorum, per anni circulum, exhibet devotissimam coordinationem.

Ultro admittimus Statum aliquod interesse habere quoad kalendarii ordinationem, cum dierum festivorum observatio ab Ecclesia praescripta in omnium populorum moribus et civilibus negotiis magnum habeat influxum. Verum, concursus utilitatum utriusque societatis super aliqua re postulat non diversitatem legislationum, non secessionem utriusque legislatoris, sed plane concordiam.

Igitur generaliter et ordinario modo Status potest, ideoque debet, sine suo detrimento, immo cum civilis prosperitatis et tranquillitatis profectu, sanctorum festorum, quae ab Ecclesia ordinata sunt, determinationem etiam pro ordine civili suscipere ac urgere. Omnino enim incongrue se gereret illud civile regimen quod dies festos, ab Ecclesia statutos, partim agnosceret partim vero sperneret, quasi ius aliquod Ecclesiae dimidiatum possit agnosci. Quod si in aliquibus difficultas ex rei natura oriatur, puta quia magnum detrimentum caperet civitas ex frequentiore

[1] *A. A. S.*, vol. XXXIX, p. 544 sq.



http://www.obrascatolicas.com

interruptione publicorum negotiorum, [1] cum Ecclesia utique erit agendum, pro concordi solutione difficultatis; nam Ecclesia certe perspectas habebit Status necessitates et, ut pia mater, quae opportuna visa fuerint, concedere haud renuet. [2]

III. **Res sacrae; loca cultus; coemeteria.** - 1° Sicut Ecclesiae competit ius legiferandi de cultu, ita de rebus sacris, cum nihil aliud haec sint quam obiecta et utensilia ad cultum exercendum, ideoque ad rem mere spiritualem ordinata. Ipse ritus consecrationis vel benedictionis, quo divino cultui res istae mancipantur, evidenter ostendit agi de materia quae temporalis ordinis potestati sit subducta.

Exemplo sunt altaria, vasa omnia sacris Ecclesiae ritibus peragendis destinata, vestes sacerdotales quibus ministri utuntur in sacris functionibus obeundis, omniaque altaris ac ecclesiae ornamenta.

Igitur sicut legibus suis, praesertim liturgicis, Ecclesia determinat modum et materiam quibus haec omnia conficienda sunt, itemque ritum consecrandi eadem, et modum ipsis utendi, aut causas exsecrationis, ita vindicat horum exemptionem ab oneribus publicis et prohibet quominus, civilis auctoritatis iussu, sicut et cuiuscumque ausu, profanis usibus deputentur.

Etiam *campanarum pulsus* est actus cultus publici et publica fidei manifestatio, et ad religionem populorum fovendam maxime conducit; quia excitat fidelium pios animi sensus, sive spiritualis laetitiae sive doloris, et christianam plebem, ruri praeser-

[1] Numerus festorum ab Ecclesia prescriptorum impedimento esse dicitur publicae prosperitati, cum frequentior a labore requies damno sit productioni et commercio. Verum, dum in kalendario civili nonnullae festivitates ecclesiasticae omittuntur, novae e contra civiles solemnitates conduntur. Exemplum typicum fuit in legislatione festorum anno 1925 in Cecoslovacchia introducta: abolebatur festum S. Ioannis Nepomuceni, Bohemiae patroni, et introducebatur festum Ioannis Huss! Hodie in Italia Status plene recognoscit kalendarium festivum Ecclesiae, ut videri potest in art. XI Concordati, an. 1929.

[2] Ita pro Gallia, occasione Concordati anno 1801, Decretum editum fuit, quo dies, praeter dominicos, in Gallia colendi, ad quattuor reducuntur (Nativitas Domini, Ascensio, Assumptio B. M. V. et festum Sanctorum Omnium). *Decr. Card. Caprara*, Legati Pont., 9 aprilis 1802. Cfr. *Bullar.*, contin., t. 11, n. 123, § 2 et ss.



tim, ad ecclesiam convocat. Hac quoque super re, igitur, Ecclesia libere debet disponere, sicut de iis omnibus quae ad religionem directe spectant. Plerumque ergo ut abusus est habenda legislatio civilis de hac materia. [1]

2° Loca cultus intelligimus praecipue *ecclesias* vel potius omnes *aedes sacras* (basilicas, templa, oratoria) rite consecrata aut benedictas (can. 1154), ut in eis S. Sacrificium offeratur, fidelesque congregentur ad verbum Dei audiendum, ad preces fundendas, ad sacramenta suscipienda, etc.; proxime igitur spectant ad cultum Dei et animarum sanctificationem, proptereaque unice ad ordinem spiritualem directe referuntur atque sub spiritualis potestatis regimine esse debent.

In specie, Ecclesiae est: *a*) determinare quinam catholicorum conventus in sacris aedibus liciti sint, [2] *b*) quaenam proces-

[1] Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. III, n. 282, p. 157 ss. Huc spectant leges restrictivae quoad usum campanarum ob praetextum abusus seu strepitus et incommodi civibus illati (*Lex gall.* 9 ian. 1907, art. 27). Equidem iudicare de moderato usu campanarum ad Ecclesiam spectat, cum agatur de materia quae directe spiritualia respicit; ceterum si quod est privatis prope incolentibus incommodum, hoc tolerandum est pro conflictu cum bono publico, sicut frequentius toleranda sunt incommoda pro bono (vel etiam pro simplici solatio) publico in ordine civili.

Usus vero profanus campanae benedictae vetitus est (*S. R. C.*, 16 iulii 1594, v. *Collect. Authent. Decret. S. R. C.*, n. 52). Quandoque tamen permitti potest, v. g. occasione periculi imminentis, vel adventus principis, iuxta prudens Ordinarii consilium. Icard, *Praelect. iur. can.*, n. 561; cfr. autem *Decr. gall.*, 16 iun. 1906. Ubi aliquod ius legitimo titulo speciali competit *municipiis*, salva exsclusiva competentia Ecclesiae in usu sacro campanarum (*Cons. Stat. ital.*, 7 mar. 1896; 12 dec. 1890; 24 nov. 1893; *Trib. cass. poen. ital.*, 16 marti 1911; Badii, *Dir. eccl. ital.*, n. 37), de communi consilio statuenda est norma pro usu earumdem ad convocandum v. g. Consilium civitatis, populum, etc. Cfr. etiam Decr. S. C. Concilii de sacrarum campanarum usu, 20 martii 1931, *Acta Ap. Sed.*, vol. XXIII, n. 4.

[2] Hoc innuimus, ad vindicandum ius Ecclesiae convocandi libere et independenter in templis suis fideles pro illis instructionibus, quas ad bonum ipsorum religiosum et morale opportunas duxerit. Attenta enim natura et fine Ecclesiae, templa non modo cultui divino exercendo et sacris administrandis inservire debent, sed et ad docendum populum circa officia quae habet erga Deum, erga proximum, tum etiam erga societatem. Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, vol. III, n. 225.

In pluribus Nationibus, fidelium conventus, qui non sint ad cultum, subiiciuntur, indiscriminatim cum profanis coetibus, legi de *publica secu-*

http://www.obrascatolicas.com

siones aut sacrae functiones tum intra, tum extra, possint peragi; [1] *c*) prohibere quemlibet usum sacrarum aedium etiam pro catholicis, quando id pro fidelium bono spirituali opportunum videatur, ut puta cum templum interdicitur. Et in his omnibus omnino independenter agit a potestate civili.

3° Ad loca sacra, circa quae Ecclesia sibi vindicat ius plenum, referenda sunt etiam coemeteria; pietas enim in defunctorum corpora, et horum religiosa inhumatio (quae apud ipsas barbaras gentes servata est, ita ut locus humationis apud ethni-

---

*ritate*. Cfr., v. g. *lex. gall.* separationis 9 dec. 1905, art. 26. Verum nemo est qui non videt in rebus quoque politicis et oeconomicis seu socialibus populum christianum docendum esse ab Ecclesia circa suo officia: quod opportune aliquando fit in ipsis templis, sub auctoritatis ecclesiasticae vigilantia et directione, ut populo, aliquando de his negligenti et torpendi, persuasum sit de connexione talium quaestionum cum re religiosa. Attentis enim temporum adiunctis multa negotia politico-socialia characterem aliquem religiosum habent: igitur neque alienum est a sacra templorum destinatione in eis haec negotia cum religione connexa pertractare. CAVAGNIS, *loc. cit.*, n. 227, p. 130. Pastorum Ecclesiae igitur iudicare est quinam conventus a religione praescindant, seu profani habendi sint, et quomodo catholicorum congressus et conciones moderari oporteat ne a sua natura deflectant: non enim confundendi sunt conventus *catholicorum* cum congressibus alicuius factionis politicae.

[1] Quaestio fieri potest: an ius sit Ecclesiae exercendi actus cultus publici in ipsis publicis locis, non habentibus specialem destinationem. Profecto non videtur qua ratione (seclusis extraordinariis temporum adiunctis) prohiberi possit Ecclesia quominus ritus suos exerceat et in publicis locis. Sed contra, plurium nationum legislatio spiritum praesefert verae intolerantiae, seu potius manifestam intentionem subtrahendi a conspectu societatis ritus catholicos, illosque relegandi in locis clausis. Cfr leg. *Gall.*, 9 dec. 1905, art. 27, et ex *articulis organicis*, art. 45; leg. *Austr.*, 7 maii 1874; leg. *Ital.*, 30 iun. 1889, art. 8; in *Lusitania*, ex lege separationis 20 apr. 1911, art. 56, actus quilibet cultus externi, non exclusa religiosa cadaveris translatione, non permittitur sine praevio assensu auctoritatis civilis; in *Hollandia*, ipsa lex Constitutionis, art. 170, processiones publicas vetat. Appellant generatim ad tutelam ordinis publici, et ad publicum usum viarum. Profecto ad primum quod spectat, ritus religiosi, qui ab ecclesiastica auctoritate prudenter indicuntur, quieti et ordini publico minime nocent; quod si adversariorum perturbationes timentur, non sequitur esse denegandum ius Ecclesiae, et vetandum exercitium cultus, sed potius esse compescendos perturbatores: secus hi ex sua malitia scopum obtinerent. Viarum autem publicus usus habetur etiam per hoc quod cultui publico aliquando inserviant.



cos quoque, ipso facto, sacer et religiosus habitus sit), apud christianos in duplici dogmate fundatur: futura nimirum corporum resurrectione et sanctorum animae aeterna in coelis beatitudine, cuius et ipsum corpus, post resurrectionem, particeps erit.

Est igitur, cura defunctorum, actus non modo humanitatis sed et *religionis:* et tamquam sacra habenda sunt illa christianae sepulturae *loca* (coemeteria seu loca dormitionis dicta ob fidem resurrectionis), sicut etiam res sacra est habendus modus seu *ritus* et ordo quo fidelium inhumatio peragitur.

**80. Potestas legifera Ecclesiae respectu magisterii; canones fidei.** – Ecclesia vere leges fert cum regulam credendi obligatoriam proponit; quod munus est ei demandatum a Christo, ut, Spiritu Sancto assistente, tradita per Apostolos revelatio, seu fidei depositum, sancte custodiatur et fideliter exponatur ac ita a fidelibus veritatis christianae confessio fiat ad salutem.

Enimvero Ecclesia, in suis definitionibus infallibilibus, non ponit actus meri magisterii, sed verae iurisdictionis, ita ut fideles respuentes R. P. definitiones, vere recteque dicantur *transgressores Apostolicarum Constitutionum*. Itaque canones fidei tales dicuntur quia vere sunt leges, in quantum voluntatis subiectionem exigunt, ut videlicet voluntas imperet intellectui ut credat; quae voluntaria oboedientia vere debetur, in casu, vi auctoritatis Ecclesiae seu apostolici magisterii, secus transgressio sanctionibus ecclesiasticis puniri non posset, [1] sicut non potest puniri id quod iurisdictioni Ecclesiae non est subiectum, neque incurritur reatus poenarum fori ecclesiastici, nisi et legis fori pariter ecclesiastici violator quis extiterit. Quod si agatur de

---

[1] WERNZ, *Ius Decretalium*, Prati, 1913, vol. I, n. 98, p. 116; BILLOT, *De Ecclesia Christi*, Prati, 1909, q. 8, § 2, p. 335; cfr. *II Cor.*, X, 5-6 ex quo loco S. Augustinus probat potestatem Ecclesiae puniendi *haereticos*, Ep. 195, *De correctione Donatistarum*, cap. V, nn. 23-24 (M. L., 33, col. 803).

http://www.obrascatolicas.com

iis quae fide divina credenda sunt, quia, a Deo revelata, in deposito ab Apostolis tradito continentur, non ideo propositio talis doctrinae ab Ecclesia facta, expers est vi obligandi iure quoque ecclesiastico: obligationi enim quae est ex iure divino optime adiungi potest obligatio quoque iuris ecclesiastici, ut homo fiat per hoc obnoxius correctioni et coactioni Ecclesiae, quae multum iuvat ad salutis finem et ad effugiendum periculum poenarum futuri saeculi ob violatam Dei legem incurrendarum.

Quapropter plures huius generis canones iam a priscis iuris canonici collectoribus congesti sunt, eosque Gratianus sequutus est, totumque Corpus Iuris Canonici exempla praebet canonum fidei, [1] imo in ipso Codice Iuris Canonici passim invenire est talis generis leges quae ponuntur ut praeambulam et ratio disciplinae in connexa materia statutae. [2]

**81. Potestas legifera Ecclesiae quoad imperium.** – Obiectum potestatis legiferae Ecclesiae respectu regiminis fidelium, seu quoad disciplinam et mores ipsorum, duplicis generis est, quatenus considerantur: 1° regiminis socialis Ec-

[1] Tales sunt canones quae catholicam fidem exhibent de Unitate et Trinitate Dei (c. 1, X, *De summa Trinitate et fide cath.*, I, 1) de Sacramentis eorumque effectibus (cfr. c. 1, 3, 5, X, *De baptismo eiusque effectu*, III, 42; c. 40-43, 68-70, 74, D. II, *De cons.*; c. 6, X, *De celebr. missarum et sacramento Eucharistiae*, III, 41, etc.); de unitate Ecclesiae; de primatu Romani Pontificis (c. 30 C. XVII, q. 4; c. 6, X, *De maior. et obed.*, I, 33; c. 1, *De constit.*, I, 2, in VI, etc.); de animarum immortalitate et corporum resurrectione; de aeternae vitae praemiis et suppliciis et alia plura. Soglia, *Instit. iuris publ. eccl.*, Neapoli, 1860, lib. I, § 9, p. 151.

[2] Canones *doctrinales* (v. g. can. 801 de Eucharistia, 870 de Poenitentia, 1012 de Matrimonio, 1255 de cultu divino); canones *morum* (ut sunt v. g. can. 1307, § 1, de voti obligatione ex virtute religionis; 1316, § 1, de iureiurando); canones *liturgici* (ita can. 780, de materia et forma ad Sacramentum Confirmationis conferendum; 737, pro baptismo; 814, de Sacrificio Missae); canones *politici* seu *hierarchici*, seu etiam *constitutionales* (ex. gr. can. 107 et 108 de divina institutione hierarchiae, 218 de Romani Pontificis Primatu, 2214 de iure Ecclesiae inferendi poenas, etc.).



clesiae organizatio et exercitium, prout in subiecto auctoritatis, 2° fidelium omnium actus qui dirigendi sunt, opportunis normis, pro sancta ipsorum conversatione in societate ecclesiastica, ad vitae aeternae consecutionem.

Quoad 1^um^, notandum est socialis regiminis ecclesiastici rationem partim iam esse legibus divinis determinatam, in quantum scilicet divinus Ecclesiae Conditor duos statuit iurisdictionis gradus: episcopatum videlicet et supremum pontificatum; ideoque legislatione ecclesiastica adduntur ea quae ad rectam societatis huius gubernationem ulterius determinari debeant. Etenim Christus praedictos gradus hierarchicos constituit, at liberum reliquit Ecclesiae officia constituere quibus aliqua participatio iurisdictionis adnexa esset; item Christus non determinavit omnes normas secundum quas ad varios gradus hierarchiae iurisdictionis adsciscerentur clerici; pariterque organizationis territorialis perficiendae. Ipse leges non constituit; ceterum ipsas regulas recti regiminis exercendi statuendas Ecclesiae plurimum reliquit.

Hinc sequitur 1° *leges constitutionales* Ecclesiae partim immediate esse ex iure divino, partim vero immediate iure ecclesiastico. Nam *a*) quoad personalem organizationem, legibus divinis praefiniuntur quidem iura primatus et iura fundamentalia episcopatus, [1] ecclesiasticis vero legibus delimitantur cetera iura episcoporum, vel etiam iura sedium primatialium et archiepiscopalium, item determinatur organizatio curiae dioecesanae vel etiam romanae curiae, ac demum iura et officia vicariis et legatis pontificiis vel delegatis episcopalibus, parochis, capitulis, ceterisque iurisdictionis ordinariae vel delegatae participibus addicta. *b*) Territorialis vero organizatio immediate est integre ex iure ecclesiastico, cum Christus Dominus nullam territorii Ecclesiae divisionem fecerit: quamvis haec quoque or-

[1] Episcopatui in genere iurisdictionis potestas iure divino competit, quae cum facultate legesferendi, iudicandi puniendique exercetur in ordine ad regendam plebem christianam; at episcoporum, vi iuris divini, determinata et certa potestas respectu territorii, personarum et materiae non est descripta. Hinc iure ecclesiastico ipsorum competentia modo limitatur modo augetur. Wernz, *Ius Decretalium*, Prati, 1915, vol. II, n. 731, p. 537.

http://www.obrascatolicas.com

ganizatio in iure divino fundamentum habere dicenda sit, cum necessario fluat ex Ecclesiae natura et destinatione. Etenim finis Ecclesiae, universalis cum sit, omnes homines iure comprehendit: verum, fere impossibile esset societatem ita universalem gubernare, nisi inferioribus auctoritatibus potestas communicaretur, ac territorium inter eas, assignatione facta, divideretur.

2° Sequitur etiam *legislationes civiles respicientes Ecclesiae organizationem* sive personalem sive territorialem (ut puta cum praescribunt non esse praeficiendos animarum pastores, vel non esse erigendas aut dividendas dioeceses ac paroecias sine civilis auctoritatis venia et assensu) omnino vanas seu nullius esse valoris.

3° *Normas autem recti regiminis* Ecclesia statuit quum suis pastoribus modum ac rationem proponit gubernandi fideles, administrandi res temporales, docendi et praedicandi, iudicandi atque puniendi et ita porro. Hinc patet potestatem legiferam Ecclesiae, hoc sub respectu, pro obiecto habere omnia fere negotia quae in Ecclesia publice geruntur, atque causas prope indefinitas complecti.

Quod spectat ad 2^um^ videlicet *ad actus fidelium*, qui opportunis normis dirigi debent ut sancta sit ipsorum in Christo conversatio, obiectum potestatis legiferae Ecclesiae constituunt omnia quae disciplinam et mores populi christiani attingunt.

De his omnibus abunde agitur in iure privato; cum vero sermo nobis erit de iure Ecclesiae gubernativo, quaedam exhibere satagemus de praecipuis his Ecclesiae muneribus, in quantum videlicet impugnentur vel sub specie libertatis civium asserendae, vel sub praetextu tuendorum iurium Status.

## Articulus III

### Limites potestatis legiferae in Ecclesia

**82.** Quoniam potestas legifera est ius proponendi obligatorio modo ea quae conducunt ad finem, cumque societas *ea tantum* exigere valeat a subditis quae necessaria vel utilia sunt fini (nn. 15 ss.), patet potestatis legiferae Ecclesiae *limites esse praefinitos ex fine sociali eiusdem*, qui est sanctificatio et salus aeterna animarum.



Verum, quoniam Ecclesia est societas spiritualis quidem, sed humana, leges, quae communitati dantur, accommodatae esse debent viribus humanis, quae sunt defectibiles, et, ubi agitur de communitate, impares sunt ad sustinenda onera nimis ardua. Quare, licet altissimus sit perfectionis terminus ad quem adspirare debemus, cum tamen ad eum non omnes valeant ascensionibus properare « ut gigas ad currendam viam », communitas dirigenda est per gradus consentaneos infirmitati et defectibilitati humanae. Hinc prae oculis habenda sunt quae iam modo generali proposuimus de qualibet societate, circa impositionem eorum praeceptorum quae nimis ardua sunt (p. 37).

Actus heroici, igitur, etiam in Ecclesia, generali modo, seu fidelium communitati, imponi nequeunt, sed solum actus communes, idest illi qui ordinariam hominum virtutem non excedunt, et cum extraordinaria difficultate coniuncti non sunt.

Verum frequentiores sunt in Ecclesia, prae ceteris societatibus, casus in quibus actus praescribi valeant « qui, ratione habita circumstantiarum, admirationem pariunt, arduitatem includunt, promptitudinem exigunt ». [1]

Equidem in Ecclesia, quae *sancta* debet esse, etiam in quantum eadem existat mater *heroum virtutis* foecundissima, sunt vocationes divinae ad illum statum perfectionis ad quem pervenitur abnegatione sui et renuntiatione omnium; [2] itemque sunt qui in sortem Domini ita vocantur, ut iidem non sibi vivant sed Deo, et animam ponere

[1] His verbis actus heroicos describit Benedictus XIV, *De canoniz. Sanctorum*, lib. 3, cap. 21.

[2] Matth., XIX, 21; Lc., IX, 23 et IX, 62; Ioann., XV, 13; X, 11; S. Thom., II-II, q. 184, aa. 4 et 5.

http://www.obrascatolicas.com

pro fratribus parati esse debeant. Talibus Ecclesia iure praecipit ea quae ad statum et missionem susceptam conveniant, etiamsi cum maximo periculo et gravissimis difficultatibus coniungantur.

**83. Actus interni.** – Quaeri etiam solet an ex fine Ecclesiae spirituali et supernaturali deduci possit ius legiferandi circa hominum actus etiam *mere internos*. Videtur negative esse respondendum, videlicet societati ecclesiasticae, sicut civili, non competere potestatem legislativam ad praecipiendos *directe* actus mere internos.

Profecto, cum loquamur de potestate *legifera*, respicimus forum externum; non enim dubium est Ecclesiam, illa potestate qua pollet *in foro interno*, singulorum conscientiam cum attingat, ut internae ipsorum directioni et sanctificationi prospiciat, posse, si id necessarium sit, ea quoque praecipere quae exterius nullimode appareant. Tunc enim non attendit ordinem *socialem* ac communitatis directionem, seu bonum commune et externum, sed internam animae vitam ad quam actus quoque interni diriguntur. Quando igitur in Ecclesia exercetur potestas fori interni numquam habetur vere et proprie dicta legiferatio, quia haec exercetur *socialiter*, in bonum communitatis.

Iamvero si Ecclesia respicit bonum commune, ordinem socialem sive provehendum sive restaurandum, non habet causam interveniendi in iis quae exterius non apparent, seu quae nullimode tangunt ordinem externum socialem.

Videlicet *ratio finis socialis*, qui est terminus comparationis et commensurationis ad quantitatem et latitudinem publicae potestatis dimetiendam, non habetur in iis quae ordinem mere internum respiciunt et in eo sistunt, quin ullum influxum habeant in ordinem externum.

Non negamus igitur *internam quoque* sanctificationem



singulorum posse exigere exercitium etiam publicae potestatis; dummodo tamen actus hominum, ratione ipsius obiecti praecepti, aliquas exteriores manifestationes habeant sicut contingit in actis mixtis;[1] imo, ubi ratio habetur non iam communitatis sed privatae et internae sanctificationis singulorum, tum interna quoque praecipi possunt, verum non vi potestatis fori externi, seu potestatis ordinatae ad regimen publicum et sociale, sed vi potestatis fori interni, vel etiam alia potestate, quae proprie non sit iurisdictionis et speciali titulo competat superioribus ecclesiasticis.[2]

---

[1] Actus mixtos heic intelligimus illos actus internos qui cum externis coniunguntur. Profecto nonnulli actus externi, ut vere actus humani habeantur, necessario debent cum aliquo actu interno esse coniuncti, v. g. voluntas et applicatio animi in oratione vocali, intentio in iureiurando. Ut patet, quando aliqua auctoritas praecipit huiusmodi actus, eos praecipit prout vere humani et integri esse debent, igitur modo connaturali imperium attingit etiam elementa interna quae concurrunt ad integritatem actus. NOLDINI, *De princ. Theol. Mor.*, Oenip., 1922, n. 138, p. 163. Ideoque etiam lex civilis valet huiusmodi actus internos cum externis connaturaliter coniunctos attingere: v. g. contractus cum vera intentione sese obligandi; itemque Ecclesia multiplicibus legibus tales actus praecipit, v. g. can. 861: « Praecepto communionis recipiendae non satisfit per sacrilegam communionem ». Cfr. etiam prop. contrariam damnatam ab Innocentio IX, 2 mart. 1679; DENZ., n. 1205; item, can. 907). SUAREZ, *De leg.*, lib. IV, c. 13; WERNZ, *Ius Decretalium*, Prati, 1913, vol. I, n. 98, p. 116 cum nota 47, ubi alia exempla habentur.

Porro dantur quoque actus interni cum externis coniuncti non necessario, sed extrinsece per voluntatem operantis (v. g. intentio dicendi Rosarium pro aliquo peculiari fine); et hos etiam Ecclesia valet praescribere, quatenus *in suo complexu* ad ordinem externum referuntur. Hinc praecipitur celebratio missae cum particulari intentione, v. g. pro populo; quo in casu materia praecepti est *non sola intentio*, neque sola celebratio missae, sed utrumque simul.

[2] Hinc. *ratione voti* oboedientiae se subdunt religiosi superioribus suis etiam quoad iniunctionem actuum internorum; item, *tamquam interpres* iuris divini quod versetur circa actus internos, Ecclesia hos quoque tangit; demum, non ut praeceptum disciplinare sed *ut condicio ad favores* quosdam spirituales acquirendos, ab Ecclesia possunt praescribi actus interni v. g. meditatio ad lucrandas indulgentias. Ampliora habes apud nostras *Institutiones*, ed. III, Romae, 1947, vol. I, p. 243 ss.

http://www.obrascatolicas.com

**84. Res temporales.** – Ambitus potestatis legiferae Ecclesiae ex parte materiae delimitatur quoque *ex natura et destinatione mere temporali* rerum.

Profecto, statim notandum est defectum potestatis in Ecclesia respectu rerum temporalium non esse omnino absolutum et universale. Etenim

1° *de rebus temporalibus propriis,* quas videlicet quolibet titulo acquisierit, ut inserviant ad suppeditandas expensas cultus vel ad sacros ministros alendos, omnesque fines sive educativos sive caritativos prosequendos qui cum divina sua missione arcte connexi sunt, Ecclesia directe per se et omnino independenter legiferat et disponit. Hoc plane descendit ex principio pluries enunciato (n. 15 ss.), nempe societatem perfectam libere disponere posse de omnibus mediis ad finem suum quomodolibet necessariis, ipsamque plena potestate pollere praecipiendi seu exigendi obligatorio modo a subditis quae ad illum finem conducunt;

2° *de rebus temporalibus quae indirectum influxum habent in finem spiritualem, et* in quantum hunc ipsum finem attingunt, Ecclesia pariter ius habet disponendi, quia ei competit providere de iis quae non modo directe finem suum adiuvare vel impedire possunt, sed etiam quae modo *indirecto*. Quod his verbis adumbrat Leo XIII: « Quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, *sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur,* id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae ». [1] Ceterum fusius de hoc doctrinae catholicae capite erit agendum ubi ex professo sermo erit habendus de potestate Ecclesiae indirecta in temporalibus.

His autem praemissis, clarius patet quare in initio huius paragraphi locuti simus de rebus quarum natura et destinatio est mere temporalis, videlicet de rebus ad civilem politicumque ordinem dumtaxat ordinatis; etenim de his Ecclesia non potest disponere aut leges ferre, quousque finem mere temporalem respiciunt;

3° leges civiles, autem, lege ecclesiastica abrogari vel corrigi posse nobis non videtur quia id aequivaleret *directo* exercitio potestatis in societatem civilem; neque id necessarium videtur ad salvandam potestatem *indirectam;* nam exigentiis ordinis superioris bene prospicere potest Ecclesia, legem aliquam civilem noxiam *declarando* ex se nullam et irritam [1] vel etiam simpliciter *reprobando.* [2]

Item, *legem de re civili condere* Ecclesia non potest, nisi agatur forte de iure devolutivo; ordinarie enim, seu existente legitima potestate civili, ad hanc pertinet rerum mortalium curare commoda. Quodsi Ecclesiae et spiritualis ordinis necessitas aliquam rerum temporalium dispositionem exigit quam auctoritas civilis negligit vel renuit statuere, tunc Ecclesia, ratione potestatis indirectae de his quae sibi sunt necessaria circa temporalia disponit legem quidem ecclesiasticam condendo. Tunc enim non agit tamquam auctoritas civilis, *civilem legem* statuendo, sed tamquam spiritualis societas legibus suis ecclesiasticis, in foro suo urgendis, disponendo de his quae sunt necessaria ad finem suum supremum.

[1] Encycl. *Immortale Dei,* § 27, Quidquid.

[1] Unde vel ipse Suarez dicens Ecclesiam irritare posse legem civilem, in huiusmodi casibus, explicat: « *hae tamen leges ipso iure naturae irritae sunt, et per canones potius irritae declarantur quam fiant* ». *Def. fidei cath.* l. III, c. 22. Cfr. Lo Grasso, *Ecclesia et Status,* Textus selecti, Romae, 1939, n. 493.

[2] Cfr. Ottaviani, *Institutiones,* ed. III, Romae, 1947, vol. I, p. 250 ss. Recens est v. g. reprobatio legum de sterilizatione. Decr. S. Off. 24 febr. 1940 (*A. A. S.,* vol. XXXII, p. 73); cfr. etiam Decr. eiusdem S. Congr. de « eugenica », 21 mart. 1931 (*A. A. S.,* vol. XXIII, p. 118); item reprobationem legum scholarum in Germania contra scholas confessionales latarum (Enc. Litt. *Mit brennender Sorge,* supra cit. p. 80, not. 2).



http://www.obrascatolicas.com

# TITULUS III

## DE ECCLESIAE POTESTATE IUDICIALI

### ARTICULUS I

### Existentia potestatis iudicialis in Ecclesia

**85. I. Ex verbis Christi.** – Potestas iudicialis iure consequitur ex potestate legifera; hinc merito ex iure Ecclesiae leges ferendi concludi potest quoad existentiam iudicialis potestatis in ea. Omnia igitur quae supra allata sunt, sub n. 74 ss., huc quoque referri possunt; sed adsunt quoque peculiaria Sacrae Scripturae documenta:

Primum quidem textus Matth. XVIII, 15-18: « *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis quaecumque alligaveritis...* ».

Ex quo deducitur in Ecclesia iudicari posse de fidelium criminibus, forma solemni iudicii forensis; in his verbis enim continentur omnia elementa essentialia quae instaurationem iudicii coram competente tribunali respiciunt. Habentur: *actor, reus, testes, iudices, accusatio* et *sententia* cum sanctione poenali.

1. Primo quidem Christus suis asseclis charitatem consulit exigens ut, per correptionem, viam pacificam experiantur solvendarum controversiarum, sicut christianos decet ad lucrandos fratres errantes. Cum autem hic conatus incassum cesserit, adhibentur duo vel tria membra communitatis christianae, sive ad auctoritatem conciliandam fraternae correptioni sive ad arbitros controversiae constituendos. Si autem id etiam incassum cesserit, tunc verum et proprium tribunal Ecclesiae adeundum est. [1]



2. Nominantur enim: *crimen* (si peccaverit in te...), *reus* (frater tuus), tum etiam, *actor*, seu in quem peccaverit frater. Habentur etiam testes: ii nempe quos reus noluit audire; itemque *accusatio* (dic... quod verbum exegetae intelligunt de veri nominis denunciatione); significatur etiam tribunal iudicans (dic Ecclesiae, seu pastoribus, praelatis Ecclesiae). [2] Et agitur reapse non de accusatione apud pares, sed apud auctoritatem, cum oboedientia seu subiectio debeatur; si enim non *obtemperetur* (si Ecclesiam non audierit) [3] idest, in casu, si satisfactio seu reparatio, sententia superiorum imposita, non praestetur, *poena* excommunicationis comminatur (sit tibi sicut ethnicus et publicanus).

3. Notentur autem verba quae statim huic textui sequuntur, quibus apostolorum potestas enunciatur: « *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo* ». Quasi Dominus dicat: « vobis plena erit facultas condemnandi et absolvendi; Deus enim ratas habebit vestras sententias »; unde consequitur etiam in exercitio potestatis iudicialis, Ecclesiam plene liberam et independentem esse a qualibet humana potestate.

---

[1] Cfr. *Deut.*, XIX, 15. SALES, *La Sacra Bibbia*, vol. I, p. 82, in Matth., XVIII, 16; DEVOTI, *Instit. Canon.*, III, t. I, § 7.

[2] S. IOANNES CHRISOSTOMUS in *Comm.* ad hunc locum (*In Matth. Homil.*, LX, n. 2: M. G., 58, col. 586); EUTIMIUS (*Comm. in Matth.*, cap. XVIII, v. 17, « Ecclesiam nunc vocat praesides fidelium Ecclesiae »: M. G., 129, col. 506); S. CYPRIANUS (Ep. LXIX, « ...scire debes episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in episcopo »; M. L., 4, col. 406) aliique, illud « *dic Ecclesiae* » merito interpretantur: « *dic pastoribus Ecclesiae* ». Eadem hodierni exegetae: « *Dic Ecclesiae*: se egli disprezza anche questa seconda correzione, si deve denunziare alla Chiesa, cioè ai pastori e capi della comunità cristiana ». SALES, loc. cit.

[3] Verbum « *audierit* » in hoc loco vim haberi verbi « oboedierit » educitur tum ex contextu, praesertim ex comminatione poenae quae sequitur, tum ex voce graeca *παρακούσῃ* heic adhibita.

http://www.obrascatolicas.com

**86.** II. **Apostolorum praxis,** autem, argumenta allata omnino confirmat: Apostoli enim iudicia exercuerunt tamquam illi qui indubie persuasum habebant sibi a Christo potestatem hanc factam fuisse, iudicandi videlicet fideles tamquam Ecclesiae subditos.

*a*) In *ep. I ad Corinth.*, c. V, 1 ss. haec habentur: « *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis: et non magis luctum habuistis ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi ut praesens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi* ». Igitur Paulus *iudicat* (iam iudicavi); et quidem, quamvis absens corpore, agit de vero iudicio qui praesentiam iudicis requirit; sententiam enim suam ut praesens fert (praesens autem spiritu) eamdemque iubet promulgari solemniter in conventu christianorum, adstantibus videlicet fidelibus cum eodem Paulo (congregatis vobis et meo spiritu) tamquam iudice qui *sententiam fert per potestatem sibi a Christo datam* (cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanae, etc.). Ex integro autem textu merito coniicitur in usu iam fuisse huiusmodi solemnia iudicia in Ecclesia haberi.

*b*) Docuit etiam Apostolus episcopum qua cautela essent recipiendae in iudicio accusationes adversus presbyteros: « *Adversus presbyterum, accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* »[1] ex quo evidenter patet posse in Ecclesia apud episcopum, tamquam verum iudicem, accusationem proferri, ut vera causae disceptatio in foro externo habeatur; agitur enim ibi de reo, de accusatore, de iudice, et de testibus, imo circa testes regula quaedam processus proponitur.

[1] *I Tim.*, V, 19.



*c*) Quin etiam, ita apostolis persuasum fuit posse iudicia in Ecclesia exerceri, ut non dubitaverint christianis consulere negotia sua litigiosa, etiam mere civilia, Ecclesiae iudicio subiicere; rationes enim graves aderant ne tunc temporis christiani apud iniquos, etiam quoad saecularia, iudicarentur. « *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos, et non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam angelos iudicabamus? Quanto magis saecularia...* »[1]

**87.** III. Res autem confirmatur universae quoque **traditionis** testimonio, et christiana omnium temporum praxi.

Iam primis Ecclesiae saeculis, secundum apostolorum exemplum, pontifices universique pastores iudicia habuerunt; et quidem non solum in foro interno et poenitentiali,[2] sed etiam in foro externo, *tum in contentiosis, tum*

[1] *I Cor.*, VI, 1-4.

[2] Van Espen, *Ius eccl.*, III, c. 1, contendit distinctionem fori ecclesiastici externi a foro interno et poenitentiali non semper in Ecclesia extitisse: « Licet enim Episcopi, ait, in peccata inquirerent, testes audirent, censuris aliisque canonicis poenis contra peccatores procederent, tamen haec omnia unice ad ipsius peccatoris reconciliationem tendebant; imo omnia quae Episcopi circa crimina exercebant, cum poenitentiae sacramento connectebantur, atque ad ipsum forum internum poenitentiae, sive antecedenter sive consequenter, reducebantur ».

Quae omnia quantum a vero aberrent, patet ex praxi iam a tempore Apostolico introducta, formam aliquam publici processus servandi, cum testibus, actore, etc. Cfr. *I Tim.*, V, 19, cum iis quae adduntur sub hoc n. 87. Circa eos vero qui exaggerant, ex adverso, iudicium externum, poenitentiamque publicam, contra iudicium fori interni et poenitentialis, cfr. A. D'Ales, *De Sacramento Poenitentiae*, Paris, 1926, p. 124 sq.



http://www.obrascatolicas.com

*in criminalibus*. Profecto, primis saeculis, durante persecutione, forma solemnis processus non poterat certe servari; tamen, christiani instructionem sequuti sancti Pauli, suas lites ad episcopos retulerunt, ab iisque de patratis criminibus iudicati sunt, summariis quidem, sed veris, iudiciis.

*a*) De primis christianorum conventibus Tertullianus sic loquitur: « Ibidem etiam exhortationes, castigationes et censura divina. Nam et *iudicatur magno cum pondere*, ut apud certos de Dei conspectu ».[1]

*b*) Sanctus Cyprianus ep. Carthaginien. († 258) loquitur etiam de praxi in Ecclesia servata circa competentiam tribunalium episcopalium: « Nam cum statutum sit ab omnibus nobis, et aequum sit pariter ac iustum, ut uniuscuiusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum... oportet utique eos quibus praesumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohaerentem sua subdola et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint ».[2]

*c*) S. Hilarius Pictaviensis vero apud imperatorem instabat ne iudices saeculares cognoscerent causas clericorum: « Provideat et decernat clementia tua ut omnes ubique iudices... a religiosa se observantia abstineant: neque posthac *praesumant* atque *usurpent* et putent se causas cognoscere clericorum... ». Ergo saec. IV Ecclesia sibi exclusivam competentiam in quibusdam causis (non exclusis iudicialibus) vindicabat.[3]

*d*) Vestigia aliarum normarum in iudiciis ecclesiasticis servandarum, desumi etiam possunt ex actis Concilii Carthaginiensis I et ex Canonibus Apostolorum. In *Concilio Carthaginiensi I* plenario Africae (medio saec. III celebrato), cautum fuit, can. 11, ut pro dignitate personarum certus numerus iudicum haberetur;

[1] *Apologeticum*, cap. 39 (M. L., I, col. 469).

[2] *Epist. LV, De Fortunato et Felicissimo* (*Ep. XIII ad Cornelium*) (M. L., 3, col. 821 sq.). Idem Cyprianus (ibidem, n. 10) narrat Carthaginem venisse « Privatum veterem haereticum, in Lambestiana colonia ante multos fere annos ob multa et gravia delicta, nonaginta episcoporum sententia condemnatum antecessorum etiam nostrorum... » (M. L., 3, col. 810).

[3] Ad *Constantium Aug.*, lib. I (M. L., 10, col. 557).



et *Canones Apostolorum*, qui probabiliter ineunte saec. IV primum vulgati sunt, edicunt Episcopum accusatum, semel et iterum a Synodo vocandum esse, antequam sententia adversus eum proferatur. Ita Eutychen, Dioscorum atque alios, semel, iterum, ac tertio vocatos fuisse constat ex actis Conciliorum quae eorum condemnationem protulerunt; immo, Nestorius quarta etiam vice a Concilio Ephesino citatus est.

*e*) Porro causas ad iudicium episcopale deductas haud paucas, seu per modum exceptionis, itemque haud leves fuisse, sed tales quidem quae tribunal ecclesiasticum universim a fidelibus celebratum fuisse evincant, colligitur ex testimoniis *S. Augustini* (354-430); is enim testatur Divum Ambrosium audiendis hominibus de suis negotiis disceptantibus frequentissime vacavisse: « secludentibus me — inquit — ab eius aure atque ore, catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat ».[1] De se ipso autem testatur: « Quantum attinet ad meum commodum multo mallem per singulos dies certis horis, aliquid manibus operari et caeteras horas habere ad legendum et orandum..., quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati, de negotiis saecularibus vel *iudicando dirimendis*, vel *interveniendo praecidendis*. Quibus nos molestiis idem afflixit Apostolus, non utique suo sed eius qui per eum loquebatur arbitrio ».[2]

*f*) Imo iam in primis Ecclesiae saeculis distinctio observabatur, quantum in illis temporum adiunctis fieri poterat, causarum maiorum et minorum. Hinc Innocentius († 417) hac in re appellat ad Synodum Sardicensem et ad consuetudinem iam pridem vigentem: « Si maiores causae in medium fuerint devolutae, ad Sedem Apostolicam, sicut *Synodus* statuit ac beata consuetudo exigit, post iudicium episcopale referantur ».[3]

Cum itaque iam a prima Ecclesiae aetate, concludimus cum Soglia, haberentur accusatores, testes, citationes, iudices,

[1] *Confess.*, lib. VI, c. 3 (M. L. 32, col. 720).

[2] *De oper. monach.*, c. 29 (M. L., 40, col. 576); cfr. eiusdem *Enchirid.*, c. 65 (M. L., 40, col. 262 sq.).

[3] *In ep. 2 ad Vitricium* (M. L., 20, col. 473). Cfr. Devoti, op. cit., IV, p. 58. Quoad appellationes ad Sedem Apostolicam iam antea productas vid. Euseb., *Hist. eccl.*, lib. V, cc. 3-4 (M. G., 20, col. 348 sq.) et lib. VII, c. 5 et 26 (M. G., ibid., col. 643 sqq. et col. 703).

http://www.obrascatolicas.com

sententia, etc., satis superque apparet, haec exterioris fori acta cum foro poenitentiali nihil omnino commune habuisse, ideoque Ecclesiam forum externum habuisse a foro poenitentiali distinctum prorsus ac separatum; et si quid a saec. XI innovatum est, id omne ad formam et solemnitates iudicii tantummodo spectat. [1]

Neque minus falsum esset asserere Episcopos ab initio pro foro externo non exercuisse nisi potestatem arbitralem, et hanc ex concessione imperatorum. Equidem: 1° argumenta allata generatim agunt de vera et propria condemnatione, iudicio superioris pronunciata, et de formis veri processus; 2° S. Augustinus (l. c.) apprime distinguit inter causas forma iudiciali definitas et mediationes ac arbitratus; 3° quod spectat vero ad assertas concessiones ab imperatoribus factas, dicant adversarii quomodo id praesumi possit quoad illa iudicia temporum persecutionum habita, ad quae referuntur testimonia adducta ex Tertulliano, et S. Cypriano; 4° ceterum confessiones ipsorum imperatorum christianorum, qui competentiam exclusivam ecclesiasticorum iudicum expresse agnoverunt, in rebus et causis spiritualibus, clare demonstrant non ex concessu imperatorum, in spiritualibus causis, ad episcopos confugere potuisse christianos. [2]

88. IV. **Ex doctrina Ecclesiae.** – Iudicialis potestatis exercitium, quod a primordiis Ecclesiae ad nostra usque tempora habitum est, Ecclesia, paullatim ordinavit ac normis processualibus perfecit, tamquam materiam sibi propriam seu ad sphaeram suae competentiae penitus pertinentem. Iamvero, ex theologia notum est Ecclesiam circa obiectum et extensionem suae potestatis infallibilem esse, seu non posse ipsam errare adscribendo sibi ea quae alterius potestatis sunt.

Insuper, ubi errores vulgati sunt, quibus aliquid de competentia Ecclesiae circa determinata obiecta iudicii ecclesiastici detrahebatur, datae sunt speciales quoque definitiones, quae, propterea, eo ipso quod ad tribunal Ecclesiae iudicium de nonnullis negotiis esse deferendum asserunt, iam evincunt in Ecclesia veram esse potestatem iudicialem.

[1] *Inst. iur. eccl.*, Neapoli, 1860, lib. I, c. I, § 6, pp. 145-146.

[2] RUFINUS, *Hist. eccl.*, lib. X, c. 2 (M. L., 21, col. 468), ubi notissima referuntur verba quae *Constantinus M.* ad Patres in Conc. Nicaeno adunatos fecit.



*Concilium Tridentinum*, cum a protestantibus infitiaretur ius Ecclesiae exclusivum iudicandi causas matrimoniales, definivit: « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, a. s. ». [1] Item, cum nostra aetate privilegium fori tum dictis tum factis impugnaretur, damnata est a Pio IX in *Syllabo*, propositio haec: « Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede ». [2]

*Leo XIII* autem, in Encyclica De civitatum constitutione christiana, naturam potestatemque Ecclesiae ab hodiernis oppugnatoribus defendens ait: « Revera, Iesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adiuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur, *iudicandi puniendique potestate* ». [3]

Demum, Codex Iuris Canonici, *Pii X* iussu digestus, et *Benedicti XV* auctoritate promulgatus, in can. 1553 Ecclesiae ius proprium et exclusivum vindicat cognoscendi de causis ibidem enumeratis.

## ARTICULUS II

### Obiectum potestatis iudicialis Ecclesiae

89. **Principium generale.** – 1. Obiectum potestatis iudicialis Ecclesiae constituitur ex omnibus illis rebus, factis et iuribus quae ad finem suum connexionem habent, quate-

[1] Sess. XXIV, *de matr.*, c. 12. DENZ., 982; Cfr. *Syll.*, prop. 74, DENZ., 1774; item can. 1960, C. I. C.

[2] *Syll.*, prop. 31. DENZ., 1731. Cfr. Allocut. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852; Alloc. *Numquam fore*, 15 dec. 1856; Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 aug. 1851. Cfr. c. 120.

[3] Encycl. *Immortale Dei*, § 19 Revera.

http://www.obrascatolicas.com

nus videlicet eorum iudicialis cognitio ad consecutionem finis spiritualis promovendam ordinetur; hinc, in genere, de omnibus Ecclesia potest cognoscere de quibus propter finem spiritualem diximus eandem posse leges ferre, nempe de omnibus ad sacrum *ministerium* et *magisterium* spectantibus, deque rebus *morum* ac *disciplinae* christianae.

Verum, notari debet principium hoc esse generale; itaque possunt etiam dari, speciali aliquo titulo, quaedam obiecta in ambito potestatis iudicialis Ecclesiae comprehensa, quae tamen non sint de iis rebus circa quae eiusdem potestas legifera per se versetur, sicut contigit cum iudex ecclesiasticus, ratione connexionis causarum, iudicet de negotio mere temporali, de quo per se tribunalia civilia unice essent competentia.

Quoniam autem obiectum iudicii sunt 1° personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earumdem personarum facta iuridica declaranda; et 2° delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam,[1] videndum est in specie *quaenam iura vindicanda* vel *facta iuridica declaranda*, et quaenam *delicta* iudicii ecclesiastici obiectum esse possint.

2. Profecto, res de quibus Ecclesia ius habet cognoscendi, aliae sunt *natura sua* iurisdictionis ecclesiasticae obiectum; aliae vero *ratione subiecti seu personarum;* quaedam insuper *iure devolutivo,* nonnulla demum iure *connexionis* seu continentiae causarum.

Verum notandum est etiam, non omnia eodem modo sub Ecclesiae potestatem iudicialem cadere; nam quaedam iure exclusivo, quaedam vero iure cumulativo eius iurisdictioni subiiciuntur, idest, *iure exclusivo* cum de iisdem Ecclesia dumtaxat iudicare valet, iure *autem cumulativo* si, circa eadem, etiam civilis potestatis competentia versatur.

**90.** *Causae* natura sua *Ecclesiae iudicio subiectae* sunt illae quae ex obiecti circumstantiis, indole, condicione et

[1] Can. 1552, § 2.



fine, ad ordinem spiritualem pertinent, ideoque ad finem et potestatem Ecclesiae iure nativo unice spectant: propter hoc *iure proprio,* seu non derivato ex concessione alterius societatis, vel ex titulis adventiciis, Ecclesia de his iudicat, et quidem *exclusive,* quia eidem dumtaxat spiritualium cura est demandata. Hae sunt:

I. *Causae quae respiciunt res spirituales vel spiritualibus adnexas* (can. 1553, § 1, n. 1).

*a*) Canon 727 haec profert exempla rei spiritualis: sunt videlicet, *sacramenta, ecclesiastica iurisdictio, indulgentiae;* addi possunt, *ritus sacri, vota, iuramenta, res fidei, officia sacra* omnesque res aliae in quibus vita spiritualis et supernaturalis consistit, vel a quibus causatur, necnon illae, demum, quae a vita supernaturali consequuntur.

*b*) Res spiritualibus adnexae, subiiciuntur et ipsae foro ecclesiastico. Equidem, quamvis huiusmodi res, in se spectatae, temporales sint, seu naturalis ordinis, tamen quia unum quid constituunt cum re spirituali, cumque oporteat accessorium sequi principale, eaedem res temporales forum quoque sequuntur rerum spiritualium quibus adnectuntur. Ex dictis, autem, satis constat exclusivam potestatem, quam circa has res Ecclesiae vindicat canon 1553, referri ad illas dumtaxat quae ita cum spiritualibus coniunctae sunt, ut *simul unum quid constituant;* cum scilicet utrumque elementum, spirituale et temporale, inseparabiliter cohaereant, ad efformandum unicum quoddam iuridicum institutum.

Heic namque notandum est duplex dari rerum quae spiritualibus adnectuntur genus; quaedam enim *separabiliter* censentur adnexae spiritualibus, quaedam vero *inseparabiliter.*

Quae inseparabiliter spirituali adnectuntur, ita se habent ut « sine spirituali nullo modo esse possint » (can. 727): talia sunt e. g. beneficium, ius patronatus, decimae, loca et res funerum;[1] de his sane Ecclesia *exclusive* iudicat propter ne-

[1] Devoti, *Inst. canonic.*, lib. III, tit. IV, § 5; Roberti, *De processibus*, Romae, 1941, vol. I, p. 76; cfr. *Concordatum Austriae,* 1855, art. 12; c. 21, X, *de iure patr.*, III, 38; c. 3, X, *de iudic.*, II, 1. Causae funerariae possunt

http://www.obrascatolicas.com

cessariam connexionem cum spiritualibus. Etenim, in casu, iudicium de re temporali necessario implicat iudicium circa rem spiritualem tam arcte cum illa connexam.

Quae vero separabiliter adnexae sunt rebus spiritualibus, eae ita se habent ut etiam ex se consistere possint: tales sunt v. g. inscriptio baptizatorum in matriculis civilibus. De his quidem Ecclesia potest iudicare, at *non iure exclusivo*, cum etiam civilis societas competens sit, eo quod, propter separabilitatem, potest de re temporali seorsim iudicari quin inde res spiritualis tangatur. Hinc causae de dote, de donatione propter nuptias, de haereditaria successione, de alimentis, etc. possunt a iudice ecclesiastico pertractari, quoties de his rebus incidat disputatio in disceptatione causae matrimonialis; sed quum principaliter quaestio, de iisdem rebus, sub respectu temporali oriatur, satius est ut expediatur a iudice laico, qui tamen illam definire potest quousque, dum haec in foro laicali expenduntur, non exurgat alia quaestio de iure connubii, puta de impedimento dirimente. [1]

**91.** II. *Causae de violatione legum ecclesiasticarum, deque omnibus in quibus inest ratio peccati, quod attinet ad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem* (can. 1553, § 1, n. 2).

*a*) Primo quidem de violatione legum ecclesiasticarum. Quod enim illi societati competat de violatione legum iure proprio et exclusivo iudicare, cui competit leges ferre, est evidens: potestas enim iudicialis legislativam potestatem consequitur, et eius quis sortitur forum cuius et ligatur legibus. Hinc Ecclesia iudicat de omnibus quaestionibus sive poenalibus, sive contentiosis, quae ex suarum legum violationibus derivant v. g. de patrata simonia, de defectu ob quem invalidatur aliquis actus; item, de effectibus temporalibus violationis, puta de damno temporali resarciendo.

*b*) De omnibus vero in quibus inest ratio peccati, seu de actibus, etiam circa temporalia, itemque de omissionibus, quae peccatum involvunt, in tantum Ecclesia iudicat *in quantum ratio culpae moralis dimetienda est, et poena ecclesiastica, propter talem culpam sancita, irroganda.*

Ratio est quia finis Ecclesiae est salus animarum, ideoque omnium peccatorum correctionem debet procurare; [1] id autem praesertim si agitur *de delictis cum scandalo*, quo in casu accedit ratio turbati ordinis socialis ecclesiastici, etiamsi delictum sit indolis civilis, quia non modo alienat a fine suo peccatorem, sed etiam reliquos.

Attamen notandum est Ecclesiam hodie generatim [2] non uti potestate sua, circa haec, in processu, sed de iisdem contentam esse agere in foro interno, prout ad tribunal Poenitentiae trahuntur, et hoc eo vel magis quia, praecisione facta a difficultatibus quae opponerentur hodie exercitio iuris Ecclesiae in foro externo, minor urget necessitas interveniendi et instaurandi processus ecclesiasticos, sive quia satis efficaciter compescuntur crimina ipsa in foro civili, sive quia ratio corrigendi aut supplendi quod inique aut negligenter gestum est a magistratu civili, quodque materiam aut occasionem peccati secumfert, non amplius

esse v. g. de neganda vei concedenda ecclesiastica sepultura, de eius electione, de tempore humationis, de iuribus stolae circa funera, etc.

[1] Lega, *De Iudiciis*, Romae, 1905, vol. I, n. 325, 5 *b*, p. 297.

[1] Id eruitur etiam ex verbis Christi (Matth., XVIII, 16 ss.) quibus Ecclesiae datur correctionem fratris in fratrem peccantis procurare. Sane id in re temporali quoque accidere potest, puta in iniusta damnificatione: peccatum perdurat donec quis consenserit ad reparationem praestandam, ideoque Ecclesia efficaciter curat fidelis correctionem si decernit de satisfactione parti laesae praebenda, non obstante sententia iudicis civilis quae reum absolvat. Cavagnis, *Institutiones Iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. III, n. 468, p. 259. Cfr. etiam cap. 6 et 10, X *de foro compet.*, II, 2.

[2] Dicimus generatim quia non desunt casus in quibus nostris etiam temporibus Ecclesia intervenit, quod attinet ad culpae definitionem in negotiis quoque civilibus tum privatis, tum publicis: immo praesertim in publicis, cum in his casibus vix posset reparari scandalum vel damnum animarum in solo foro interno poenitentiae, v. g. cum agatur de reprobanda, tamquam iniqua, lege quadam civili. Cfr. Pii VII allocut. consist. 25 maii a. 1802 qua *articulos organicos*, qui dicuntur, reprobavit; item Pii X, Encycl. Litt. *Vehementer nos*, 11 febr. 1906, quibus legem Gallicam separationis (9 dec. 1905) impiam et iniustam declaravit et reprobavit; item Pii XI, Encycl. Litt. *Iniquis afflictisque*, 18 nov. 1926, de iniustis legibus in Mexicana Republica recenter latis. Quoad condicionem iuridicam et moralem Ecclesiae in Nationibus orientalibus quae nunc communistico regimine vexantur, cfr. Ep. Encycl. Pii XII *Orientales Ecclesias*, diei 15 dec. 1952 (*A. A. S.*, vol. XLV, p. 5 ss.). Quod sane aeque referendum est ad potestatem quoque iudicialem. Cfr. canones 1553 et 1554 cum can. 2198.



http://www.obrascatolicas.com

urget sicut prius, propter hodiernum progressum administrationis iustitiae in societate civili; quod si quid adhuc restat corrigendum aut supplendum, ad vitandum peccatum, cui actus iudicis civilis occasionem posset dare, id Ecclesia potest praestare practice, magis in foro interno quam in foro externo.

**92.** III. *Causae* ratione personarum *iudicio Ecclesiae subiectae;* — « **privilegium fori** ». — Ecclesia iure *proprio* et *exclusivo* iudicat etiam de omnibus (ideoque etiam mere civilibus) sive contentiosis, sive criminalibus quae respiciunt personas privilegio fori fruentes, videlicet *clericos* aliasque personas hac in re clericis aequiparatas. [1] Hi omnes igitur, nonnisi apud iudicem ecclesiasticum conveniri possunt, [2] nisi tamen aliter pro locis particularibus provisum fuerit. [3]

---

[1] Nam praeter eos qui primam tonsuram receperunt — nisi tamen ad statum laicalem reducti sint, qua super re cfr. can. 213, § 1, cum cc. 2305, 132 § 2, 136 § 3, 141 § 2 —, gaudent privilegio fori *religiosi,* etiam votorum simplicium, etsi adhuc novitii, vel fratres laici (cc. 614, 567, § 1); itemque sodales in societatibus religiosis in communi viventes sub legitmo superiore et probatis constitutionibus, quamvis votis non adstringantur (cc. 673 et 680).

[2] Equidem si clerici laicos conveniant, ad tribunalia civilia trahere eos debent, iuxta illud: « Actor sequitur forum rei »; cfr. c. 1559, § 3.

[3] Hoc vero tum ex *consuetudine* tum ex concessione facta ab Ecclesia, praesertim per *Concordata.* AICHNER, *Compendium iur. eccl.,* Brixiniae, 1900, § 214, n. 2, p. 754. Nam urgentibus peculiaribus temporum et circumstantiarum adiunctis, Romani Pontifices toleraverunt aut permiserunt propria concessione, ut causae clericorum a laicis tractarentur. Quantum autem fieri potuit cautum fuit ut etiam in his adiunctis certae conditiones definitique modi servarentur ad tuendum sacerdotii decorem. Cfr. *Concord. cum Lettonia,* 30 maii 1922, art. 18-19; *Concord. cum Polonia,* f0 febr. 1925, art. 22; *Concord. cum Lithuania,* 20 sept. 1927, art. 20; *Concord. cum Italia,* 11 febr. 1929, art. 8; *Concord. cum Austria,* 5 iunii 1933, art. 20. Novissimum *Concord. Hispanicum,* diei 27 aug. 1953, in art. 16, n. 1 statuit: « I Prelati di cui al paragrafo 2 del can. 120 del Codice di Diritto Canonico non potranno essere deferiti ad un Tribunale laico senza che sia stata ottenuta prima la necessaria licenza della Santa Sede ». Cfr. etiam *Concord. cum Rep. Dominicana,* diei 16 iunii 1954, art. 13. In iis locis vero in quibus privilegio fori derogatum non fuit, et tamen non datur sua iura persequi nisi apud iudices laicos, venia peti debet ad conveniendam personam privilegio hoc gaudentem, apud superiorem ecclesiasticum, ad normam can. 120, § 2. Cfr. etiam *Decr. S. Off.,* 23 ian. 1886.



Ratio huius exclusivae competentiae Ecclesiae, seu exemptionis clericorum a tribunali civili etiam quoad causas mere temporales, reducitur *ad connexionem cum spiritualibus rebus:* quia clerici in sortem Domini vocantur ut rite deputari possint, ordinibus receptis, ad sacra officia peragenda pro sacramentorum et sacramentalium confectione, pro divini cultus cura, et pro animarum directione in finem supernaturalem. Ex quo fit ut tamquam personae sacrae merito haberi debeant.

Iamvero propter ipsum divini cultus decorem, et propter dignitatem rerum sacrarum quas clerici tractant, sicut et propter reverentiam ipsis personis sacris debitam, decet omnino ut ecclesiastici ad civile tribunal non trahantur: quod si trahuntur, populi reverentia summopere minuitur et despectus in eosdem ita iniicitur ut facile in res sacras ipsis commissas refundatur: itemque, propter evulgationem quae delictorum ipsis, iure vel immerito, in publico iudicio ad tribunal civile imputantur, talia oriuntur publica scandala quae plerumque alienum reddant a rebus religiosis christianum populum.

**93.** IV. *Quaenam Ecclesia iure cumulativo cum societate civili cognoscat* — **causae mixti fori.**

*Causae mixti fori,* quas iure cumulativo utraque societas cognoscere potest, sunt illae quae eodem sub respectu cadunt sub iudiciali potestate utriusque societatis, ideoque indiscriminatim in foro sive ecclesiastico sive civili definiri possunt.

Istae sunt causae natura sua temporales, sed circa quas fit competens etiam Ecclesia, sive *ob adiectam aliquam qualitatem spiritualem separabilem,* sive propter *continentiam causarum.*

http://www.obrascatolicas.com

Itaque non omnes res mixtae, quae videlicet finem tum temporalem tum etiam spiritualem directe spectant, dici possunt mixti fori, quasi indiscriminatim alterutra societas possit negotium ex integro suscipere et definire, ita ut qui rem praeoccupaverit, ille iudicialiter persolvat. Equidem *in rebus mixtis* competentia utriusque fori est in hoc, quod utraque societas de aliqua re mixta cognoscit solum et quantum respicit proprium ordinem; ideoque alterutra *exclusive,* non cumulative cum altera, cognoscit de re secundum adspectum qui ad eandem societatem pertinet.[1]

Item, notandum est non omnes causas mixti fori tales esse natura sua: quaedam enim sunt tales de facto, ut sunt nonnullae causae quas potestas civilis iudicat ex concessione Ecclesiae v. g. causae clericorum, quae sane, per se, ad forum ecclesiasticum tantum pertinerent.

**94.** Primum quidem diximus dari causas mixti fori ex ipsa indole rerum: illas nempe quae etsi rem temporalem respiciant, tamen, ob adiectum elementum spirituale separabile, vel ob aliquem respectum ad spiritualia, intersunt etiam Ecclesiae. Ratio igitur cur de his rebus utraque societas sit competens est haec: quia ex una parte societas civilis, quae consulere debet bono temporali communitatis, agit circa materiam sibi propriam, scilicet circa rem temporalem; neque necessarium est quod per hoc directe attingat elementum spirituale, quod in casu est accessorium et separabile, a quo igitur bene potest societas temporalis praescindere. Ex altera vero parte Ecclesia, propter elementum spirituale, connexam seu accedentem rem temporalem quoque attingit; congruit enim ut, ad cognoscendum de illo elemento, quod in tantum subsistit in quantum accedit alicui rei, ratio *totius materiae* habeatur, nisi aliunde difficultas vel repugnantia adsit. Iamvero nulla est difficultas vel repugnantia quod, accedente aliqua ratione, Ecclesia de re temporali iudicet, dicente Apostolo: « *Nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis saecularia?* »[1]

[1] Exemplum est in *matrimonio christiano;* causae namque matrimoniales prout substantiam vinculi vel effectus inseparabiliter adnexos attingunt, ad causas spirituales pertinent; prout vero solummodo effectus mere civiles respiciunt, ad causas temporales pertinent. Ad diversum forum, igitur, spectant omnes hae causae: primae quidem ad ecclesiasticum, aliae vero ad saeculare.



1. Ex iure Decretalium has causas recensere possumus inter illas quae mixti fori dicuntur: profana illa negotia, quibus iusiurandum adiunctum est, seclusa tamen quaestione de valore iuramenti;[2] testamenta laicorum quibus legata pia adnectebantur: periurium, furta sacrilega, etc.

2. Anteactis temporibus iudicavit Ecclesia, tamquam de rebus mixti fori, etiam de viduarum, pupillorum, ceterarumque miserabilium personarum causis: ratio erat in speciali charactere charitativo qui exercitio potestatis iudicialis, in huiusmodi causis, adnectebatur, propter spiritualem finem equidem iis miserabilibus personis opitulari, sicut gerentibus personam Christi, iuxta illud *Matth.*, XXV, 40, ab ipsis Ecclesiae incunabulis non ultimum fuisse constat munus et curam Episcoporum, eo vel magis quod a laicis difficilius pauperes et derelicti defenderentur.[3] Cum autem hodie satis rectius administrationi iustitiae consulatur, easdem causas Ecclesia non amplius suscipit, et foro saeculari penitus relinquit.

3. Quaesitum est an inter causas mixti fori haberi possit *iudicium de nudo facto spirituali,* itemque iudicium *possessorium iuris spiritualis:* v. g. *a*) an quidam baptizatus sit, *b*) an eius-

[1] *I Cor.*, VI, 3.

[2] Vid. c. 2, *de pactis*, I, 18, in VI; c. 2, *de iureiurando*, II, 11, in VI; Benedictus XIV, *De Syn. Dioeces.*, l. IX, c. 9, n. 8. Olim saepe coram ecclesiasticis notariis contractus stipulatio fiebat (cfr. Devoti, *Instit. canon.*, lib. III, tit. IV, § 7, not. 3) quod plus fidei et peritiae haberent; hinc etiam sequebatur ut plures causae circa ipsum contractum, quae, propter rem ipsam aut personas, laici tribunalis fuissent, a iudice ecclesiastico cognoscerentur.

[3] C. 26, X, *de verborum significatione*, V. 40. Cfr. c. 1 et 2, D. 87; Devoti, l. c., § 11; Roberti, *De processibus*, Romae, 1941, ed. altera, vol. I, p. 137.

http://www.obrascatolicas.com

dem sit possessio beneficii, decimarum, vel iurispatronatus. Profecto, nulla difficultas fieri potest quoad Ecclesiam; agitur enim de spiritualibus. Sed quaestio fit quoad Statum.

*a*) Iamvero laicam potestatem *de nudo facto spirituali* posse iudicare a plerisque iurisconsultis concessum est, ea de causa quod agitur de emittendo iudicio circa existentiam rei quae, ex hypothesi, sub sensus cadit, quod iudicium non involvit exercitium potestatis circa elementum spirituale connexum; nam, etiam quilibet privatus, expers omni potestate, sed praeditus mediis ad cognoscenda externa, iudicare potest an aliquod factum existat vel non. Iudicium potestatis saecularis erit quidem auctoritativum, sed ius facit tantum respectu effectuum civilium qui ex illo facto spirituali legitime consequuntur. [1]

Notandum ulterius quod iudicium civile nequit ullimode attingere quaestionem de valore seu de legitimitate facti, deque omnibus quae respiciunt ipsum ius spirituale.

*b*) Aliter vero respondendum est quod spectat ad quaestionem de *iudicio possessorio iuris spiritualis*.

Regalistae quidem asserebant possessionem vel quasi possessionem in facto consistere, ideoque parem esse condicionem ac in praecedenti casu circa iudicium de nudo facto spirituali; ceterum, factum possessionis iudicari posse dicebant iisdem criteriis iuridicis quibus possessio rerum temporalium, vel quasi possessio iurium temporalium. Verum, de nudo facto spirituali diximus potestatem civilem iudicare posse in quantum de eo inquiritur in ordine ad effectus temporales; e contra, quando agitur de possessione iuris (v. g. de possessione beneficii, vel iuris decimandi, aut iurispatronatus), inquiritur de ipsa possessione praecise in ordine ad iudicandum de effectibus spiritualibus, seu ordinis ecclesiastici. Equidem, notat Cavagnis, [2] ex possesione oritur ius quoddam, saltem momentaneum, non modo quoad bonorum et aliorum iurium temporalium adnexorum fruitionem, sed etiam ad iura vel officia spiritualia correlativa exercenda. Immo ipsa iura temporalia dimanant tamquam consectaria a titulo spirituali, ideoque legitime possidentur quatenus iusta sit

[1] Cavagnis, *Institutiones*, vol. I, nn. 436-437, p. 286; Wernz, *Ius Decretalium*, Prati, 1914, V, n. 273, not. 58, p. 226.

[2] Cavagnis, op. cit., vol. I, nn. 440-441, p. 188 ss.



ipsa possessio spiritualis tituli. Itaque Ecclesiae solius est de tali possessione iuris, pro natura effectuum qui consequuntur, iudicare, nisi tamen foro laicali, ex speciali titulo, legitima facultas facta sit. [1]

**95.** Sed ulterius diximus causas fieri *mixti fori* ratione **continentiae causarum.**

Continentia causarum habetur cum unius causae cognitio praerequiritur ad cognitionem alterius, vel etiam cum eaedem inter se tam arcte coniunctae sunt, ut maxime expediat eas simul cognosci, nisi specialis obstet ratio.

Ratio haec vero, quod attinet ad res mixti fori, attenditur praesertim respectu iudicis laici qui omnino incompetens est iudicandi, etiam in causis connexis, de spiritualibus. Hinc, si in principali causa temporali, a magistratu civili cognoscenda, spiritualis incidat quaestio, huius resolutio omnino relinqui debet competenti iudici ecclesiastico.

Huiusmodi difficultas, vero, non habetur in contrarium, si quaestio aliqua ad ecclesiasticum forum deducta, connexa sit cum controversia de re civili; ideoque haec ultima res, in casu, haberi potest tamquam mixti fori, et circa eamdem datur locus praeventioni (can. 1553 § 2).

**96.** Asseruimus in hisce causis ita connexis maxime convenire ut apud idem tribunal integrum expediatur negotium. Profecto, id plurimis suadetur rationibus: *a*) primo quidem ex opportunitate vitandi maximum incommodum, cum sumptibus coniunctum, quod sequeretur si partes contendentes coram diversis iudicibus litigare cogerentur; *b*) ex studio vitandi ne de eadem

[1] Immo, admittendus est alius quoque casus, in quo societas civilis iudicare possit de possessione iuris spiritualis: cum videlicet iuri spirituali Status adnectat iura quaedam mere temporalia. Iudicium civile, sane, tunc ad effectum dumtaxat tribuendi possessori huiusmodi iuria civilia dari potest: v. g. ut parocho tribui possit suffragium multiplex in electionibus pro seligendis populi oratoribus.

http://www.obrascatolicas.com

re diversae habeantur sententiae, et quidem inter se oppositae, quod sane tribunalium existimationem plurimum minueret et concordiae inter utramque potestatem maxime obesset; *c*) ex periculo ne, ubi causae continentes scindantur, fraudibus et cavillationibus facilior aditus aperiatur cupienti in longum rem protrahere, promotis pluribus causis incidentalibus apud diversos iudices dirimendis; *d*) nec praetereundum est a iudice qui causam principalem tractat, securiori et expeditiori modo posse causam connexam solvi, propterea quod de ea re melius instructus sit.

Diximus tamen quoad causas mixti fori *locum dari iuri praeventionis* (can. 1553, § 2): scilicet, qui prior negotium praeoccupavit, [1] illud integrum absolvet. Equidem ex eo quod Ecclesia fit competens, ob aliquem titulum, de negotiis civilibus mixti fori, non inde sequitur laicum tribunal circa eadem amisisse competentiam.

Verum semel ac deducta est causa mixti fori ad tribunal ecclesiasticum, nequit amplius ab eo retrahi: unde iuxta can. 1554, actor, qui causas mixti fori ad iudicem ecclesiasticum deductas ad forum saeculare iudicandas defert, congruis poenis puniri potest, ad normam can. 2222, et privatur iure contra eamdem personam, de eadem re, et de connexis, causam agendi in foro ecclesiastico.

Sed donec integra res est, ad tribunal laicum libere aditus patet: imo practice Ecclesia, quantum natura negotii sinit, res mixti fori, mere civiles, iudici saeculari definiendas relinquit.

**97.** V. *Causae iure devolutivo potestati iudiciali Ecclesiae subiectae* sunt illae quae ad Statum iure proprio et exclusivo pertinent, cum neque natura sua, neque ratione personae aut causarum connexione ad Ecclesiae tribunal essent deducendae, sed quarum cognitio ad Ecclesiam de-

[1] Quo actu censendum sit negotium iam praeventum, seu legitime preoccupatum, diiudicari debet communibus normis processualibus. Sane, aut citatione legitime peracta et intimata, aut comparitione spontanea partium, causa fit propria illius tribunalis seu illius iudicis a quo, vel coram quo actio ita instituta est. LEGA, op. cit., vol. I, n. 349, p. 323. Cfr. can. 1725, nn. 1 et 2.



volvitur vel ob impotentiam aut incuriam potestatis civilis vel ob peculiaria adiuncta quae, per accidens, influunt in ordinem spiritualem.

1. Equidem ius cognoscendi omnes causas christianorum etiam civiles, in *primis tribus saeculis aetatis christianae,* ex apostolica dispositione fuit Ecclesiae demandatum, propterea quod civilis potestas, tum apud infideles («apud iniquos») residens, minus apta iudicandis sanctis inveniebatur, et non sine christianae conscientiae offensione ad civiles magistratus accedere fideles potuissent.

2. Item, iure devolutivo, christianae plebis causas civiles cognovit Ecclesia, aliis rationibus, *in media aetate;* nam in turbulentissimis illorum temporum adiunctis, talis saepe fuit rerum condicio ut Ecclesia, in bonum populi christiani, iustitiae administrationem suscipere debuerit etiam in civilibus deficientibus aut aegre vel male providentibus alterius fori magistratibus. Id sane, praesertim ubi ageretur de egenis et miserabilibus personis, necessarium fuit, ne iniuste vexarentur et opprimerentur, cum omni essent humano auxilio destitutae.

## TITULUS IV

### DE ECCLESIAE POTESTATE EXECUTIVA

**98.** In hoc titulo seorsim agendum esset primum de potestate *gubernativa,* dein vero de potestate *administrativa,* ac demum de potestate *coactiva* Ecclesiae. Verum, cum de his omnibus potestatis executivae functionibus hi soleant tractare qui Codicem iuris canonici exponunt (equidem in Codice multa, quae ad ius publicum *internum* Ecclesiae pertinent, cum iure privato sunt permixta), illa dumtaxat exponemus quae fusius in iure publico solent tractari ob peculiares quaestiones quae de iis agitantur; primum quidem de potestate Ecclesiae coactiva, cuius existentia, limites, exercitium, etc. exponenda erunt (cap. I); postea vero de nonnullis specialibus muneribus functionis gubernativae et administrativae erunt enodandae singulares quaestiones, illae sane dumtaxat quae connectuntur cum hodierna praxi politica plurium Statuum (cap. II et III).



http://www.obrascatolicas.com

# CAPUT I

## DE POTESTATE ECCLESIAE COACTIVA

### ARTICULUS I

### Existentia potestatis coactivae in Ecclesia

**99.** I. **Ex indole nativae constitutionis Ecclesiae.** – Assertum catholicum de iure Ecclesiae cogendi, enunciatur his verbis in Codice iuris canonici: *Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coërcendi delinquentes sibi subditos, poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus.* [1]

Vindicatur igitur Ecclesiae *ius nativum,* seu non iam acquisitum aut devolutum; *proprium,* idest sibi competens vi suae originis et divinae constitutionis, non autem ex commissione aut delegatione alterius humanae potestatis; itemque *independens* seu omnino libere et autonome exercendum, sine ulla erga auctoritatem civilem subiectione. Aliis verbis, Ecclesia sibi potestatem coactivam vindicat tamquam essentiale attributum suae iuridicae perfectionis socialis. Et merito, quidem: id enim constat primo ex nativa indole organizationis et constitutionis socialis Ecclesiae.

Etenim societas cui competit, vi suae nativae constitutionis, plena et libera potestas legifera et iudicialis, necessario praedita esse debet coactiva quoque potestate: secus inutile prorsus evaderet geminum illud leges ferendi iudicandique ius (v. supra n. 37, p. 65 ss.).

[1] Can. 2214, § 1. Profecto, *ius cogendi,* generice sumptum, includit ius tum puniendi eos qui iam deliquerint, tum cohibendi actuales violatores legum, tum etiam cogendi invitos et reluctantes: canon citatus, vero, directe respicit ius Ecclesiae *poenale.* Ast, si Ecclesiae vindicatur ius puniendi eos qui deliquerint, pari titulo eidem adscribitur ius utendi vi physica, ubi haec necessaria sit ad praeveniendas vel compescendas ipsas legum violationes. Hinc, quae exponuntur circa ius puniendi, eadem valent pro generica quoque acceptione iuris *cogendi.*



Ut enim iam notavimus, non leges tantum ferre et iudicia exercere sufficit ut homines ad socialem finem assequendum *efficaciter* ducantur, verum reluctantes cogere, transgressores cohibere, contumacesque punire oportet, ne liberum sit perversis hominibus publica iussa sententiasque spernere, pro lubitu agere, et ordinem socialem turbare: quo fieret ut omnis vis atque efficacia socialis impulsionis in bonum tum commune tum singulorum ad nihilum penitus reduceretur.

Iamvero Ecclesiae vi suae nativae et divinae constitutionis competit, sicut iam ostensum est (nn. 74 ss., 85 ss.), plena et libera potestas legifera et iudicialis; hancque duplicem potestatem Christus Ecclesiae contulit *indubie* coniunctam cum omni facultate necessaria pro practica efficacia eius exercitii, sicut decet Dei sapientiam. Ergo potestas coactiva indubie a Christo collata est Ecclesiae. De facto, id confirmatur:

**100.** II. **Ex evangelio:** Matth. XVI, 19; XVIII, 17-18. – 1. Christus enim ligandi et solvendi ius conferens Apostolis, nullis circumscriptum limitibus, inclusit utique ius quoque cogendi; non enim solum volentes sed etiam inviti et reluctantes, ex universalitate illius formulae «*quodcumque ligaveris... quaecumque alligaveritis...*» ligari seu constringi possunt; ast posse ligare invitos idem est ac posse eos cogere.

2. Item, quoad eos qui contumaciter persisterent in culpa, Ecclesiae ius competit excommunicationis ferendae, quae est certe poena gravissima: «*Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*». De hac autem

http://www.obrascatolicas.com

poena Ioannes XXII, Const. *Licet*, disserens: « Constat ex Matth., XVIII, 17 — inquit — quod si aliquis damnum alicui indebite dederit, illudque ad mandatum Ecclesiae noluerit emendare, Ecclesia, per potestatem a Christo sibi concessam, ipsum ad hoc per excommunicationis sententiam compellere potest, quae potestas est quidem coactiva. Circa quod est animadvertendum, quod cum excommunicatio maior, nedum excommunicatum a perceptione sacramentorum removeat, sed etiam a communione fidelium ipsum excommunicatum excludat, corporalis est a Christo coactio Ecclesiae permissa ».

**101. III. Ex doctrina et praxi Apostolorum.** – 1. Docuit Paulus inoboedientes et contumaciter errantes in fide a fidelium communione esse arcendos; itemque publice peccantes reprehendendos esse, tum pro ipsorum bono et emendatione, tum pro aliorum exemplaritate;[1] ipseque Apostolus minatur se durius acturum esse erga inoboedientes: « Haec absens scribo, *ut non praesens durius agam, secundum potestatem quam Dominus dedit mihi* in aedificationem et non in destructionem ».[2] Et iterum: « Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam... quid vultis? *In virga veniam ad vos*, an in caritate, et spiritu mansuetudinis? »[3]

« *In promptu habentes ulcisci omnem inoboedientiam*... ut autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas... hoc cogitet qui eiusmodi est, quia quales sumus verbo per

[1] « Si quis non oboedit verbo nostro per epistolam, *hunc notate, et ne commisceamini cum illo* », *II Thess.*, III, 14; « Peccantes coram omnibus argue: ut et ceteri timorem habeant », *I Tim.*, V, 20.

[2] *II Cor.*, XIII, 10. En, Apostolus non a populo, non a principibus, sed *a Deo datam potestatem* libere et independenter certe exercet.

[3] *I Cor.*, IV, 21.



epistolas absentes, tales et praesentes in facto ».[1] « Ecce tertio hoc venio ad vos: in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Praedixi et praedico, ut praesens, et nunc absens iis, qui ante peccaverunt et ceteris omnibus, *quoniam si venero iterum, non parcam* ».[2]

2. Reapse, quando opus fuit virga usus est et non pepercit: corinthiacum impudicum in poenam sui delicti et in emendationem, « tradidit Satanae »;[3] itemque alios, qui circa fidem naufragaverunt, pariter Satanae tradidit;[4] Alexandrum aerarium autem, quod verbis suis restiterat, devitari iussit.[5]

**102. IV. Ex Ecclesiae praxi antiquissima et constanti.** – Apud *Patres* et in Actis priorum *Conciliorum* frequens habetur testimonium poenarum quae in Ecclesia, iam inde a prima aetate christiana, adhibitae sunt.

1. *Primis tribus saeculis* maxima poena fuit, sicut nunc est, exclusio a fidelium communione;[6] accedebant vero et poenitentiae publicae quae sane rationem iuridicam poenae habuerunt, cum nedum ad emendationem rei, sed et ad aliorum exemplaritatem et deterritionem necnon ad criminis vindictam infligerentur. Item, pro clericis iam tum vigebat depositionis poena.

2. Ius poenale Ecclesiae *saec. IV-VII* a synodis, tunc

[1] *II Cor.*, X, 6-11.

[2] *II Cor.*, XIII, 1-2.

[3] *I Cor.*, V, 5, « ... tradere huiusmodi Satanae in interitum carnis... »; loquitur forsan Paulus de quadam afflictione corporali, a Satana inferenda, necnon de excommunicatione.

[4] « Ex quibus est Hymenaeus et Alexander: quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare ». *I Tim.*, 1, 20.

[5] *II Tim.*, IV, 15.

[6] « ... summumque futuri praeiudicium est si quis ita deliquerit ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur ». TERTULLIANUS, *Apolog.* 29 (M. L., 1, 469).

http://www.obrascatolicas.com

frequenter celebratis, ulterius explicatum et determinatum est. Introductae quidem sunt poenae spirituales minores, quibus subtrahebantur iura quaedam spiritualia delinquentibus; clericis vero, praeter depositionem, degradatio, suspensiones, reductio ad statum laicalem, itemque verberationes sancitae sunt.

3. Influxu populorum barbarorum, *post saec. VII*, poenae temporales uberiorem applicationem habuerunt: maxime usui fuerunt mulctae, fustigatio, exilium, carcer, etc. Ipsaque excommunicatio suos effectus civiles habuit. Quod quidem attentis rudium illarum gentium moribus, aptum erat procurandae delinquentium emendationi, modo efficaci. Interim autem evolvebatur quoque, inter poenas spirituales, interdictum. [1]

**103.** Speciales difficultates solent ab adversariis iuris poenalis Ecclesiae opponi contra *ius proprium et independens*, quo ipsa pollet, infligendi *poenas* temporales: enimvero ex civilium potestatum venia ac permissu dicunt Ecclesiam illud paullatim acquisivisse.

Verum contra hoc assertum stant multa documenta historica, ex quibus facile deprehenditur Ecclesiam iure proprio ac nativo semper adhibuisse poenas temporales.

Porro id *rationibus* quoque posse apprime suaderi facile ostenditur. Equidem in omni republica bene instituta diximus esse necessariam, ad eius conservationem et bonum regimen, potestatem puniendi malefactores (nn. 37, 99).

Omnis delinquens namque veluti societatis aggressor est, per hoc quod perturbat, actione sua delictuosa, ordinem socialem et obstacula ponit ad plenam finis assecutionem. Debet igitur Ecclesia, sicut quaevis societas, aggressorem cohi-

[1] CHELODI-DALPIAZ, *Ius poenale*, Tridenti, ed. quarta, 1935, Introd., p. 2.



bere atque finem suum tueri, quo efficaciori modo id fieri possit, videlicet, nedum spiritualibus poenis sed *etiam vi materiali*, si talia dentur adiuncta propter quae efficacius vel opportunius est ut haec adhibeatur.

Ecclesiam enim diximus esse societatem spiritualem quidem, at vero non *spirituum* quibus sola media spiritualia essent proportionata: coalescit enim ex hominibus, quorum infirmitatibus medendum est secundum ipsorum capacitatem.

Eisdem sane spiritualis medicina inefficax saepe evadit, nisi accedat aut praecedat afflictio corporis, quae plurimum animum movet et voluntatem flectit.

Nec tamen inde concludas: ergo poenae temporales, etiam tenuissimae, tunc in Ecclesia adhibendae sunt cum spirituales inefficaces fuerint. Ecclesia namque semper proportionem servare debet inter crimen et poenam et id quod in singulis casibus est magis opportunum, pro restauratione ordinis et rei emendatione, decernere; hinc ad eius prudentiam spectat, quod magis expedire videbitur seligere, an scilicet poena quaedam temporalis adhibenda sit potius quam spiritualis. Insipienter enim quis experiri vellet omnem fere seriem poenarum spiritualium, quando levis forsan poena temporalis proportionata esset crimini, et simul efficax ad frangendam delinquentis contumaciam.

Neque insuper obiicias Ecclesiam non habere media physica necessaria ad poenas temporales infligendas, non milites, non arma; ideoque huiusmodi potestatem, practice usui impossibilem vel nonnisi consentiente et opem ferente civili auctoritate exercendam, a Christo non fuisse certe eidem concessam.

Sane, Ecclesia vim physicam mediate, seu virtualiter [1] possidet, quatenus *ministerio necessario* civilis auctoritatis uti valet: hinc S. Bernardus ad papam Eugenium III: « Exerendus est nunc uterque gladius. Per quem autem nisi per vos? Petri uterque est, *alter suo nutu*, alter sua manu, quoties necesse est, evaginandus ». [2]

[1] Vidimus iam, sub n. 43, quomodo id non officiat perfectioni et independentiae Ecclesiae.

[2] *Ep. 256 ad Eugenium III.* Etiam Bonifacius VIII, in Bulla *Unam*

http://www.obrascatolicas.com

Quod si civilis auctoritas officio suo non pareat, aut Ecclesia nunc plerumque abstinendum a poenis temporalibus putet, id non defectum potestatis evincit, sed solum defectum opportunarum condicionum ad actualem usum iuris sui.

**104.** Ad confirmandum vero assertum ius Ecclesiae inferendi poenas nedum spirituales sed etiam temporales, argumento utimur etiam ex *expressa* doctrina Ecclesiae: illud autem ita conficimus, ut specialem habeamus rationem declarationum supremi magisterii ecclesiastici quae praecise versantur circa ius inferendi poenas temporales.

1. *Ioannes XXII* in Const. *Licet*, 23 octobris 1327, ex textu Matth., XVIII, 18 docet *a Christo* fuisse concessum Ecclesiae ius puniendi, poenis spiritualibus et *corporalibus*. (Vid. supra, p. 180).

2. *Concilium Tridentinum* definivit: « Si quis dixerit parvulos baptizatos, cum adoleverunt... suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae, aliorum sacramentorum perceptione arceantur donec resipiscant, anathema sit ». [1]

*Benedictus XIV* in Brevi *Ad assiduas*, 4 martii 1755, damnavit errores P. La Borde, circa Ecclesiae potestatem coactivam; P. La Borde negabat ius Ecclesiae irrogandi poenas temporales.

---

*Sanctam* docet: « In hac eiusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, evangelicis dictis instruimur... Uterque ergo est in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis ». DENZ., n. 469.

[1] Sess. VII, c. 14, *de Bapt.*: DENZ., 870. Definitio specialem vim habet pro iure infligendi poenas temporales, ut patet ex verbis. Re quidem vera, Conc. Trid., Sess. XXV, c. 3, *de ref.* edixit licere iudicibus ecclesiasticis, in causis civilibus ad forum Ecclesiae pertinentibus, etiam per *mulctas pecuniarias procedere*. Item contra duellantes, idem Concilium poenam statuit *publicationis bonorum* (Sess. XXV, c. 19, *de ref.*); de hac ultima poena, deque difficultatibus circa eam oppositis, cfr. CAVAGNIS, *Institut. iur. publ. eccl.*, Romae, 1906, I, n. 305, p. 196.



*Pius VI*, Const. dogm. *Auctorem fidei*, 28 augusti 1794, [1] Ecclesiae vindicavit potestatem « devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coërcendi atque cogendi ».

*Pius IX* in Encycl. *Quanta cura*, 8 decembris 1864, damnavit asserentes « Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum *poenis temporalibus* coërcendi » itemque proscripsit in *Syllabo* sequentem propositionem (24am): « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam ». [2] Haec propositio desumpta est ex libro Ioan. Nepom. Nuitz, *Iuris eccl. institutiones*, quem idem Pius IX damnavit Brevi *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851, eo quod, inter alios errores, denegationem omnis potestatis coërcitivae Ecclesiae continebat.

*Leo XIII*, in Encycl. *Immortale Dei*, docuit fuisse a Christo collatam Ecclesiae tum ferendarum legum veri nominis facultatem, tum geminam, quae hinc consequitur, iudicandi *puniendique potestatem*. [3]

## ARTICULUS II

### Poenarum ecclesiasticarum finis et usus

**105.** I. **Ordo socialis Ecclesiae restaurandus.** – De conceptu poenae est ut sit *expiatrix*, seu reparatrix et restauratrix violati ordinis socialis: in hoc consistit finis vindicativus poenae (pp. 65 ss.). Ubicumque est societas publica, est in ea tuendus ordo socialis, qui perturbatur delictis; porro perturbatio habetur non solum in momento delictuosae actionis, sed etiam post admissum crimen perdurat, et permanens esset nisi per applicationem proportionatae poenae actus noxius retribuatur iuxta id quod meretur: hoc enim modo reactio punitiva socialis victoriam illam obtinet su-

---

[1] DENZ., nn. 1504, 1505. Cfr. integrum textum supra relatum, n. 77.

[2] DENZ., nn. 1697 et 1724.

[3] *Immortale Dei*, § 19, Revera. Initio huius articuli, vero, posuimus canonem 2214, § 1, qui continet integrum assertum a nobis sumptum veluti thesim quam probare studuimus.

http://www.obrascatolicas.com

per delinquentis malitiam quae est victoria iustitiae, bonitatis, pacis ac tranquillitatis super iniustitiam, depravationem et deordinationem, unde etiam commune bonum defenditur et fiducia ac securitas publica reintegratur. [1]

Iamvero etiam Ecclesia est societas publica, etiam in ea delictum ordinem socialem perturbat: necessario igitur etiam in Ecclesia poena, in delinquentem illata, debet induere rationem medii natura sua et intrinsece ordinati ad restaurationem laesi ordinis socialis, seu debet esse expiatrix. Hinc finis poenarum primarius et intrinsecus est, etiam in Ecclesia, *criminis vindicta in restaurationem ordinis publici:* ab hoc non potest praescindi, nisi velimus asserere Ecclesiam, in puniendo, non agere ut societatem, non gerere curam communitatis, sed solius privatae alicuius personae.

Debet utique Ecclesia alios quoque fines intendere et prosequi: sed etiam ab his praescindendo, habet supremam quandam et adaequatam rationem ob quam delinquentes punire possit ac debeat, quaeque intrinseca est et connaturalis sociali punitioni: est videlicet ratio iustae retributionis pro malo patrato, ut actiones uniuscuiusque socialiter retribuantur iuxta id quod coram societate merentur, et hinc publica satisfactio pro iustitiae administratione habeatur.

**106. II. Moralis ac spiritualis lapsus in individuo delinquente reparandus.** – Profecto, praeter finem intrinsecum poenae, potest societas, ut iam innuimus, et alios plures fines sibi proponere, et iuxta exigentias istorum quoque accomodare suum systema poenale. Huiusmodi fines sunt: delinquentis *emendatio,* aliorum deterritio seu *exemplaritas,* publica *satisfactio* ac demum publica *defensio* et securitas propter praeventivam efficaciam poenarum.

[1] S. Thom., I, II, q. 87, a. 1, c. docet ordinem ita esse restaurandum ut qui ordinem pervertit, « ab ipso ordine deprimatur, quae quidem depressio poena est ».



Ex his finibus extrinsecis, seu punientis intentione adnexis actui de se vindicativo et restaurativo ordinis socialis, unus prae aliis studiosius quaeri potest, secundum indolem et scopum praecipuum quem societas praefixum habet tamquam supremam rationem suae institutionis et existentiae. Iamvero, in Ecclesia praevalere debet finis emendativus: ita ut in ea poenarum irrogatio fiat duplici potissimum de causa: 1° ob illum scopum socialem qui necessario et intrinsece cohaeret cum instituto iuridico punitionis publicae; 2° ob illum scopum peculiarem qui, attenta singulari indole finis spiritualis Ecclesiae, oportet ut in singulis individuis promoveatur, scilicet, rei emendatio. Cum enim Ecclesiae sit curare internam hominum sanctificationem pro ipsorum aeterna salute, hunc finem prosequitur, tum in communi, sicut convenit omni societati, tuendo bona spiritualia communitatis, tum etiam in singulis individuis, opportunis pro unoquoque fideli adhibitis mediis, ad spiritualem restaurationem post lapsum invitando et cogendo, ut mortem spiritualem ab ipsis, quantum ei possibile erit, sic avertat. [1]

**107.** Ex dictis sub nn. 105, 106, simul collatis, evidenter constat errare eos qui existimant finem poenae ecclesiasticae consistere *unice in emendatione* criminosi, cum secundario scopo intimidationis et exemplaritatis, secluso fine vindicativo, seu seclusa omni idea reactionis contra ordinis pu-

[1] Hinc abundant textus qui hunc specialem adspectum (emendativum) systematis poenalis Ecclesiae extollunt, quin tamen ullimode obstent primo et fundamentali adspectui (restaurativo ordinis socialis); de quo, ubi siletur, dicendum est ipsum supponi, non excludi silentio. Igitur non videtur cur, ex eo quod poenae Ecclesia saepissime dicantur *salubres,* concludatur: ergo finis poenarum in Ecclesia est emendativus quidem, minime vero vindicativus et restaurativus ordinis socialis.

http://www.obrascatolicas.com

blici laesionem per delictum inductam. Quem quidem conceptum procurandi bonum individuale, in poenarum irrogatione, et non iam bonum sociale, saltem aeque principaliter ac illud, ita nonnulli exaggerarunt, ut poenam canonicam considerarent non tamquam *malum inflictum delinquenti*, sed potius tamquam *beneficium* ipsi collatum, in quantum consideratur tantummodo poena ut medium quod reis praebetur ad sese emendandos. [1]

Ceterum, duplex finis poenarum ecclesiasticarum primarius, vindicatívus videlicet simul cum emendativo, manifestatur vel in ipsa definitione poenae ecclesiasticae, quae in Codice (can. 2215) dicitur « privatio alicuius boni *ad delinquentis correctionem* et *delicti punitionem* a legitima auctoritate inflicta »; itemque divisio poenarum ecclesiasticarum, in *medicinales et vindicativas* (can. 2216), expresse ostendit, in nonnullis poenis, Ecclesiam potius punitionem attendere ac boni communis defensionem, [2] quam insistere in quaerenda emendatione rei, quae forte iam praecessit applicationi poenae, aut statim secutura praevidetur.

**108. Coactionis usus, mensura ac limites in Ecclesia.** – I. Saepe fit difficultas contra ius cogendi Ecclesiae, quod reprehenditur quasi alienum ab indole et spiritu evangelico, itemque ut contrarium ipsi fini Ecclesiae. [3]

1. Iamvero, si de spiritu evangelico sit sermo, dici-

[1] Schulte, Geib, Bar, Meurer, etc. de quibus cfr. Wernz, *Ius Decretalium*, Prati, 1913, vol. VI, n. 73, III, p. 82; Schiappoli, loc. cit.; Roberti, *De delictis et poenis*, vol. I, pars I, n. 32 ss., p. 45 ss. et pars II, n. 220 ss.; p. 246 ss.; Chelodi-Dalpiaz, ed. II, 1935, n. 18.

[2] V. g. S. Augustinus (*ep. 185 ad Bonifac.*, n. 32, M. L., 33, 807): « Quis enim nostrum velit non solum aliquem illorum perire, verum etiam aliquid perdere? Sed si aliter non meruit pacem habere domus David, nisi Absalon filius eius, in bello contra patrem gerebat, extinctus fuisset... sic ergo catholica mater... si aliquorum perditione ceteros tam multos colligit... dolorem materni cordis lenit et sanat tantorum liberatione populorum ».

[3] Solent adduci textus Lc. IX, 54-56; XXII, 25; *II Tim.*, IV, 2.



mus illum servari etiam in poenis irrogandis et in ceteris mediis coactivis. Porro, misericordiam esse primam regulam agendi et gubernandi, a pastoribus Ecclesiae servandam sicut Christus verbis et exemplo docuit, tamquam certissimum semper habitum fuit atque in praxi servatum: neque enim plus aequo insistendum est in exceptionabilibus quibusdam factis temporum difficultate explicandis: at ubi severitas adhibenda fuit, quia opportuna aut necessaria, ipse Christus ad eam adhibendam Ecclesiam suam informavit, cum v. g. flagellis negotiatores de templo eiecit, vel acriter coram multitudine phariseos improbavit ac infamia affecit, cumque apostolos docuit contra contumaces censura divina uti. [1] In ipsa vero coactione exercenda, pro tuitione disciplinae, Ecclesia utitur ea benignitate qua instructa est a suo Divino Conditore: ut videlicet, peccata persequens, peccatorum misereatur, iuxta illud Augustini: [2] « Duo ista nomina quum dicimus "*homo peccator*" non utique frustra dicuntur. Quia peccator est, corripe: quia homo, miserere. Nec omnino liberabis hominem, nisi eum persecutus fueris peccatorem. Huic officio omnis invigilet disciplina, sicut cuique regenti apta et accommodata est, non solum episcopo regenti plebem suam, sed etiam pauperi regenti domum suam, diviti regenti familiam suam, marito regenti coniugem suam, patri regenti prolem suam, iudici regenti provinciam suam, regi regenti gentem suam ». Et postea addit: « *Ita nulli homini claudenda est misericordia, nulli peccatori impunitas relaxanda est.* [3]

2. Quod vero dicant usum coactionis esse contra finem Ecclesiae, eo quod salus aeterna tantum libere obtineri possit, rem asserunt quae vel in aequivoco fundatur vel ni-

[1] Io., II, 15; Mt., XXIII, 13 ss.; Mc., XII, 38 ss.; Lc., ar ss.

[2] Vid. c. 35, C. XIII, q. 4 (M. L. 187, col. 1195).

[3] Cfr. integer can. 2214.

http://www.obrascatolicas.com

titur falsis suppositis, seu principiis libertatis conscientiae, in quantum quilibet homo liber esset relinquendus cogitandi, loquendi et docendi etiam erronea et perversa, itemque ad bonum spirituale nullus esset impellendus nisi suasionibus, consiliis et instructionibus, licet idem in ea societate sit legitime receptus quae nonnisi *ut subditos* intendat in se novos inserere asseclas.

**109.** II. Verum si in omni societate usus coactionis maxima regi debet prudentia et limitatione (cfr. supra n. praec.), in Ecclesia specialem profecto requirit circumspectionem, praesertim ubi agitur de poenis infligendis; cum enim emendatio et salus ipsius rei procuranda maximum momentum habeant in Ecclesiae systemate poenali, id potissimum in **selectione et proportione poenarum** prae oculis habebit omnis ecclesiasticus rector, quod non solum bono sociali, sed et bono individuali conducere debet.

Quare 1° sunt tempora vel circumstantiae in quibus a nonnullis poenis abstinendum est quia potius in destructionem quam in aedificationem, his in rerum adiunctis, essent; 2° opportune systema poenale Ecclesiae conciliat exigentias definiti iuris cum possibilitate fruendi discretione ac prudenti arbitrio iudicis.

1. Ad primum igitur quod spectat, notamus poenas temporales ab Ecclesia hodie esse ad minimum reductas: nostris enim diebus plerumque poenarum temporalium, earum praesertim quae brachii saecularis requirerent ministerium, applicatio practice non in omnibus locis absque difficultate haberi posset, eo quod res publica vim armatam in auxilium Ecclesiae denegat, et usum vis materialis, a sacris pastoribus contra fideles delinquentes adhibitae, punit ut libertatis individualis laesiones. [1] Ceterum,

[1] Cfr. v. g. art. 31, *leg. gall. separationis*, 9 dec. 1905. Item dic de illis nationibus, in quibus viget plene separatio aut etiam aperta persecutio ut est in Russia, in Mexico et in omnibus aliis regionibus quae sub dominatione communistica hodie sunt. Contra, aliquibus in locis concordata quamdam



etsi civilis societatis aequior esset erga auctoritates ecclesiasticas dispositio, tamen talis est hodie rerum condicio ut alias poenas, potius quam temporales, Ecclesia opportuniores existimet. Hinc Ecclesia ab huiusmodi poenis temporalibus, quantum possibile est, abstinet: at, ex non-usu minime licet concludere pro denegatione ipsius iuris. Ceterum nonnullae poenae temporales, quarum facilior et opportunior est applicatio, in usu adhuc sunt: v. g. mulctae pecuniariae (can. 2297) et pro clericis v. g. privatio beneficii, obligatio vel prohibitio commorandi in certo loco.

2. Ad secundum vero animadvertimus esse notam propriam iuris poenalis canonici quod iudices ecclesiastici uti possint quadam libertate in poenis irrogandis. *Principium* quidem est iudicem posse « solummodo poenas, legitime statutas, ad normam iuris applicare » (can. 2220): at prae oculis heic habendum est *a*) episcopos aliosque Ordinarios, nedum iudiciali sed et legifera potestate munitos, posse « legi vel praecepto poenas adnectere »; *b*) ipsos canones saepe relinquere arbitrio iudicis determinationem poenae; [1] *c*) quandoque poenam, in iure determinatam, verbis facultativis esse expressam ideoque iudicem tum posse, si id ex circumstantiis expedierit, eam mitigare, aut etiam commutare poenitentiis seu remediis poenalibus. [2]

## CAPUT II

### DE IURE ECCLESIAE GUBERNATIVO

**110.** Quoniam de iis quae pertinent ad personarum sive physicarum sive moralium ecclesiasticum regimen fuse agunt qui operam navant commentario Codicis iuris canonici, in quo sane plurima continentur quae ad ius publicum internum Ecclesiae spectant, ea dumtaxat heic tangimus quae sub aliquo speciali titulo sunt prae oculis ponenda, pro tuendis Ecclesiae iuribus in relationibus suis externis, coram aliis potestatibus.

civilis vis adsistentiam spondent pro efficaci ecclesiasticarum sententiarum executione; cfr. *Concord. cum Lithuania*, art. IV, *Tract. Lateran.*, art. 23 et *Concord. Lateran.*, art. 29 *i.*, *Concord. Hispanicum*, art. 17.

[1] Vide v. g. canones 2222 § 1°, 1, 2317, 2322, 2323, 2325, etc.

[2] Chelodi-Dalpiaz. op. cit., n. 21, p. 23 sq. Wernz, *Ius Decretalium*, Prati, 1913, vol. VI, n. 61, p. 70; Kahn, op. cit., p. 154 ss.

http://www.obrascatolicas.com

Hodie enim civitatum rectores alte quidem proclamant se liberam velle relinquere Ecclesiam in regimine eorum fidelium qui eius potestati ultro subesse volunt: verum multa obstacula de facto Ecclesiae libero regimini iniciunt, praesertim ubi agitur de agnitione iurium illorum *institutorum religiosorum* aut *operum piorum* quae ab Ecclesia legitime eriguntur et in personam moralem constituuntur pro faciliore consecutione sui finis. Item multis laqueis vellent civitatum rectores Ecclesiam ligare in provisionibus quas ipsa statuere debet pro sui organizatione personali et territoriali praesertim in *selectione pastorum*. Heic igitur agemus: 1° de personarum moralium regimine; 2° de immunitatibus ecclesiasticis.

## Articulus I

### De personarum moralium regimine

**111. Interesse sociale Ecclesiae circa religiosas familias.** – Ius et officium Ecclesiae est dirigendi nedum omnes homines sibi subditos ad sanctificationem consequendam urgendo *praecepta* ab omnibus servanda, sed et fovendi religiosam vitam eorum fidelium qui propositam sibi habent assecutionem christianae perfectionis, praesertim *consiliorum* evangelicorum praxi, per observantiam trium votorum paupertatis voluntariae, castitatis et oboedientiae perpetuae. [1]

Porro vota religiosa possunt esse nedum privata sed et publica, [2] idest emissa in facie Ecclesiae et ab eadem admissa et recognita; et quia haec vota publica ex una parte facilius servantur si in religiosis communitatibus coëunt ii qui eadem nuncupare volunt, ex altera vero parte ipsas

[1] S. Thom., I, II, q. 109, a. 4 in c., et I, II, q. 108, n. 4 in c.

[2] « Votum est *publicum*, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur; secus *privatum* »; can. 1308, § 1.



religiosas consociationes fecundas reddunt uberibus fructibus sanctitatis, simulque publicae utilitatis, [1] sequitur haec omnia specialium iurium fontem esse quibus Ecclesia providet certo regimini societatum religiosarum et publicae votorum nuncupationi.

Quodsi hanc Ecclesiae curam expetunt ea Instituta in quibus vita religiosa in communi agitur, eo vel magis canonicae cautiones adhibendae sunt pro iis Institutis, quae recentioribus annis exorta sunt ob novas temporum rerumque exigentias, prout optime provisum fuit per Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia*. [2]

Equidem interesse et competentia Ecclesiae moderandi, libere et independenter, omnia quae ad publicam votorum professionem in societatibus religiosis spectant, sequitur tamquam legitimum et immediatum consectarium ex iure Ecclesiae libere et independenter curandi bonum spirituale, tum individuale tum sociale, christianae communitatis.

Quod enim rite profiteantur et observentur publica vota in ordinibus religiosis bene constitutis, id 1° iuvat ipsos individuos profitentes, cum ita fiant sub vigilantia societatis, ideoque cautius procedant, et difficilius a susceptis propositis discedant; 2° universam societatem iuvat, quia eam aedificat.

Ecclesiae igitur ex sui natura et fine competit vota suscipere fidelium, eadem moderari ut debite emittantur ac emissa debite serventur, itemque publicos effectus declarare vel statuere ipsorum votorum, ac demum ingressum in religiosas societates, ubi eadem emittuntur, curare ac dirigere. [3]

**112. Ecclesiae ius exclusivum approbandi, moderandi ac supprimendi religiosas familias.** – Quia maxime interest Ecclesiae vigere in omnium aestimatione ordines congregatio-

[1] Schaefer, *De Religiosis*, Romae, 1940, p. 32 ss.

[2] *A. A. S.*, vol. XXXIX, p. 114 ss.

[3] Cavagnis, *Inst. iur. publ. eccl.*, Romae, 1906, vol. III, n. 325 ss., p. 178.



http://www.corascatolicas.com

nesque religiosas, ut sint vere utiles ipsis individuis profitentibus ac voventibus, itemque iuvent integram societatem tum virtutis exemplo, tum doctrina varia, fructuosoque labore, uni dumtaxat Ecclesiae quae est constituta magistra et dux ad sanctitatem, cum *mediis supernaturalibus* necessariis, competit aestimare quibus sub normis et quibus condicionibus possit aliqua erigi religiosa familia; haec enim instituitur pro *fine religioso*, igitur iure ab Ecclesia instituitur ac personalitatem suscipit ut subiectum iuris possit existere; item, in activitate sua pro fine religioso a societate perfecta homogenea, idest ab Ecclesia, unice pendet.

Hinc iure canonico, non autem civili, praescribi debent condiciones ad canonicam religiosi instituti *erectionem;* item ab Ecclesia dumtaxat approbari debent *regulae* religiosae societatis, *aetas* praefiniri admittendorum, *probationis* tempus determinari praemittendum professioni, *vestes* deferendae, sicut clericis, ita religiosis praescribi, ipsorumque regimen ordinari.

Quoniam vero quaelibet societas auctoritative dissolvi potest per actum eius qui ipsam instituit, vel superioris eius, sequitur solum Ecclesiam competentem esse ad definiendum an ordines vel congregationes ipsae adhuc utiles sint pro perfectione cuiusque professi, an defecerint a suo scopo, an adversentur, sive per se sive per accidens, bono integrae societatis ecclesiasticae, et consequenter an dissolvendae sint. Tunc, ut patet, de earundem bonis temporalibus disponit ipsa Ecclesia: cum enim sint, generice inspecta, pro scopo religioso, deficiente fine specifico seu ordinis aut congregationis, manet tamen finis genericus, ideoque devolvuntur societati quae generice curat scopum religiosum, nisi obstet specialis fundatorum seu donantium voluntas.

**113. Officia Civitatum erga ordines congregationesque religiosas.** – Si Status vere ecclesiastici regiminis vult libertatem vereri, ut saepe conclamant qui civitatibus praesunt, nullam debet difficultatem opponere ut vita ordinum et congregationum religiosarum ita explicari possit ut ab Ecclesia pro fine spirituali ordinatur; secus Status dicendus est intolerans, et impediens eam libertatem actionis qua Ecclesia legitime a Christo donata est pro religiosa hominum directione.



Neque sane « praetextus » ullus haberi potest, quasi huiusmodi instituta noxia sint civili societati: quin etiam omni tempore ordinum religiosorum vita et operatio maximae fuit utilitati etiam civili hominum consortio.

Anteactis quidem temporibus cum Status reverebatur *ius naturale,* permittens civibus ut ii seligerent illud vitae genus quod maluissent et conformius existimassent intimo suae conscientiae dictamini et desiderio procurandi suam moralem perfectionem, libere exorta sunt instituta religiosa quibus ea saltem iura civilia publice agnita sunt quae honestae et innocuae cuivis civium consociationi non sunt deneganda.

Quod vero plurimum iis religiosis familiis debeat civilis hominum societas, patet ex eo quod eaedem *et* sanctitate morum ad recte faciendum incitare animos multitudinis consueverint, *et* doctrinae copia sacras profanasque scientias illustrare, *item* locupletare haud destiterint omnium optimarum artium patrimonium. Nec satis: ipsis adiutoribus omni tempore gavisa est multitudo ingens egenorum, pupillorum ac miserorum, quibus unice solatio fuerunt religiosa caritatis instituta, praesertim aegrotis, orphanis, senibusque destinata; *demum* in agris incultis excolendis, in populorum barbarorum moribus animisque emolliendis, aliisque operibus quibus sacrificii et pietatis missionariorum refulsit heroismus, innumeros procuravit vita religiosorum civili societati mansuros fructus. [1]

**114.** Quae cum ita sint, nil turpius, nil scelestius quam in tam eximios viros, in dictis religiosis societatibus viventes, vim acuere legum ea dumtaxat de causa quod vota nun-

[1] Leonis XIII, Ep. Encycl. *Au milieu,* 23 dec. 1900; eiusdem Ep. Encycl. *Caritatis providentiaeque Nostrae,* ad episcopos polonos, 19 martii 1894. Schaefer, op. cit., p. 35 ss., p. 41 ss.

http://www.obrascatolicas.com

cupent et habitum deferant religionis suae vere decorum et tam munificis gestis honestatum. Neque enim aliae sunt causae propter quas bellum ipsis indicitur, quam illae quae ad odium religionis referuntur.

1. Improbatur quidem ipsis *divitiarum copia* commercio subtracta, et infructuose possessa: verum quidquid sit de exaggeratis et penitus falsis notitiis circa religiosorum divitias, denegari nequit ipsos honeste et legitime bona sua acquisivisse et possidere; ceterum fructus, qui inde percipiuntur, in operibus religionis, caritatis, instructionis et beneficentiae impenduntur.

2. Adductus fuit quoque praetextus *inutilitatis* quorumdam institutorum quae contemplationi aut magisterio unice vacant, admissa e contra utilitate congregationum caritatis et missionariorum. Sed qui negant utilitatem institutorum educationis vel contemplationis, quae in Ecclesia florent, dum e contra gaudere volunt emolumentis quae societati obveniunt ex gestis missionariorum vel sodalium institutorum caritatis, non cogitant existentiam et activitatem horum institutorum arcte esse connexam cum vita et activitate illorum: equidem vocationis germen, ad missiones vel ad opera religiosae caritatis suscipienda, saepissime religiosorum praedicatione excitatur, educatione succrescit, ipsorumque precibus meritisque corroboratur ac fructificat. Ceterum, vera ratio cur politici infensi sint institutis religiosis educationis, est quia monopolium scholae Statui volunt addicere, ad triumphum laicismi.

3. Sed dicunt Statum non impedire vitam religiosam: at ius illi esse condiciones ponendi, sicut in ceteris casibus, ut quis in ordine civili habeatur persona moralis, subiectum videlicet iurium civilium. Ecclesia quidem, dicunt, erigat personam moralem ecclesiasticam, iurium ecclesiasticorum subiectum; ad Statum vero pertinet personam moralem *civilem* creare, subiectum iurium civilium, cui nempe iura temporalia agnoscantur, v. g. acquirendi, possidendi, standi in iudicio, etc. Verum, haec iura inhaerent personae morali, etiam quae condita sit ab Ecclesia: si enim haec, ut societas perfecta, iure proprio et nativo, independenter a quavis humana potestate bona temporalia valet pro finibus suis religiosis acquirere et possidere, hanc



facultatem etiam communicare valet cum societatibus minoribus quas ipsa in se generat.

Quod si Status Ecclesiae perfectionem non agnoscat, tamen, saltem ut revereatur iura religiosorum ut civium, debet eorum consociationibus recognoscere iura personae, saltem iisdem titulis quibus haec recognoscit aliis institutis honestis et beneficis; sed contra, hodie religiosis denegantur etiam beneficia iuris communis, et speciales conduntur leges restrictivae vel etiam prohibitivae,[1] quas solum pro suspectis vel pro hostibus patriae constituere fas est.

## Articulus II

### De immunitatibus ecclesiasticis

**115. Notio et divisio.** – Immunitas vi vocis significat exemptionem a munere seu ab onere communi, et in iure publico ecclesiastico de ea agitur in quantum refertur ad onera quaedam *civilia*. Definitur vero: « *ius quo loca, res et personae sacrae a quibusdam oneribus et servitiis saecularibus eximuntur* ».

Ut verus conceptus immunitatis ecclesiasticae habeatur, oportet intelligatur de exemptione non iam universim, sed

---

[1] Meystowicz (*La Religion dans les Constitutions des Etats modernes* Roma, 1938, cap. XIX et XXI, pag. 65 et ss.) in legibus constitutionalibus hodiernis triplicem distinguit legum civilium tendentiam: 1° *interdicendi* seu *impediendi* ortum vel introitum Religiosarum Familiarum (vel quarumdam dumtaxat, v. g. Societ. Iesu); 2° submittendi Congregationes Religiosas restrictionibus et limitationibus agendi; 3° tuendi plenam exsistendi et agendi libertatem. Etiam in Gallia leges sic dictae « laicae » privant religiosos pluribus iuribus quae ipsis, saltem qua civibus, plene competerent ad normam aequalitatis iurium inter cives, in Gallia tam alte proclamatae.

Concordata vero fere omnia non omittunt ea statuere quae religiosis Institutis condendis vel regendis iura et libertates Ecclesiae, quantum fieri potest, tuentur. Ottaviani, *Institutiones*, ed. III, Romae, 1948, vol. II, p. 353-415, ubi de legibus civilibus et concordatariis plurium Civitatum. Exemplo sit novissimum *Concordatum Hispanicum*, art. IV.

http://www.corascatolicas.com

a gravaminibus, ab officiis et servitiis in materia civili positive determinatis, vel a iurisdictione saeculari, pariter *in materia civili,* relate ad certas personas.

Ex definitione colligitur ratio divisionis immunitatum ecclesiasticarum in *personales, reales,* et *locales.*

*Personales* sunt illae vi quarum personae ecclesiasticae liberae sunt tum a iurisdictione iudicum civilium (privilegium fori), tum a servitio militari, aliisque officis et oneribus civilibus a statu clericali alienis. *Reales* consistunt in exemptione rerum ecclesiasticarum a quibusvis vectigalibus seu tributis, quae vi communium legum civilium rebus temporalibus imponuntur. *Locales* consistunt in iure quo loca sacra liberantur ab actibus profanis, itemque in iure asyli.

I. **Immunitas personalis:** 1° *clericorum a iurisdictione laicali* intelligi debet pro clericorum exemptione a laicali iurisdictione sensu stricto, seu a potestate iudiciali et coactiva magistratuum saecularium; non pro cleri exemptione ab omnibus legibus civilibus.

Heic sane distingui debet inter officium iuridicum clericorum observandi leges civiles iustas, et potestatem iudicandi et cogendi eos ad easdem leges servandas. Profecto, quod clerici teneantur observare leges civiles iustas, sicut ceteri cives, nisi agatur de iis legibus circa quas peculiariter versentur ipsorum immunitates, dubitari nequit: sunt enim et ipsi *cives,* quos societas civilis adiuvat et dirigit, mediis obligatorie propositis per leges, ut communi impulsione, sicut cetera membra societatis, ad plenam vitae sufficientiam habendam ducantur; neque ratio sufficiens datur cur debeant ab obligationibus ad hunc finem impositis penitus existimari soluti. Aliud vero est quod a potestate iudiciali et coactiva societatis civilis iidem iudicentur et cogantur ut legibus pareant: tunc in contrarium sunt rationes eaedem adductae ubi de privilegio fori; et ut in officio clerici contineantur, Ecclesia, non vero Status debet providere.

2° *Clericorum exemptio ob oneribus et servitiis publicis,* intelligitur non de omnibus omnino muneribus sive personalibus sive realibus, sed de illis dumtaxat oneribus vel servitiis quae



aut in se dedecora sunt, aut statui clericali non convenientia, licet etiam in se honorifica, ut v. g. officia iurati, iudicis in causis profanis, tutela et cura, etc. [1]

Speciatim haec immunitas respicit exemptionem *a servitio militari,* quod cum omnino dedeceat lenitati et dignitati clericorum, nedum coacte, vi obligationis civilis, sed nec etiam sponte adiri potest. Unde Ecclesia sua iura vindicare, nostris quoque diebus, haud destitit ut ab hoc onere clericos liberaret. [2]

3° *Privilegium competentiae* potius quam rationem exemptionis, speciem induit alicuius favoris clericis concessi ad ipsorum tuendam dignitatem; consistit enim in privilegio vi cuius clerici aere alieno gravati nequeunt obligari eis bonis cedere aut

---

[1] Cfr. can. 121. Loquimur de exemptione a publicis muneribus honorificis hoc sensu: quod clerici ad ea obeunda obligari legibus civilibus nequeant, sed, si opportunum iudicetur, superiorum arbitrio, iisdem publicis muneribus operam dare, clerici libere possunt. Cfr. v. g. can. 139, § 3 et 4. Hinc AICHNER, *Compend. iur. eccl.,* Brixinae, 1900, p. 255, de accipiendo mandato politico eligentium, utique ex Ordinarii venia, ait: « Hoc tunc maxime procedit ubi in Statu, in quo viget constitutio repraesentativa, agitur de viris eligendis et mittendis ad comitia publica. Maximi enim interest, ut etiam clerici his comitiis intersint, in quibus saepe quaestiones ecclesiasticae summi momenti agitantur ». Immo hodie nedum habentur in publicis comitiis sacerdotes deputati (v. g. in Hollandia, in Gallia, in Hungaria, in Iugoslavia, in Slovachia, etc.) sed etiam municipiorum rectores seu syndici, quandoque iidem fiunt. Immo in aliquibus locis statuitur ut ipsi episcopi ex lege constitutionali vel alia lege civili in Senatorum conventu locum ipso iure habeant. Cfr. v. g. art. 10, Conc. cum *Romania.*

[2] Praeter quam in *Italia* (cfr. Conc. 1929, art. 3-4) et *Belgio,* vigebat in *Hungaria,* sub forma quadam temperata, vi Concordati an. 1868 (cfr. edictum 1 ian. 1870); in plerisque Americae Nationibus pariter exempti sunt clerici a servitio militari sine ulla restrictione (in *Columbia,* vi Concordati an. 1887, art. 7). *Conc. cum Polonia* (an. 1925, art. 5), agnita in genere exemptione, edicit in casu « de levée en masse » presbyteros esse adhibendos in cura animarum in exercitu, ceteros vero clericos servitiis sanitariis. Cfr. etiam *Conc. cum Lettonia,* 1922, art. 9; *Concord. cum Lithuania,* 1927, art. 5; *Concord. cum Germania,* 1933, art. 6; *Concord. cum Austria,* 1933, art. 19; *Concord. cum Republica Lusitana,* art. XIV; vid. etiam legem conscriptionis anni 1940 in Stat. Foed. Amer. Sept. Inter Sanctam Sedem et Hispaniam die 5 augusti 1950 conventio magni momenti quoad exemptionem a servitio militari clericorum et religiosorum inita fuit, quae confirmata est in articulo XV *Conc. cum Hispania* diei 27 augusti 1953.

http://www.obrascatolicas.com

reditibus beneficii privari quae ad ipsorum honestam sustentationem, prudenti ecclesiastici iudicis arbitrio, sunt necessaria.

Privilegium istud competentiae in praxi introductum fuit ex analogia cum dispositione iuris romani in favorem militum: ita enim interpretatum est cap. *Odoardus* (quod, per se, solum ab excommunicatione defendebat clericos obaeratos), ut etiam a carcere et a privatione bonorum quae necessaria sunt ad honestam sustentationem securi essent. Hoc maxime suadebat opportunitas clericalis dignitatis tuendae, ne videlicet clericus debitor, cum dedecore sui status, emendicare cogeretur; et haec est ratio propter quam hodie adhuc in Codice iuris canonici retinetur (can. 122).

II. **Immunitas localis** comprehendit: 1° *exemptionem ab actibus profanis,* pro reverentia et sanctitate locorum sacrorum, in quibus ipsa lex naturalis et positiva divina prohibet quominus illi actus ibi fiant qui nonnisi cum dedecore maiestatis et sanctitatis eorumdem locorum fieri possunt.[1] Quae exemptio insuper, lege Ecclesiae ita extensa est ut ii quoque actus prohiberentur in ecclesiis qui, licet de se honesti sint aut non repugnantes cum loci sanctitate, minus tamen congruunt, et periculum abusus inducunt. Sunt igitur arcendi ab ecclesiis actus non modo illiciti, sed etiam simpliciter profani, quales sunt negotiationes, comitia civilia (non autem conventus catholicorum, si permittat Episcopus), ludi theatrales, choreae, etc.[2] Similiter piaculum est vasa liturgica et sacram ecclesiarum supellectilem in usus profanos adhibere.

2° *Ius asyli,* est alterum immunitatis localis ius, quod profluit tum ex ipsa veneratione ecclesiis debita, tum ex earundem exemptione a iurisdictione civili (can. 1160). Iure asyli debitores et rei criminum ad Ecclesiam confugientes, tuti semper habiti fuere, ita ut inde eos avellere civiles magistratus non auderent. Reis autem graviorum criminum ius asyli non favebat, quia e locis sacris extrahi poterant ex episcopi venia.

---

[1] Cfr. v. g. Matth., XXI, 12-13; Ioan., II, 15; Is. LVI, 7.

[2] Vid. c. 1179; *Concord. cum Italia,* 1929, art. 9-10; *Concord. cum Lettonia,* 1922, art. 14-15; *Concord. cum Polonia,* 1925, art. 6; *Concord. cum Lithuania,* 1927, art. 6; *Concord. cum Hispania,* art. XXI.



Profecto in novissimis concordatis et in Codice iuris canonici tantum ad substantialia haec immunitas reducta est.[1]

III. **Immunitas realis,** qua Ecclesiae res eximuntur a vectigalibus lege civili statutis, non est aliud quam quidam adspectus iuris nativi Ecclesiae possidendi et administrandi independenter a qualibet humana potestate bona sua temporalia. Nam, ut mox videbimus (n. 120 ss.), res quae in dominio Ecclesiae sunt, iure perfectae societatis habentur ideoque circa eadem nihil valet exigere alterius societatis potestas.

Sed citius quam aliae immunitates haec exemptio coepta est impugnari; et quamvis Conc. Tridentinum, Urbanus VIII aliique Pontifices curaverint omni ope ipsam servare in suo vigore, iam saeculo elapso in pluribus concordatis Ecclesia de iure suo aliquid in favorem Status remittere coacta est, vel penitus eidem renuntiare. Quod si nunc Status libere potest vectigalia rebus Ecclesiae imponere, id de facto praestare potest ex concessione Ecclesiae, quae non urget ius suum, dum immunitas *iure* perseverat: quod sane, si non est expresse sancitum in Codice, ex pluribus tamen eius actis deducitur.[2]

**116. Quaestio iuridica de origine immunitatum.** – Quaeritur quo iure constitutae sint immunitates: utrum iure civili, sicut contendunt iurisdictionalistae et statolatrae omnis generis, an potius iure divino aut saltem ecclesiastico.

---

[1] Can. 1179, in quo *ius asyli* limitatur ad *ecclesias*, et facultas datur etiam ecclesiae rectori permissionis dandae ut inde extrahantur rei. Hinc iam ante Codicem promulgatum, AA. decr. S. Off., 22 dec. 1880, urgens immunitatem hanc *quoad substantiam,* ita interpretabantur, ex consuetudine et ex concordatis, ut excluderetur omnis extensio quoad *loca* et *formalitates* accidentales. Wernz, op. cit., t. III, P. II, n. 448, p. 98; Hinschius, op. cit., IV, p. 387 s.; Bargilliat, op. cit., n. 1284. Cfr. *Conc. Austriae,* an. 1855, art. 16; *Conc. Reip. Equator,* an. 1862, art. 10. Videtur tamen ecclesiis adhuc esse aequiparanda coemeteria: cfr. *Conc. Lettoniae,* an. 1922, art. 15; *Conc. Polon.,* an. 1925, art. 6; *Conc. cum Lithuania,* an. 1927, art. 6.

[2] Can. 1495, 1499, 1518; item cfr. *Concord. cum Lettonia,* anni 1922, art. 16; *Concord. Polonicum,* an. 1925, art. 15; *Concord. cum Lithuania,* an. 1927, art. 16; *Concord. Italic.,* an. 1929, art. 29, *h; Concord. Austriacum,* an. 1933, art. 13, § 4; cum *Lusitania,* an. 1940, art. 8; cum *Hispania,* art. 20.

http://www.obrascatolicas.com

I. Profecto ut penitus falsa reiicienda est eorum opinio qui asserunt *iure civili* seu concessionibus Principum *omnes* immunitates ecclesiasticas ortum habuisse, ac proinde penes ipsum Statum ius esse eas moderandi aut abrogandi, si opportunum id videatur, ut modernis placitis de aequalitate omnium civium mos geratur, atque eo modo imperium geratur quod hodierna de civitatibus regendis sapientia postulat.

Haec sane opinio: 1° manifeste et directe pugnat cum iis quae de perfectione, iuribus et potestate Ecclesiae hucusque exposuimus; 2° contradicit historicae origini plurium immunitatum; 3° contraria est iis quae ex infallibili Ecclesiae magisterio ab omnibus catholicis tamquam certa habenda sunt (n. 118 s.).

Hinc Pius IX sequentem propositionem damnavit: « Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit ». [1]

Equidem plurimae immunitates sunt formae quaedam quibus explicatur liberum et plene independens ius Ecclesiae circa res sacras et loca cultui destinata. Ad historiam vero quod attinet considerandum est plurimas immunitates, fundatas in ipsa reverentia quae erga sacra insita est humanae naturae, moribus omnium populorum prius quam legibus civilibus fuisse usu receptas: principum leges, vero, potius quam privilegia largiri, iura Ecclesiae recognoscere dicendae sunt, [2] paucis quidem exceptis quae vere largitates Status constituebant in favorem clericorum.

[1] *Syll.*, prop. 30. DENZ., 1730; vid. etiam prop. 31 et 32; Breve *Multiplices inter*, 10 iun. 1851.

[2] Ex tenore legum a primis imperatoribus christianis latarum circa immunitates apparet eos rem ut debitam Ecclesiae considerasse. Cfr. Constantini constitutionem, ex Cod. Theod. apud CAVAGNIS, loc. cit., n. 176*, p. 333; item leg. 7 et 26 Cod. Theod., *de episc. et cler.*, tit. III. Quod si aliquando Ecclesia provocavit ad leges civiles, id vel fecit contra iudices civiles inferiores, vel historiae causa.



Obiicitur quidem exemptionem ab iis quae Status constituit nonnisi a Statu posse concedi, quia membra duplicis societatis servare debent utriusque societatis leges, ut in sacris litteris docetur, [1] neque altera societas ab obligationibus alterius societatis suos expedire valet. Verum respondendum est: *a*) ea non esse Caesari tribuenda quae sine detrimento servitii Dei praestari nequeunt; *b*) subiectionem christianorum omni potestati esse exhibendam salva reverentia sacris debita et cum limitibus quos ob necessitates finis spiritualis aut ratio aut lex superior dictat; *c*) immunitates a lege societatis inferioris posse constitui lege positiva societatis superioris in quantum haec disponat de rebus ad finem suum necessariis vel utilibus.

**117.** II. Nonnulli auctores e contra in aliam extremam declinaverunt sententiam asserentes omnes exemptiones a **iure divino** esse, vel naturali vel positivo. [2] Id sane probare contendunt 1° ex consensione unanimi omnium populorum in agnoscendis immunitatibus, 2° ex Sacris Scripturis, necnon rationibus quae Patrum auctoritate et documentis ecclesiasticis confirmantur (vid. num. seq.).

Enimvero dicunt 1° apud omnes gentes, tum barbaras tum christianas, personarum, locorum ac rerum sacrarum immunitates fuisse receptas, quod in ethnicis ostendit sensum naturalem divinitus inditum, dum in Ecclesia universalis et constans consensus ius divinum certe ostendere solet. Sed respondent alii, quibus haec sententia non placet, factum universale populorum probare quidem maximam rei convenientiam, eamque fundamentum habere in ipsa rerum natura, sed non probare strictum ius. [3]

2° Appellant ad verba Domini, ex *Matth.*, XVII, 25 ubi Chri-

[1] MATTH., XXII, 21; *Rom.*, XIII, 7; *I Petr.*, II, 13.

[2] Ampliora videas in SOGLIA, *Inst. iur. eccl.*, Neapoli, 1860, t. I, § 58, p. 296; SUAREZ, lib. IV, c. 8 et 13; AICHNER, op. cit., § 70, n. 240 ss. — De his cfr. REIFFENSTUEL., op. cit., III, t. 49; WERNZ, *Ius Decretalium*, Romae, 1908, t. III, P. I, n. 146, p. 167 ss.; t. III, P. II, n. 446, p. 93; MAROTO, *Inst. iur. can.*, Romae, 1921, n. 512 *b*), p. 598.

[3] CAVAGNIS, *Instit. iur. publ. eccl.*, vol. II, n. 165 ss., p. 324 ss.

http://www.obrascatolicas.com

stus dicit Petro didrachma non solvi a filiis: sed ante omnia Christus agebat de semetipso: iamvero Filius Dei non debet solvere tributum pro eis quae ad regnum Patris pertinent. Christus igitur ea verba fecit ut non obscure suam divinitatem proclamaret. Ceterum illum textum non esse ad rem patet ex eo quod didrachma solveretur, ex praecepto Moysis, templo et non potestati civili, [1] hinc etsi teneamus de Apostolis quoque illa fuisse dicta, id tantum sequeretur quod nempe taxae pro cultu a multitudine populi sint solvendae, non ab eis qui in cultu Dei sunt mancipati.

De pluribus autem dictis *canonum* et Ss. Patrum, qui immunitates esse iuris divini expresse affirmant, dicendum est illas expressiones non sensu determinato esse prolatas, pro divina singularum immunitatum immediata institutione, sed sensu indeterminato, pro ultima ratione a qua derivat et qua fundatur potestas ecclesiastica quae valet immunitates constituere. Hoc sensu etiam Conc. Tridentinum inculcat principibus ut « quae ecclesiastici iuris sunt, tamquam Dei praecepta eiusque patrocinio tecta venerentur ». [2]

**118.** III. Sunt igitur qui considerantes non posse admitti, modo absoluto, tamquam titulum iuridicum et causam immunitatum sive ius divinum sive ex adverso ius civile, concludunt immunitates e **iure ecclesiastico** esse repetendas; [3] quod sane confirmant ex variis mutationibus quas, temporum decursu, unice ex tolerantia vel positiva approbatione Ecclesiae, immunitates passae sunt. Sed haec opinio, si modo absoluto proferatur, non potest certe se expedire ab efficacia difficultatum, quae in contrarium opponuntur, ex documentis auctoritatis ecclesiasticae.

Ad rem prae oculis habeantur hi qui sequuntur textus: « Cum igitur — inquit Bonifacius VIII — ecclesiae ecclesiasticaeque

[1] De his omnibus vid. commentarios in S. Scripturas ad hunc locum; v. g. SALES, *La S. Bibbia*, Torino, nova ed. 1940 ss., N. T., vol. I, p. 79.

[2] Conc. Trid., sess. XXV, c. 25, *de ref.*

[3] De his cfr. FERRARIS, *Prompta bibliotheca canonica, iuridica, moralis, theologica*, Romae, 1855-99, art. I, n. 18; WERNZ, *Ius Decretalium*, Romae, 1908, t. II, p. I, n. 167, p. 257 sq.; VECCHIOTTI, *Institutiones Canonicae*, 16 ed., Torino, 1875, II, p. 89 ss.; MAROTO, *Inst. Iur. Can.*, Romae, 1921, n. 512, p. 599.



personae ac res ipsarum *non solum iure humano, sed et divino* a saecularium personarum exactionibus sunt communes, etc. ». [1] Est etiam Concilii Lateranensis V assertio « cum *a iure tam divino quam humano* laici potestas nulla in ecclesiasticas personas tributa sit... », [2] itemque Conc. Tridentinum declaravit « ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus* constitutam ». [3]

**119.** IV. Ut igitur certa ab incertis secernantur et quid sentiendum sit clarius pateat, haec notamus:

1. *Non potest theoria quaedam exclusiva proponi* de unica omnium immunitatum causa iuridica, sed iudicium ferendum est de singulis immunitatibus. Sunt enim quaedam formaliter ex iure civili, v. g. clericorum exemptio a taxis super bonis suis patrimonialibus; [4] quaedam vero, saltem in sua determinatione specifica, ex iure ecclesiastico, v. g. ius asyli; quaedam demum certissime ex iure divino, v. g. immunitas templorum ab usibus profanis.

2. *Nonnulla quae nomine immunitatum venire solent, potius quam conceptum exemptionis exhibent conceptum iuris nativi* Ecclesiae, idest non sunt nisi aut determinationes aut immediate consequentiae iurium quae ex nativa Ecclesiae constitutione in esse societatis perfectae, independentis omnino a Statu, descendunt: v. g. exemptio templorum a iurisdictione civili; et haec omnia ut patet iuris divini sunt, in quantum divina dispositione mediate vel immediate nituntur.

3. In ceteris, immunitates possunt dici *iuris divini* in

[1] Vid. c. 4, *de cens. exaction.*, III, 20, in VI°.

[2] Conc. Lat. V sub Leone X, sess. IX; SOGLIA, *Inst. iur. eccl.*, Neapoli, 1860, t. I, § 58, p. 297.

[3] Sess. XXV, c. 20, *de ref.* Cfr. etiam c. 13, 15, C. XI, q. 1 et c. 11, D. 96.

[4] S. THOM., *Comm. in Epist., ad Rom.*, lect. I, dec. XIII, 6, ubi etiam de aequitate naturali in qua fundatur haec exemptio. Simul tamen haec immunitas fundabatur et legibus ecclesiasticis.

http://www.obrascatolicas.com

quantum *fundamentum* earum est in religiosa dignitate rebus, locis et personis sacris inhaerente, quam dignitatem vereri apud omnes populos ex rerum natura, apud Hebraeos et christianos etiam ex positivis Dei monitis, sanctum ac solemne fuit; item possunt dici iuris divini in quantum Ecclesia *potestate divinitus concessa* pollet haec sibi vindicandi: sed proxima causa iuridica statuens huiusmodi privilegia, rata habet quae lege civili aut consuetudine sponte sunt inducta.

Hinc processit **opinio,** quae hodie merito dici potest **communis inter auctores,** secundum quam immunitates dicuntur *fundamentaliter inniti iure divino, sed proxime* et *immediate iure humano esse statutas.*

Hac autem opinione commode omnia explicantur quae singillatim adducuntur tamquam argumenta aliarum sententiarum: explicatur nempe *cur* potuerit Ecclesia mutationes hac super re inducere: *cur* tamen institutum iuridicum immunitatum quoad substantiam retinuerit; *cur* denique in his immunitatibus proprium ius et auctoritatem exercere censuerit, non aliena iura usurpare.

Hinc patet quo sensu Ecclesia edixerit ecclesiasticas personas et res non solum iure humano, sed et divino immunes esse, vel etiam praedictam immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam esse.

## CAPUT III

### DE POTESTATE ADMINISTRATIVA ECCLESIAE

#### ARTICULUS I

#### Ius proprietatis bonorum ecclesiasticorum

**120.** Ius Ecclesiae circa bona sua temporalia enunciatur in Codicis canone 1495 § 1, his verbis quae ad modum thesis a nobis poni possunt: « *Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum ius habent libere et independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos* ». Idem ius vero vindicatur, in § 2 eiusdem canonis, pro ecclesiis singularibus aliisque personis moralibus quae ab ecclesiastica auctoritate in iuridicam personam erectae sint.



Ius autem Ecclesiae probatur:

I. **Ex iure naturali.** – Cuivis namque societati honestae et utili, ideoque et Ecclesiae, ius est acquirendi et utendi adiumentis seu mediis licitis quae ad vitam actionemque suam necessaria sunt. Iamvero Ecclesiae non minus quam cuilibet consociationi hominum necessitas est bonorum temporalium quoque, ad hoc ut agere possit tamquam societas *externa* et *visibilis,* ac finem suum efficaciter prosequi valeat. Igitur ius est eidem acquirendi bona temporalia eisque utendi ad fines sibi proprios prosequendos. [1]

Quod omni societati honestae et utili ius competat adquirendi et possidendi bona temporalia sibi necessaria, evidens est; secus sumptus fieri minime possent ad onera sustinenda quibus societas communi utilitati, imo etiam publicae, consulat. Ius possidendi oritur ex iure quod alicui competit ut existat et sese conservet: igitur ens quodlibet, sive physicum sive morale, secundum quod habet, vel non, verum ius existendi et se conservandi, habet consequenter, vel non, ius possidendi. Licet autem hodiernis civilium legislationum principiis adquiesceremus, ad quorum normam illae dumtaxat personae morales subiectum iuris habeantur quae auctoritate Status erectae vel recognitae sint,

---

[1] Hoc argumento non resultat quidem Ecclesiae ius liberum et independens esse a civili potestate: quia de Ecclesia nunc agimus utendo criteriis pure naturalibus, ut argumentum efficax sit etiam coram illis atheis qui saltem admittunt Ecclesiam esse societatem honestam et utilem bono publico. Profecto ex titulis historicis et *tamquam res facti,* praescindendo a revelatione, etiam *specialis status iuridicus Ecclesiae* coram qualibet Republica vindicari potest, ut ius eius acquirendi et possidendi, liberum et independens esse agnoscatur. Vide supra, p. 100 ss.

http://www.obrascatolicas.com

tamen semper maneret in Statu officium recognoscendi hanc iuridicam personalitatem honestis et utilibus consociationibus: secus iniuria ageret.

Igitur civitatum rectores, nisi velint Ecclesiam in viliori aestimatione habere, quam societates ludicras aut etiam histrionum, quibus facile haec iura addicuntur, debent ius possidendi ipsi Ecclesiae agnoscere. [1]

*Neque dicatur* societatem spiritualem contentam esse debere solis mediis moralibus et spiritualibus. *Equidem* fatemur media temporalia non esse adaequata respectu finis supernaturalis; sunt autem necessaria inter homines ut *visibiliter* et *externe* agere possint in ordine ad alia media spiritualia adhibenda.

Etenim ut Ecclesia par esse possit oneribus quae suscipere debeat sive pro cultus publici exercitio sive pro operibus charitatis, instructionis et propagationis fidei provehendis, multa sunt ab ea peragenda quae sine aedibus, sine censu, sine copia rerum nullimode praestari possint.

II. **Ex iure divino positivo.** – 1° Et primo quidem ex divina institutione Ecclesiae ut societatis perfectae. Ex hac enim divina Ecclesiae origine et constitutione sequitur evidenter eidem competere iura personae moralis non ex principum concessione, sed ex divini Institutoris sui potestate et voluntate, itemque eam in suorum iurium exercitio plene esse independentem a qualibet humana auctoritate. Igitur ius acquirendi et possidendi bona temporalia, quod aliis societatibus imperfectis hodie nonnisi ex Status concessione competit, in Ecclesia est *ius proprium, nativum et independens* sicut in ceteris societatibus perfectis.

2° Secundo autem veritas haec ostendi potest ex specialibus **S. Scripturae** locis, quibus manifeste evincitur ius Ecclesiae habendi bona temporalia sibi propria fundari in

[1] Hinc merito TAPARELLI, *Saggio di diritto naturale*, Roma, 4ª ed., 1928, n. 1471: « Non si dirà, spero, che *le pretensioni* della Chiesa siano esagerate, quando ella chiede ciò che non viene ricusato ad un branco di istrioni ».



apertis divinae voluntatis dispositionibus. Et hoc argumentum speciatim adhibendum est contra illos adversarios qui contendunt ex nonnullis S. Scripturae locis deduci Ecclesiam iure divino positivo interdictam esse bonorum temporalium possessione. [1] E. g. adducunt verba Domini ex *Matth.*, X, 9: « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris », et insuper dicunt non talia bona quaesivisse Christum, qui pauperem duxit vitam. [2] Profecto, verum est Christum summopere commendasse suis spiritum paupertatis, quem et Ecclesia commendat et fovet etiam per votorum religiosorum nuncupationem; at ipse Dominus Noster noluit certe Ecclesiam carere mediis necessariis ad opus evangelicum sibi commissum perficiendum: hinc *exemplo suo* normam agendi dedit. Etenim cum apostolicum collegium constituit, nucleum primum Ecclesiae mox dilatandum, ei communia esse bona voluit; habebatque loculos ex pecunia a fidelibus oblata, qua apostolis, discipulis, esurientibus, aliisque pauperibus opitulabatur. [3] Peculium istud perbelle S. Augustinus *fiscum reipublicae Domini* vocabat.

3° Apostoli, autem, exemplum Domini secuti, quae a fide-

[1] Plures fuerunt haeretici qui suis sophismatibus, praecesserunt errores recentium philosophorum aut pseudo-catholicorum principum vel legislatorum, in denegando vel minuendo Ecclesiae iure possidendi. Inter illos fuit *Arnaldus a Brixia*, qui hac in re Ecclesiae iura oppugnabat eo praesertim consilio ut, destructa Romani Pontificis temporali potestate, veteri reipublicae resurrectioni aditus aperiretur. Deinde *Valdenses*, saeculo XIII; *Marsilius Patavinus*, saec. XIV (docuit iste omnia temporalia Ecclesiae esse Imperatoris); et prae ceteris *Wicleff*, cuius haec erat propositio cum aliis damnata in Conc. Constantiensi: « Contra Scripturam Sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones ». Prop. 10. DENZ., n. 590, vid. etiam nn. 612, 684, 1697, etc.

[2] Solent etiam adduci LC., VI, 24; MATTH., VI, 19; *II Tim.*, II, 4; *I Petr.*, V, 2, etc.

[3] MC., VI, 37; LC., IX, 13; IOAN., IV, 8; XII, 6; XIII, 29; cfr. S. AUG., *In ps.* 146, n. 17 (M. L., 37, col. 1910 sq.). AICHNER, *Compendium iur. eccl.*, Brixinae, 1900, § 36, p. 107, ss.



http://www.obrascatolicas.com

libus offerebantur in aerarium primae communitatis christianae libenter contulerunt, [1] ut inde media haberent tum eleemosynis elargiendis, ac egenis viduisque alendis, [2] tum itinerum expensis obeundis et aliis divini cultus mediis rite parandis. [3] Quin etiam, a Spiritu Sancto inspirati, scriptis plebem christianam docuerunt officia implere providendi, collata liberaliter stipe, nedum expensis cultus sed et ministrorum sustentationi. S. Paulus disertis verbis de mediis suppeditandis pro Evangelii praeconibus, ex Christi voluntate, locutus est: « Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere ». [4]

Contra haec omnia minime stat textus *Matth.*, X, 9, quia verba Domini, ibi relata, intelligenda sunt, ut explicat S. Thomas, [5] tamquam monita data pro illa temporanea praedicatione qua Apostoli in Iudaeam mittebantur ante Christi passionem, cum videlicet adhuc non essent extruenda templa, non emenda vasa sacra, etc., et potius confirmandi Apostoli ad confidendum in divina Illius virtute, qui dum eos sine pecunia mittebat, tamen absque sumptibus quoque poterat eis providere. Ex quo autem non obligabantur ipsi vel ipsorum successores ut propriis sumptibus evangelium praedicarent: imo, contrarium evincitur ex ipso textu, cum sine ulla pecunia missos certe alendos committebat populo; unde subdidit « *dignus enim est operarius cibo suo* ». [6]

Ceteri autem S. Scripturae loci qui in contrarium solent ad-

[1] « Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes offerebant praetia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat ». *Act.*, IV, 34 sq.; cfr. II, 44; V. 1 ss.

[2] *Act.*, II, 45; VI, 1 ss.

[3] *Act.*, II, 46.

[4] *I Cor.*, IX, 14; praestat autem et vv. praecedentes legere ab initio capitis. Cfr. etiam *Deut.*, XVIII, 1; *Rom.*, XV, 27.

[5] I, II, q. 108, a. 2 ad 3; II, II, q. 185, a. 6 ad 2, ubi profert explanationem iam a S. Ioan. Chrysostomo exhibitam *Hom. 2* (in *Rom.*, 16, 3), cap. 1 et 2 (M. G., 51, col. 197 ss.).

[6] Matth., X, 10.



duci generatim non ad solum clerum, sed ad omnes christianos pertinent: vel si immediate clerum respiciunt, ut v. g. *II Tim.*, II, 4 et *I Petr.*, V, 2, inculcant virtutes quae propriae esse debent etiam omnium christianorum qui debent cor alienum servare a divitiis, et praesertim ab illicitis lucris, neque temporalia, avaritiae causa, desiderare. [1]

III. **Ex perpetua Ecclesiae praxi.** – Ex catholico sensu, iam ipso persecutionum tempore, didicerant fideles mobilia et immobilia in perennem Ecclesiae proprietatem conferre: et persuasio iugis et constans omnium saeculorum haec fuit, fidelibus videlicet ius esse dandi, Ecclesiae accipiendi, et sic data et accepta in Ecclesiae manere proprietate, potestate et dominatione, invasores, vero, *furti sacrilegi* reos habendos esse.

IV. **Ex actis magisterii ecclesiastici.** - Sane sufficiat hanc Concilii Tridentini dispositionem referre: « Si quem clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate etiam imperiali aut regali praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius Ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, Montium pietatis aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac *iura, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones,* quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, ... in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire ne ab iis ad quos iure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et reditus quos occupaverit, ... integre restituerit; ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit ». [2]

[1] De Luca, *Instit. iur. eccl. publ.*, Romae, 1901, I, p. 152 sq. Cfr. etiam S. Beda, *Comm. in Luc. XII* (M. L., 92, col. 494 sq.) quod legitur saepe in Breviario Romano, ad verba « *Facite vobis sacculos qui non veterascunt* ».

[2] Sess. XXII, c. 2, *de ref.*, cfr. etiam Martini V, Constit. *Inter cunctas*, 22 febr. 1418, ubi damnantur propos. Wicleff. 10, 32, 33, 36, 38, 44. In *Syll.* est damnata prop. 26: « Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi », quae est antithesis canonis 1495 a nobis positi ut thesis. Denz., n. 1726; vid. etiam Pii X, Encycl. *Vehementer Nos*, 11 februarii 1906.

http://www.obrascatolicas.com

Cum igitur Ecclesia in errorem iniustitiae et usurpationis incidere non potuisset omnino dici debet ius ei esse seu potestatem a Deo traditam, temporalia bona, etiam contra principum voluntatem, acquirendi ac possidendi. Neque sane pro dubio aut fallaci Ecclesiae iure gloriosi illi martyres mortem obire sategerunt, qui tuendis bonis Ecclesiae vitam libenter impenderunt, quemadmodum v. g. sub Henrico II Angliae rege, in defensione horum iurium Ecclesiae martyr occubuit S. Thomas Cantuariensis episcopus.

**121.** *Quid secumferat Ecclesiae ius acquirendi temporalia* **libere et independenter a civili potestate.** – Autonomia Ecclesiae ratione perfectionis iuridicae eiusdem, manifestatur etiam quod spectat ad hoc ius acquirendi bona temporalia, 1° in quantum *modus ac normae acquirendi* a Statu praefinitae non obligant Ecclesiam; 2° in quantum libere haec valet spontaneas fidelium largitiones ac dona suscipere, vel etiam *necessarias contributiones exigere,* si spontaneae oblationes aut ordinarii proventus ex bonis stabilibus non sufficiant; 3° demum quatenus civitatum rectores nequeunt, qualibet de causa, limites aut impedimenta ponere circa *quantitatem* aut *qualitatem* rerum quae in dominio Ecclesiae esse possint.

1. Primum quidem obtinet quia quaevis societas quae ab altera independens sit, seu in se suprema (sovrana), legibus alterius societatis non tenetur, nisi eas acceptet et suas faciat. [1] Sequitur igitur Ecclesiam, ad valide et licite acquirendum, per se *modos iuris naturalis* ut sufficientes sibi habere posse; item speciales normas ipsam posse constituere, iuri naturali additas, pro valida et licita acquisitione vel alienatione bonorum ecclesiasti-

[1] Cavagnis, *Institutiones,* Romae, 1906, vol. III, n. 382, p. 211. Quamvis enim Ecclesia in Statu possideat, non tamen ut privatus quilibet subditus, aut tamquam exterus in alieno territorio possidet, sed ubique praescindit a territorio et iure proprio societatis perfectae quae sua sunt retinet ac administrat.



corum servandas; vel ratas habere quae ab auctoritate civili statutae sunt. In praxi vero Ecclesia, canone 1499, § 1, statuit se posse bona temporalia acquirere *omnibus iustis modis iuris, sive naturalis sive positivi,* quibus id aliis licet, immo etiam praescribit ut quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur (can. 1529). Reapse, in pluribus casibus dispositiones iuris canonici differunt ab iis quae circa eandem materiam in ordine civili Status disposuit: itemque Ecclesia quandoque urget obligationes quae ex defectu solemnitatum civilium coram Statu non subsisterent. [1]

2. Ecclesiae ius quoque est, independens a civili potestate, *exigendi a fidelibus quae* ad cultum divinum, ad honestam omnium sacrorum ministrorum sustentationem ac demum ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria. [2] Profecto, maxima pars bonorum quae sibi necessaria sunt, Ecclesiae obveniunt ex spontaneis fidelium oblationibus, praesertim per donationes inter vivos et mortis causa, necnon per beneficiorum et ecclesiarum dotationem, ac demum ordinariis, seu manualibus eleemosynis.

3. Qua in re, fidelium liberalitati nullus finis seu terminus a civili auctoritate imponi potest, quia secus haec *a*) laederet liberam facultatem quam Ecclesia habet, ex iure naturali necnon ex iure divino positivo, acquirendi media necessaria ad cultum, cum temporalia non e caelo certe ministrentur Ecclesiae, sicut spiritualia, ideoque ab hominibus eidem sunt praestanda; *b*) insuper offenderet ipsorum fidelium iura et religionem, in quantum naturalem libertatem coarctaret disponendi de bonis suis in finem honestum, immo etiam sanctissimum, cum hae oblationes et ul-

[1] Conferatur v. g. legislatio canonica de praescriptione (can. 1508, 1512) cum relativa legislatione civili, puta italica (Cod. civ. lib. « Della Proprietà », art. 345 ss.). Vid. etiam can. 1513, § 2, de ultimis voluntatibus in favorem causae piae.

[2] Can. 1496. Cfr. etiam can. 1234, 1504, 1505, Conc. Trid., sess XXI, *de ref.,* c. 4, 7; sess. XXIX, *de ref.,* c. 13; sess. XXV, c. 12; Syn. Pistor., prop. 54 (damn. in Const. *Auctorem fidei*) circa stipendia missarum, proventus stolae, et quodcumque aliud honorarium occasione sacri ministerii oblatum (Denz., n. 1554).

http://www.obrascatolicas.com

timae voluntates quae in bonum animae fiunt, scopum habeant omnium praestantissimum prae qualibet alia bonorum destinatione.

Quod si ex his voluntariis oblationibus, et ex reditibus stabilibus ex bonis frugiferis perceptis, Ecclesia iam habeat quae sibi necessaria sunt, certe non obligabit fideles ad *necessarias* contributiones: [1] quamvis adhuc commendandae et laudabiles essent ulteriores oblationes ad beneficentiae opera provehenda et ad caritatis christianae fervorem fovendum. In primaeva Ecclesiae aetate opus non fuit contributiones necessarias exigere; fervente enim christianorum caritate ultro fideles divitias offerebant, ut legi potest in ipsis *Act. Ap.*, c. IV, 32 ss.; unde Tertullianus adhuc scribere poterat « modicam unusquisque stipem menstrua die... apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt ». [2] Ast, praeter voluntarias oblationes, quae plerumque insufficientes sunt, aliis ulterius praestationibus indiget Ecclesia; proinde eas obligatorie imponit, exigendo prout ferunt temporum adiuncta, necnon locorum conditiones et usus, *primitias, decimas, iura stolae, aliave tributa.*

Inesse autem Ecclesiae tale ius exigendi fidelium tributa nulli catholicorum dubitare licet: saltem eodem iure quo Status ea exigit a subditis pro publicorum officialium retributione, pro expensis defensionis socialis et publicae administrationis, etc. Imo *a fortiori,* quia commoda quae exinde obveniunt fidelibus multo praestantiora sunt quam quae eisdem obveniunt ex tributis solvendis ab ipsis tamquam civibus. Quocirca *S. Paulus*: « An et lex haec non dicit? Scriptum est enim in lege: " Non alligabis os bovi trituranti " ... Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? ». [3]

---

[1] Equidem aliae praestationes exigi certe non possent ad modum praetii ob exhibitas res spirituales, ut patet; neque ratione sustentationis ministrorum vel expensarum pro cultu, cum, in hypothesi facta, iam sufficienter provisum sit. Cavagnis, *Institutiones*, vol. III, p. 227, n. 441; in casu benefactores qui iam Ecclesiae consuluerunt, succurrendo, loco omnium, ceteros exonerarunt; ab his ultimis vero peti possunt, non tamen exigi, quae ad opera caritatis provehenda utilia sunt.

[2] *Apolog.*, c. 39 (M. L., I, col. 533).

[3] *I Cor.*, XI, 8 ss. Quoad *Vet. Test.*, cfr. v. g. Lev., XXVII, 30, cum *Num.*, XVIII, 8; item *Deut.*, XVIII, 3; Hieron., *Comm.* in *Malach.*, c. 3 (M. L., 25, col. 1571).



Hinc etiam in *professione fidei* Waldensibus ab Innocentio III praescripta legimus: « ... decimas, primitias et oblationes ex praecepto Domini credimus clerici persolvendas »; [1] quod sane ita intelligendum est ut attendatur non *modum* solutionis sed *substantiam* praecepti iuris divini esse. Ceterum ex ipsa iustitia naturali exurgit officium fidelium rependendi labores eorum qui, ut, Deo militantes, et saluti animarum et cultui divino unice vacent, prohibentur quominus negotiis saecularibus se implicent; [2] ipsaque divina lex quae cultum publicum Deo exhibendum esse suadet, imperat ut ea praestentur quae ad decorem domus Dei requiruntur. Quae quidem Pius XI fidelibus Galliae commemorans, sic eos hortatur: « Ne cessetis diligere decorem domus Dei et iis corporea suppeditare qui vobis spiritualia seminaverunt ». [3]

**122.** ***Ius acquirendi et possidendi*** **in entibus moralibus ab Ecclesia constitutis.** – Ius acquirendi et possidendi bona temporalia, quod Ecclesiae et Apostolicae Sedi vindicavimus, competit quoque personis moralibus in Ecclesia erectis, sub suprema quidem auctoritate Apostolicae Sedis, sed independenter a quavis concessione aut prohibitione civilium auctoritatum. [4] Equidem quodvis corpus morale tunc tantum dici posset ius istud habere ex concessione Status aut saltem sub dependentia beneplaciti Status, si a societate civili repeteret omnem existendi et operandi facultatem et rationem. Iamvero omne corpus morale religiosum *unice ab Ecclesia*

---

[1] Cfr. Denzinger-Bannwart, n. 427; et prop. 18 Wicleffii damnata a Martino V, haec enuntiabat: « Decimae sunt *purae eleemosynae,* et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre » (Denz., n. 598). Cfr. tit. *de decimis* in X, III, 30; Conc. Trid., ses. XXIV, *de ref.*, c. 13; XXV, *de ref.*, c. 12; Leonis X, Const. *Dum intra,* 19 dec. 1516, § 16.

[2] Unde ius exigendi media ad sacerdotes cultus divino mancipandos Ecclesia non modo ex naturali lege sed ex divina positiva quoque merito repetit. Cfr. v. g. Matth., X, 10; Lc., X, 7; *I Cor.*, IX, 13; *I Tim.*, V, 18.

[3] Encycl. *Maximam gravissimamque,* 18 ian. 1924.

[4] Can. 1495, § 2; can. 1499, § 2.

http://www.obrascatolicas.com

*potest constitui,* quia id quod inseri debet in corpore eius mystico, et de eius vita supernaturali participare, tamquam pars intima eodem spiritu informanda ac per ipsum integrum organismum sustentanda, unice ab Ecclesia et non a potestate extranea alterius ordinis, constitui, regi et supprimi potest. Igitur corpus morale ecclesiasticum, a sua societate perfecta homogenea participat ius, quod ipsa divinitus habet, possidendi bona temporalia ad finem particularem ipsius entis necessaria.

Hinc Codex iuris canonici, independenter a quavis Status concessione, adscribit ipsis personis moralibus ecclesiasticis ius dominii: « Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Sedis Apostolicae, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit » (can. 1499 § 2).

1. Cadit igitur primo omne fundamentum pro asserto iure seu *dominio eminenti* Status in bona ecclesiastica cuiusvis entis moralis. Esto quod pro bono communi opportunum sit ut a Statu recognitio publica petatur dominii horum bonorum, ut in actibus publicis officialiter inscribatur, et sic ab omni oppugnatione aut contestatione defendatur: sed recognitio non est concessio iuris possidendi. De dominio autem alto, quod dicebant, seu eminenti, in bonis civilium, [1] notandum est ipsum reduci ad potestatem legiferam, cum sit ius reipublicae proprium ut praescribat quidquid ad bonum commune expediat: sed ex hoc minime sequitur rempublicam aut eius Principem esse habendum *dominum* bonorum suorum civium. Praeterea, res ecclesiasticae in bonum sociale *communitatis religiosae,* et non iam civilis, directe ordinari debent, ipsorumque usus ad fines sacros dirigi, non ad profanos, debet: quae omnia Ecclesiae curae commissa sunt non vero reipublicae.

2. Hinc, secundo, cadit sophisma iuridicum quo utuntur usurpatores bonorum ecclesiasticorum, qui sane principiis iuridicis vellent cohonestare patrimonii ecclesiastici dilapidationem. Dicunt: Status ius habet supprimendi ens morale, quo suppresso, bona eiusdem vacant, hinc bono communi cedunt per hoc quod fisco addicuntur. Ante omnia iniuste supprimuntur entia quae honeste et benefice vitam degunt; sed ulterius abusus potestatis Status habetur quia praesumit extinguere illud ens quod, contra, iuridice vivit donec ab illo organismo et independente a quo originatur et in quo incorporatur et subsistit, non extinguatur.

Sed insuper bona quae ab oblatoribus et a fundatoribus alicui personae morali dantur ut in eius dominio sint, eo fine in dominio personae moralis, ad instar individui perenniter viventis, conferuntur, ut cum eius morali perpetuitate perseveret fundatio cum suo scopo religioso; cessante autem persona morali, manet semper societas perfecta cui possibilitas est adhibendi ea bona in finem religiosum, saltem genericum, propter quem collata sunt bona. [1] Igitur iniuste et contra intentionem fundatoris auferuntur a Statu et ad fines alterius deputantur: quae iniuria eo vel magis est condemnanda quod saepe violantur ultimae voluntates in bonum animae destinatae.

3. Cadit, tertium, omnis ratio qua nonnulla *iura populi* adstruuntur circa bona entium moralium ecclesiasticorum.

Quocirca notandum est non ideo fuisse dictum bona Ecclesiae aut entium moralium ecclesiasticorum vocari saepissime res pupillorum, patrimonium pauperum, patrimonium sacrum pagi vel urbis, quasi pupillis, pauperibus aut civibus sit dominium ipsarum rerum. Subiectum dominii namque est ens iuridicum cui bona legitime acquisita sunt, non personae physicae in quarum emolumentum impenduntur: quapropter, sicut quilibet in aliquo hospitio caritatis sive laicali sive ecclesiastico receptus, si ab eodem recedat, vel si ipsum institutum dissolvatur, nihil potest repetere de bonis illius entis quasi legitimus condominus, pro rata, ita qui deficiunt ab Ecclesia ut puta in schismate quo fere omnes cives alicuius pagi recedunt a communione cum catholicis, [2] nihil repetere possunt de bonis, de templis, de piis fundationibus ab

[1] EYBEL, *Introductio in ius eccl.*, II, 2, c. 4.

[1] Cfr. ad rem. art. 15 *Conc. cum Romania.*

[2] Factum est enim in aliquibus Europae regionibus ut, recedentibus omnibus vel pluribus civibus alicuius pagi ab Ecclesia, bona et aedes sacrae illius pagi ab ipsis occuparentur et in usum ecclesiae separatae converterentur, quasi rebelles bona *sua vindicarent.*



http://www.obrascatolicas.com

Ecclesia catholica erectis, quasi legitimi heredes entis moralis catholici, titulo numericae maioritatis. Quod enim bonis illis fruebantur, voluntate fundatorum vel dispositione Ecclesiae catholicae, non sequitur ipsos sibi adscribere posse bona eadem, *contra finem* statutum ab iis qui bona contulerunt, *in Ecclesia* prosequendum et sub eiusdem suprema dispositione: in statu iuridico illorum bonorum nihil mutatur per discessum paroecianorum a fide; recedunt ipsi, sed manet finis, manet Ecclesia, manet insuper ipsum ens morale ab Ecclesia et in Ecclesia erectum quod est subiectum dominii ipsorum bonorum. [1]

## Articulus II

### De libero regimine proprietatis ecclesiasticae

**123.** Ex iure Ecclesiae acquirendi et retinendi bona temporalia libere et independenter a quavis humana potestate, sequuntur specialia iura quibus regitur proprietas ecclesiastica, attento etiam peculiari charactere iuridico inhaerente rebus Ecclesiae. Primo quidem:

I. **Libertas administrationis.** – Haec asseritur 1° coram auctoritate civili, 2° coram fidelium communitatibus.

1. *Coram auctoritate civili.* Cum loca cultus, res sacrae, necnon bona quae in dominio Ecclesiae sunt, iure societatis perfectae possideantur, et non ad modum subditorum civilium, illa iura quae consequuntur ex dominio privatorum, consequuntur quidem ex dominio ecclesiastico sed eminentiori modo, seu cum iis characteribus independentiae quibus iura sua societas perfecta exercere valet.

Hinc si in privatis est ius administrandi bona sua, a fortiori in Ecclesia; [2] quae cum in exercitio suae potestatis non

[1] Ceterum nemo non videt arbitrium committi si bona destinata a benefactoribus in fines spirituales unius Ecclesiae committantur alteri Ecclesiae: finis namque piae fundationis, aut oblationis penitus permutaretur in finem omnino alienum a mente eorum qui bona contulerunt.

[2] Secus Ecclesia poneretur in peiore condicione ac ipsa corpora moralia



ligetur legibus latis ab auctoritate civili, iisdem non tenetur etiam circa temporalia *sua*, utpote quae fini spirituali mediate vel immediate sint addicta; nisi tamen easdem leges acceptet et suas faciat.

Hoc quidem summo iure; at ratione prudentiae et boni communis tum Ecclesiae tum Civitatis expedit ut, quantum fieri potest, administratio rerum ecclesiasticarum subiiciatur normis quoque et cautionibus quae ex observantia legum civilium proveniunt.

*a*) Hinc iure proprio potest ordinare administrativum systema de rebus suis. Actus autem administrativi libere ab Ecclesia exercendi intelliguntur nedum illi qui ordinariae sed et illi qui extraordinariae administrationi accensentur, videlicet, vendendi, permutandi, servitutibus supponendi, largiendi fructus vel eosdem in titulos tutos ac frugiferos convertendi, etc. Id sane eo vel magis obtinet quia res Ecclesiae licet naturam physicam, ut ait Wernz, [1] non mutent per hoc quod in dominio Ecclesiae fiant, tamen naturam iuridicam specialem induunt; in finem sacrum [2] mancipantur et sub sociali regimine ponuntur eius societatis quae, in omnibus negotiis ad finem spiritualem ordinatis, omnino independenter et libere agere potest. Propter hoc dicitur Ecclesia bona sua possidere non ad modum privati, nisi ad id ipsa consentiat, neque ad modum societatis quidem perfectae sed in territorio alieno, ubi alia societas exclusive iura sovranitatis exercet: ubicumque enim Ecclesia ius suum exercet pro fine spirituali, illud exercet ad modum societatis perfectae, nulla territori vel personarum habita ratione.

His Ecclesiae iuribus opponuntur omnes illae *leges civiles* quibus coartatur libera eius facultas nedum acquirendi, per se

imperfecta quae in ambitu Status sunt, quibus datur ius administrandi bona sua, et potius comparatur illis personis quae ideo privantur hoc iure quia aut mentis infirmitate laborant aut voluntatis defectu. Taparelli, *Saggio di dir. natur.*, n. 1472. Cfr. etiam Soglia, *Instit. iur. eccles.*, Neapoli, 1860, t. II, § 110, p. 214.

[1] Wernz, *Ius Decretalium*, Romae, 1908, t. III, P. I, n. 143, p. 164.

[2] Immo quaedam et ipsa *sacra* fiunt: v. g. templa, vasa sacra, icones etc.

http://www.obrascatolicas.com

vel per corpora moralia iure ecclesiastico erecta, bona temporalia, sed et eadem alienandi absque Status permissione, vel praetium venditionis collocandi eo modo quo magis opportunum ecclesiasticis administratoribus videatur; [1] item omnes illae leges Status quibus supervisioni et vigilantiae civilium auctoritatum iubetur subiici ratio administrationis et negotiorum gestorum super bonis ecclesiasticis; demum omnia praetensa iura *regaliae* circa perceptionem fructuum beneficiorum vacantium, necnon, quod vere enorme est, circa collationem quorundam beneficiorum sede ecclesiastici collatoris vacante. [2]

*b*) At, salvis his quae Ecclesia censet statuere ut sarcta tecta servet bona ecclesiastica et sacros fines ad quos impendenda sunt, ipsi Ecclesiae expedit ut muniat possessionem eorumdem bonorum omnibus his cautionibus, circa contractus, gestiones, fructus, transitum proprietatis, inscriptiones in tabulis publicis etc. quae lege civili statuuntur.

Hoc enim modo dum sibi et suis finibus prospicit, etiam prosperitatem Civitatis — in qua tandem resident eadem bona et cuius divitias et internam productionem, in suo complexu, augent, et in cuius etiam publicum bonum practico usu cedunt — fovet ac promovet. Hinc, reapse, can. 1529 cautum est ut « quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur ».

Et in concordatis plura, communi consensu, statuuntur circa patrimonia ecclesiastica. [3]

Ceterum eo minus — et viceversa — urgentur exemptiones, et iura independentis regiminis circa bona ecclesiastica, quo minor est eorum relatio ad sacra. Quaedam enim solum indirecte

[1] Exemplo sint leges in Gallia hac super re latae. Vid. Badii, *Ius can. comparatum*, Torino, 1925, p. 288 ss.

[2] Cavagnis, *Institutiones iuris publ. eccl.*, Romae, 1906, vol. III, n. 405, p. 224.

[3] Cfr. *Conc. Pol.*, a. 24, n. 2; *Lith.*, a. 22, n. 2; *Bad.*, a. 5, n. 3; *Rum.*, a. 13, etc. Vid. etiam *Conc. cum Lusitania*, an. 1940, art. 4, *Conc. cum Hispania*, art. 19; *Conc. cum Republ. Dominicana*, art. 23.



ad sacra referuntur, quaedam vero directe, quaedam demum prorsus *sacra* facta sunt.

Hinc distinguendum est v. g. inter fundum agrestem alicuius beneficii, ac eleemosynas Missarum, vel demum calicem consecratum, ostensorium etc.

Quis dicat v. g. mentem esse Ecclesiae subducere agros vel latifundos ab iis legibus (dummodo *iustis*) quae reformationes agrarias vel bonificationes spectant, ut finibus socialibus (sacris simul et civilibus) fructuosius respondeant?

2. *Coram ipsis fidelibus.* Fideles enim nihil iuris habere circa Ecclesiae regimen et administrationem certissimum est; erui potest ex hucusque dictis de constitutione et potestate Ecclesiae, et directe demonstrabitur ubi de subiecto potestatis ecclesiasticae (p. 225 ss.).

Neque ullum ius membrorum alicuius *communitatis* fidelium (puta paroeciae) adstrui potest; quia licet in ipsorum spirituale emolumentum collata sint bona, non tamen in ipsorum dominio aut dispositione eadem sunt; et licet ipsa membra communitatis bona contulerint, vel ipsorum patres, tamen non alia condicione iuridica ab Ecclesia acceptata fuere quam ut in libero dominio et dispositione illius entis moralis essent, in quod bona ipsa collata sunt, nisi aliud in limine piae alicuius fundationis cautum fuerit cum Ecclesiae consensu.

Hinc laici, si vocantur, libere ab Ecclesia adsciscuntur tamquam periti et coadiutores technici pro administratione, sub dependentia auctoritatis ecclesiasticae nisi alio *speciali titulo* ius aliquod ipsis competat. Id sane confirmatur ex constante et universali Ecclesiae traditione et praxi: antiquitus enim nonnisi ab episcopo, adiutoribus clericis, patrimonium ecclesiasticum administratum fuit; postmodum vero, cum ex consuetudine laici quoque in partem administrationis vocati sunt, expresse cautum fuit illos tamquam auxiliares subditos seu sub ecclesiasticorum pastorum auctoritate talia munera obire.

http://www.obrascatolicas.com

Ideo leges civiles quibus laicis tribuitur ius interveniendi in administratione patrimonii ecclesiastici ut illegitimae et oppressivae libertatis sacri regiminis sunt habendae, eo vel magis si talis interventus statuatur qui iura non salvet hierarchiae propria. Ex his sane intelligitur cur v. g. debuerit Pius X declarare *adsociationes cultuales* in Gallia a Gubernio civili impositas [1] nullimode experiri posse,[2] dum Pius XI novum quoddam adsociationum *dioecesanarum* genus aptius ac magis cum normis iuris canonici consociabile, experire permisit.[3]

**124.** II. **Immunitas.** – De hac iam locuti sumus ubi de immunitatibus in genere (v. supra, n. 115). Heic tamen quaeritur: *quibusnam bonis vindicanda est immunitas realis?* Certe omnibus bonis quae sunt in dominio Ecclesiae universalis, Sedis Apostolicae et entium moralium quae iure suo Ecclesia constituit: ratio est illa quae supra (p. 215 sq.) iam est explanata.

Haec quidem spectato ordine mere iuridico. *In praxi* enim bonorum quoque quae proprie ecclesiastica dicuntur admodum temperata immunitas urgetur ac viget: quia dum Ecclesia adhuc plenam urget immunitatem rerum quae directe et immediate cultui inserviunt, in ceteris, quae mediate tantum, plerumque exercitium iuris sui amplissime ex temporum circumstantiis relaxat. Equidem hodie Status maxime indiget ut aliquo

[1] Lex separationis, 9 dec. 1905, art. 18-22. Refertur integra lex apud Badii, *Ius can. comp.*, Torino, 1925, n. 72, vel in Barcilliat, *Praelect. iur. can.*, Paris, 1903, n. 170.

[2] Pius X, Encycl. *Vehementer Nos*, 11 febr. 1906, damnavit quidem legem separationis gallicae; verum quaesitum fuit an ad praecavenda damma bonis eccl. et aedificiis cultus secutura, liceret consociationum genus experiri quod praescripta iuris canonici simul ac infensae illius legis servaret. Sed Encycl. *Gravissimo*, 10 aug. 1906, respondit Summus Pontifex nullo eas pacto experiri posse, donec legitime certoque constitisset divinam Ecclesiae constitutionem, iura hierarchiae, etc., per eas tuta semper fore.

[3] Encycl. *Maximam gravissimamque*, 18 ian. 1924, ex qua elucent motiva quibus novum consociationum genus, iuri canonico accommodatum, permitti potuit absque incommodis quae ex adsociationibus cultualibus iure timebantur.



modo rependantur ingentes sumptus quos ipse sustinet ad publica commoda procuranda, quibus etiam singula subiecta dominii ecclesiastici fruuntur. Profecto, quia Ecclesia Statui auxilium fert aliis plerisque titulis, sequitur ipsam non teneri, per se, nec etiam titulo compensationis; at considerat etiam Statum indigere pecuniariis contributionibus eorum qui temporalia possident, praescindendo nunc an isti ut subditi tributum suum conferant, vel ut independentes domini. Quod prae oculis habendum est praesertim ubi bona ecclesiastica superabundant.

**125.** III. **Independentia in usu et distributione.** - Profecto personae physicae vel morales quae in ambitu Ecclesiae sunt, in his rebus sicut in ceteris quae ad sacra directe vel indirecte pertinent, a societate sua homogenea perfecta dependunt pro omnibus quae usum et partitionem mediorum respiciunt, non vero a societate eterogenea.[1] Hinc sub supremo Romani Pontificis regimine hic usus ac attributio ordinatur, nec Status, praetextu temporalium, in his quidquam vindicare potest, aut ab exercitio suae potestatis Romanum Pontificem prohibere. Codex iuris canonici edicit in can. 1518 « *Romanus Pontifex est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator* ». Id sane secumfert tum omnimodam independentiam eius, tamquam supremi Pastoris Ecclesiae, in statuendis normis secundum quas beneficiorum collatio et omnium redituum usus regatur, tum liberum ius statuendi reservationes, interveniendi in distributione bonorum ecclesiasticorum in qualibet natione, recipiendi oblationes vel exigendi tributa ex entibus ecclesiasticis totius mundi, etc. Verum de his solent agere qui commentario Codicis vacant. Id unum notasse satis erit: esse videlicet omnia bona in hoc praesertim subducta imperio civilis societatis, quod ipsorum destinatio, cum ad fines spirituales spectet ac saepe etiam cum collatione officii spiritualis intime cohaereat, ut est in beneficiis, unice *criteriis spiritualibus* moderanda est: quod sane a potestate spirituali dumtaxat fieri debet.

[1] Patet igitur quid sit respondendum iis qui quandam tutelam Statui super usum bonorum ecclesiasticorum vindicant, adducendo personas morales aequiparari minoribus. « Est enim regula generalis societates imperfectas pendere utique, sed a sua homogenea ». Cavagnis, *Institutiones*, vol. III, n. 408, p. 225.

http://www.obrascatolicas.com

# SECTIO III

## DE SUBIECTO POTESTATIS ECCLESIASTICAE

## TITULUS I

### DE FORMA REGIMINIS IN ECCLESIA

#### ARTICULUS I

#### De hierarchica Ecclesiae constitutione

**126. Praesupposita theologica.** – Ad ius constitutionale Ecclesiae ea certe pertinent quae, nedum *potestatem in se spectatam,* de qua hucusque egimus, sed et ipsius *potestatis subiectum* respiciunt: *in iure publico* ecclesiastico igitur agendum esset etiam de hierarchica Ecclesiae constitutione, plene exponendo totum systema organizationis Ecclesiae ac praecipue divinam episcopatus et Romani Primatus originem. Verum illis qui operam navant iuri canonico plurimum iam haec nota sunt ex studio theologiae fundamentalis.

Praesupposita autem theologica-historica, quibus nostrae in hac materia disceptationes innituntur, sunt praecipue illa quae enunciantur in sequentibus propositionibus:

I. Beatus *Petrus Apostolus* a Christo Domino constitutus fuit Apostolorum omnium princeps et totius Ecclesiae militantis visibile caput, seu accepit directe et immediate a Christo non honoris tantum sed verae propriaeque iurisdictionis primatum.

II. Ex ipsius Christi Domini institutione, seu iure divino, B. Petrus in primatu super universam Ecclesiam perpetuos *successores* habere debet.

III. In *Romanis Pontificibus* est successio Principis Apostolorum; quare supremam Ecclesiae potestatem iidem obtinent iure divino, quae quidem potestas est non merum officium inspectionis et directionis sed vera et propria iurisdictionis potestas, plena, ordinaria, immediata, id est in omnes et singulos pastores et fideles.



IV. Quo modo Petri auctoritatem in Romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic *Episcopi,* quod succedunt Apostolis, horum potestatem *ordinariam* haereditate capiunt, ita ut intimam Ecclesiae constitutionem ordo episcoporum necessario attingat.

**127. Democratica constitutio** *in Ecclesia iure divino exclusa est.* Equidem ex divina institutione sunt in Ecclesia clerici a laicis distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis; *clerici,* inter quos sacra hierarchia est, in qua alii aliis subordinantur (v. supra, n. 67 ss.) in gradibus potestatis ordinis constituuntur sacra ordinatione; in supremo pontificatu ipsomet iure divino, adimpleta condicione legitimae electionis eiusdemque acceptationis; in reliquis gradibus iurisdictionis, canonica missione: *laicis* nulla potestas est, neque ordinis neque iurisdictionis.

1. *Error democraticismi,* a Richerio in systemate redactus, iam inter protestantes invaluerat; qui, nativum regimen Ecclesiae esse democraticum contendentes, asserebant hominum voluntate discrimen inter clericos et laicos inductum fuisse. Nunc quoque idem error a multis *novatoribus* propugnatur. Sed veteres ideo Ecclesiae formam quandam democraticam esse adscribendam contendebant, quia talem iuri divino constitutionali Ecclesiae conformem dicerent; recentes novatores, vero, parum de divina voluntate solliciti, aptandam esse dicunt Ecclesiae regiminis formam iis principiis quae hodie magis populorum conscientiae, moribus ac evolutioni respondeant.

2. Sane, a democratiae systemate non est alienus etiam *modernismus,* utpote qui Ecclesiae potestatem non immediate a Christo ortum habuisse, sed a fidelium conscientiis, seu ex collectiva unione conscientiarum derivasse contendit. Quare iuxta ipsorum opinionem, potestas Ecclesiae non est absoluta, independens et immutabilis, sed ut in Encycl. *Pascendi* notatur « ex conscientia religiosa oritur atque ideo eidem subest; quam subie-



http://www.obrascatolicas.com

ctionem si spreverit, in tyrannidem vertitur », [1] hinc hodie esset accommodanda forma regiminis Ecclesiae principiis democraticis quae nunc conscientiis quoque fidelium maxime arrident.

3. Democratica haec systemata eo ipso exploduntur quod spirituale imperium ex Christo illabebatur in Apostolos et nominatim in Petrum, ex his autem in inferiores clericos, neutiquam vero ex istis vel ex plebibus in illos assurgebat. [2] Porro quae Deus constituit nullimode hominibus fas est immutare: si enim id Ecclesia praestaret, non amplius esset eadem ac illa quam Christus super Petrum fundavit atque huic tanquam supremo Pastori pascendam commisit: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: pasce oves meas.*

Neque ceterum ab illa sana et vera democratia Ecclesia est aliena quam, independenter a quavis morum demutatione, perpetuo fovit ac servavit, Christi exemplum secuta, qui pertransiit benefaciendo et sanando. Eius namque vestigia legens Ecclesia, plebem conquisivit, collegit, excoluit, assumpsit suisque gradibus et honoribus cumulavit. [3]

---

[1] Denz., 2091. Cfr. Decr. *Lamentabili*, 3 iul. 1907, prop. 52, 55, 56: Denz., 2052, 2055, 2056. Prop. 53 damn. in supra citato Decr.: « Constitutio organica Ecclesiae non est immutabilis, sed societas christiana perpetuae evolutioni aeque ac societas humana est obnoxia ». Denz., n. 2053.

[2] Cfr. Const. dogm. *Pastor aeternus*, Conc. Vat., cap. I: « ... primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam *immediate* et *directe* B. Petro Ap. promissum atque collatum a Christo Domino fuisse... » (Denz., 1822). Huc pertinent Matth., XVI, 19: « *Tibi* dabo claves regni coelorum, quodcumque ligaveris... »; Ioan., XXI, 15 sq.; « Pasce agnos meos, Pasce oves meas... »; Matth., XVIII, 18: « Quorum remiseritis peccata... » — De his omnibus cfr. theologos.

[3] Habet Ecclesia veram democratiam eo quod plebium et pauperum curam praecipuam gerat: « *Evangelizare pauperibus misit me* »: Lc., IV, 18; cfr. Matth., XI, 5; XXV, 31 ss.; Iac., I, 27; eorum conditionem socialem elevavit auxitque, servitute abolita atque omni impedimento sublato ad hoc ut infimi quoque e plebe, si digni, si capaces, ad summos ecclesiastici imperii gradus eveherentur: tanto quisque coram ea sublimior est quanto iustior. August., *De civit. Dei*, XIX, 14: « Etiam qui imperant serviunt eis quibus videntur imperare " (M. L., 41, col. 643). Cfr. Nuntium radiophonicum natalicium Pii XII, diei 24 dec. 1944 circa democratiam (*A. A. S.*, vol. XXVIII, p. 10 ss.) et Villain, *L'enseignement social de l'Eglise*, Paris, 1953.



**128. Errori democraticorum proxime accedit error eorum qui Ecclesiae regimen aristocraticum faciunt.**

Sunt inter hos, primo protestantes *episcopaliani* et *presbyteriani;* qui sane Petrum coelorum claves accipientem dicunt repraesentasse Ecclesiam regentem. [1]

Idem systema practice sequuntur omnes *orientales schismatici,* qui, primatum negantes, Ecclesias singulas sub singulis episcopis et patriarchis, universale vero Ecclesiam unice sub oecumenicis conciliis esse profitentur.

Systema aristocraticum, cum monarchico regimine quodammodo temperatum, profitebantur etiam *gallicani.* Hi namque Romanis Pontificibus iura principatus secundum totam eorum amplitudinem non agnoscebant sed quibusdam limitationibus coarctabant ita ut, in aliquibus, penitus suprematiae conceptus iisdem limitationibus elideretur. V. g. profitebantur suprematiam concilii generalis supra ipsum Papam; itemque modum seu limites imponebant pontificiae auctoritati per hoc quod apostolicae potestatis usum mode-

---

[1] Non *uni* sed *unitati* claves coelorum datas fuisse, concinebant Lutherus, Calvinus, Richerius, De Dominis, Febronius, Quesnelliani, etc., varia inde systemata deducentes. Afferebant autem hunc textum S. August., *Serm.* 295, al. 108, *in fest. ss. Petri et Pauli* (M. L., 38, col. 1349): « Dominus Iesus discipulos suos ante passionem suam, sicut nostis, elegit, quos apostolos appellavit. Inter hos pene ubique solus Petrus totius Ecclesiae meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiae solus gestabat, audire meruit: *tibi dabo claves regni coelorum.* Has enim claves *non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiae* ». Verum mirifice sensum verborum Augustini pervertunt, cum ipse numquam fere de Petro loquatur quin eius primatum extollat. Iam in ipso textu allato notentur verba « solus Petrus »; et in *Tract.* 124 *in Ioan.*, n. 5 (M. L., 35, col. 1973) « Ecclesiae Petrus Apostolus propter apostolatus sui Primatum, gerebat figurata generalitate personam »; item, in *Serm.* 86 al. 13, *de verbis Domini*, n. 3 (M. L., 38, col. 480), hoc modo coniungit figuram et principatum: « Petrus a petra cognominatus beatus Ecclesiae figuram portans, apostolatus principatum tenens... ». Ergo 1° Petrus figurat utique Ecclesiam, at 2° eam figurat sicut convenit principi supremo. Cfr. Audisio, *Diritto pubblico della Chiesa e delle Genti cristiane*, Roma, 1863, t. II, p. 45 ss.

http://www.obrascatolicas.com

randum dicebant per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos, asserebantque patrum terminos manere debere inconcussos. [1]

Haec autem omnia divinae Ecclesiae constitutioni et organizationi esse contraria manifeste evincuntur ex facto institutionis Primatus beati Petri, perpetuo duraturi in Romanis Pontificibus Petri successoribus, sicut iam notatum est, atque invicte a theologis probatur. Succedunt quidem episcopi Apostolis, sed « dogma catholicum est Apostolos, *tametsi extraordinaria potestate praeditos,* quae data personis cum ipsis personis interiit, fuisse Petro subiectos, quem solum apostolis praeesse Christus iussit ». [2]

**129.** *Monarchica Ecclesiae constitutio* est igitur absque dubio admittenda.

Certissime enim constat Romanum Pontificem vere Ecclesiae universae praeesse non honore tantum et loco, sed potestate et iurisdictione; «*-universae* » dicimus non solum *distributive* sed et *collective;* ita ut omnes ecclesiae particulares etiam simul sumptae eidem sint subiectae, et omnes praelati, etiam simul sumpti, oboedientiam et reverentiam ei teneantur praestare. Quod sane purissimum typum monarchici regiminis exhibet: nomen enim *monarchiae* summum designat imperium quod apud unum est.

Quod si ulterius quaereremus *quinam typus monarchiae* de Ecclesia praedicandus sit, quaestionem de nomine supervacaneam poneremus quae multis scatet difficultatibus. Quocirca merito nonnulli consulunt ab hac nominis quaestione abstinere, dum Summi Pontificis potestas salva integraque sit in materiae expositione.

[1] Cfr. Const. *Inter multiplices,* 4 aug. 1690, prop. damn. 2, 3. DENZ., 1323, 1324.

[2] Ita LEO XIII, Encycl. *De unitate Ecclesiae,* referens verba S. HIERON., *Dialog. contra Lucif.,* n. 9.



Immo Concilium Vaticanum, in Const. Dogmatica *Pastor aeternus,* plenam exhibet Romani Pontificis potestatem etiam abstinendo ad ipsa voce monarchiae.

## ARTICULUS II

### De supremo Ecclesiae capite

**130. Romani Pontificis munus et potestas.** – Ex theologia notum est Romanos Pontifices tamquam Petri successores in Primatu, clavium potestate seu plenissima potestate praeditos, munere fungi *Vicarii* D. N. Iesu Christi, eosdemque existere *unitatis centrum,* Ecclesiae universalis *fundamentum,* [1] fidei ac veritatis *infallibiles* [2] *custodes* et *magistros.*

Quare, omnia quae de amplitudine potestatis Ecclesiae deque eiusdem iuribus in genere dicta sunt in praecedente sectione, in tota sua plenitudine Romano Pontifici aptantur; ut enim pascendi dominici gregis curam rite adimplere possit, Christus, ei, in beato Petro, contulit ius ligandi et solvendi nullis coarctatum limitibus; plenitudo igitur potestatis legiferae, iudicialis et executivae Ecclesiae vindicata, immediate Summo Pontifici inest, etiam sine Concilio; Ecclesiae namque ipse, tum in internis, tum in externis relationibus cum aliis societatibus, *personam gerit* non qua delegatus, sed *qua Princeps* [3] omnia iura eiusdem in scrinio sui pectoris habens, ita ut etiam sub hoc adspectu liceat asserere: « *Ubi Petrus ibi Ecclesia* ».

[1] MATTH., XVI, 18 ss. Hinc AMBROSIUS in *Serm. XI* ait: « Petrum tamquam saxum immobile, totius operis christiani compagem, molemque continere ».

[2] LC., XXII, 32; IOAN., XXI, 15.

[3] « Ecclesiae Petrus Apostolus, propter apostolatus sui *Primatum* gerebat figurata generalitate personam »; AUG., Tract. 124, *in Ioan.* Cfr. supra, nota 1, p. 227.

http://www.obrascatolicas.com

**131. Ius liberae communicationis.** – Ex divina institutione primatus, inest Summo Pontifici ius et officium ad omnes fideles in variis orbis catholici partibus diffusos apostolicas suas curas protendendi; quod sane praestare non posset si impedimenta ponerentur quominus ipse libere cum Ecclesiae praesulibus ac fidelibus communicare valeret, aut vicissim, si membra huius mystici corporis quod est Ecclesia, prohiberentur quominus cum suo capite tuto de arcanis suis agere valerent, tum personali accessu, tum etiam scriptis, absque ulla libertatis aut secreti restrictione. [1]

Fuit aliquando mos nonnullorum Principum non permittendi ut subditi sui cum S. Sede communicarent nisi Status placitum suum dedisset super his quae eidem S. Sedi essent scribenda; quae permissio verbis « *liceat scribere* » exprimebatur.

Quod sane nemo est qui non videat quantum Ecclesiae ac fidelium iura tyrannice laederet.

Primo quidem *Ecclesiae iura;* ex dictis enim satis constat talibus limitationibus adversus liberam communicationem mutuam inter S. Sedem et fideles, ordinem perverti a Deo constitutum, vi cuius tum episcopus relate ad suos subditos, tum Romanus Pontifex relate ad universam Ecclesiam debet, cognito vero rerum statu, beneficia suae directionis, vigilantiae, correctionis, indulgentiae, etc. impertire.

Secundo vero, id esset tyrannice cohibere sinceram *subditorum libertatem conscientiae,* cum neque episcopi in exponendis suarum Ecclesiarum indigentiis, neque clerus populusque fidelis liberis essent sui cordis arcana suasque spirituales necessitates communi Patri expandere, ad eum appellare vel ab eodem favores et spirituales gratias expetere.

[1] CAVAGNIS, *Inst. iur. publ. eccl.*, Romae, 1906, vol. III, n. 499 ss., p. 274; haec quae dicuntur de libera communicatione Romani Pontificis cum omnibus Ecclesiae membris, applicari quoque possunt, congrua congruis referendo, ad ius liberae communicationis inter Episcopos aliosve pastores et suos subditos.



Politicorum autem hoc fuit effugium: esse videlicet Principi ius vigilandi quaslibet suorum subditorum cum extera potestate relationes, similiter egressum impediendi subditorum a Statu, praesertim cum ad eum principem exterum velint accedere quocum aliquis confictus vigeat, vel cum timeatur ne quid in rei publicae detrimentum inde ipsi moliantur. [1]

Verum id: 1° nititur falso supposito, in quantum consideratur Romanus Pontifex ut *extraneus* territorio status; 2° est maxime *iniuriosum* Ecclesiae, attenta eius indole aliena a quavis politica factione, et studiosissima procurandae felicitatis, pacis ac christianae prosperitatis incrementa in omni Natione.

Equidem, 1° Pontifex *non est extraneus* ulli principatui aut nationi; eius enim munus nativo iure territorii limites non habet; constitutionem, naturam et missionem divinam Pontificis ignoraret is qui limitibus circumscribi putaret eius foecundam auctoritatem, quos ultra eadem exerceri non valeret, ac si esset extraneae potestatis auctoritas. [2]

Porro, assertum politicorum, 2° *iniuriosum* est « S. Sedi et ipsi religioni, cuius potissimum finis est aeterna hominum felicitas, servando fidem et morum innocentiam iuxta Evangelii doctrinam; nec ullum poterit factum adduci, quo comprobetur Sedes Apostolica libera fidelium communicatione abusa fuisse ad politica negotia peragenda ». [3]

Immerito autem et perverse is non recognosceret paternam Romani Pontificis providentiam qui de eius actione libera suspicaretur.

In Concordatis nostrae aetatis S. Sedes maxime est sollicita habendi hac super re opportunas cautiones, quae sane haud

[1] CAVAGNIS, loc. cit.

[2] DE LUISE, *De iure publico ecclesiastico*, Neapoli et Parisiis, 1877, p. 496.

[3] Card. ANTONELLI in cit. *Nota dipl.* ad Russ. ministrum (cfr. DE LUISE, loc. cit.).

http://www.obrascatolicas.com

difficulter stipulatae sunt in primis articulis, qui fundamentum ipsarum conventionum constituunt. [1]

**132. Ius legatos mittendi.** – Ex vi principatus Romani Pontificis super Ecclesiam universalem sequitur, inter alia iura, illud quoque mittendi legatos tum apud Episcopos et plebem christianam, tum apud aulam Principum vel apud Supremos Rerum publicarum Moderatores.

Equidem is cui universae Ecclesiae regendus ac disponendus status est commissus, pluribus ecclesiarum negotiis distendi certe non potest nisi per suos legatos ac ministros. Nec dicatur satis rebus singularum ecclesiarum esse provisum per diligentiam episcoporum: secus in qualibet societate dicendus esset inutilis centralis regiminis concursus et interventus in quibusvis particularium locorum negotiis.

Porro ut Romanus Pontifex pascendo dominico gregi sollicitudinis suae rite impendat curas, non sufficit ut ipse e Vaticanis aedibus aspiciat v. g. oves vel agnos in discrimine aliis in locis positos; sed per ministros suos, ubi per se non possit, ad eas advolabit, pastoralia remedia allaturus atque etiam *futura damna* permanente sui Legati missione, [2] sedula vigilantia, aversurus.

Merito igitur *Leo XIII* facultatem istam mittendi lega-

[1] Cfr. *Concord. cum Italia*, art. 2; *cum Germania*, art. 4; *cum Austria*, art. 1, § 4, *cum Lusitania*, art. 2; *cum Hispania*, art. 22, n. 2; *cum Rep. Dominicana*, art. 3, n. 2.

[2] Can. 265. — Fuit error *De Dominis, Richerii, Eybel*, etc. dicentium ius mittendi Legatos exercendique per eos potestatem suam plenam, in quolibet loco, tunc concedi posse ubi casus extraordinariae necessitatis advenerit. Sed merito respondit Audisio officium et ius Papae esse « di mostrarsi non quando la greggia sia avvelenata o morta di fame, o guasta di fede, o sconvolto il reggimento e la disciplina: il che renderebbe idea di una previdenza imbecille e da insensato; ma di far opera costante e tener l'occhio aperto e le braccia tese per ogni parte. Occhio e braccia del Pontefice sono i Legati ». *Diplomazia ecclesiastica*, Roma, 1864, tit. VII, n. 6, p. 51. Cfr. Giobbio, *Lezioni di diplomazia ecclesiastica*, Roma, 1899-1901.



tos Romano Pontificatui vindicat « non extrinsecus quaesito, sed nativo iure suo », [1] quod sane si exercetur sub speciali forma missionis diplomaticae, seu in quantum mittantur legati apud aulas saecularium principum, non minus dicendum est ius Ecclesiae nativum. Equidem ius proprium S. Sedi est agendi, ad modum principis societatis perfectae, cum civitatum rectoribus ut iura Ecclesiae in singulis nationibus sarcta tecta serventur; iamvero modus communis et pacificus agendi de negotiis quae intercedunt inter duas societates perfectas, est missio legatorum ad normam iuris gentium. [2]

**133. Immunitas.** – Nomine Pontificiae immunitatis intelligitur omnimoda exemptio supremi Ecclesiae pastoris a qualibet humana potestate, nedum in iis quae pertinent ad exercitium proprii ministerii spiritualis, sed et circa ea omnia in quibus viget ratio dependentiae civium a civitatum rectoribus. Talis est exemptio ab oneribus personalibus et patrimonialibus, a subiectione iurisdictionali tum in civilibus tum in criminalibus, ab omni coactione et in genere, a qualibet legali obligatione *ex sola vi civilium legum orta*. [3]

[1] Epist. Encycl. *Longinqua oceani spatia*, ad episcopos Stat. Foed. Americae, 6 ian. 1895, (*Acta Leonis XIII*, vol. XV, pag. 3 ss.): vid. integr. tract Pii VI, *Responsio super Nuntiaturis Apostolicis*, in quo amplissima eruditionis et doctrinae copia ius Sanctae Sedis invicte asseritur et ab oppugnatoribus vindicatur.

[2] « Contester à un souverain le droit de se faire représenter à l'étranger, c'est contester sa souveraineté même ». Calvo, *Droit International*, III, n. 1321.

[3] Nam tenetur Romanus Pontifex, *ex iure naturali*, ita se gerere quoad civilia, ut normas civilis convictus, ad modum principis, servet quatenus compossibiles sint cum suo munere et sua dignitate, si id pro bono communi requiratur. Non igitur vi legum civilium, neque coactive, neque directive. Cappello, *Summa Iur. Publ. Eccl.*, Romae, 1936, n. 523, p. 549; Conte a Coronata, op. cit., n. 158, p. 221. Quare nullo modo posset de his a qualibet potestate iudicari aut puniri.

http://www.obrascatolicas.com

Rationes desumuntur: 1° ex singulari excellentia et nativa indole muneris Primatus a Romano Pontifice ubique terrarum exercendi; 2° ex ipsa Ecclesiae divina independentia.

Quoniam vero omnimoda Summi Pontificis immunitas immediate ex talibus dispositionibus *divinis* de iure constitutivo fundamentali Ecclesiae consequitur, patet eamdem immunitatem esse iuris divini. [1]

1. Declaravimus iam immunitatem personalem ecclesiasticorum inniti in excellentia status clericalis et in huius dedicatione servitio divino (nn. 115 ss.): sed ratione primatus haec dignitas et dedicatio modo prorsus excellentissimo est in Romano Pontifice, erga quem reverentia populi christiani maxima esse debet, ideoque modo omnino eminenti immunitas eidem competere debet.

Insuper, si ratione talis excellentiae status clericalis, deduximus ius esse Ecclesiae statuendi immunitates personales easve determinandi, concludere etiam licet ipsas Summo Pontifici primum et eminenter competere: exemptiones enim clericorum debent statui auctoritate eius qui Ecclesiae universalis personam gerit ac eius nomine iura exercet, idest a Romano Pontifice. Sed qui ius habet immunitatem a lege civili pro clericis statuendi, oportet non sit ipse subditus eiusdem legis civilis, secus ipse ligaretur, ceterosque solvere non posset.

Ulterius, munus primatus secumfert officium iudicis supremi, qui videlicet iudicare valeat de qualibet auctoritate, etiam civili, ratione peccati, et quidem non solum de Principibus ut privatis sed de iisdem ut munus publicum gerentibus; ut nempe valeat iudicare an iidem recte processerint in usu suae potestatis, an potius abusi fuerint. At non potest esse subditus alicui auctoritati is qui de eadem iudicare valet dum ab ipsa nequit ille iudicari; et sane certissimum est Romanum Pontificem a nemine posse iudicari. [2]

---

[1] Cavagnis, *Institutiones*, vol. II, n. 190*, p. 344 ss.; Wernz, *Ius Decretalium*, Prati, t. V, lib. I, n. 293, p. 248.

[2] Can. 1556, 1557. Cfr. Bulla *Unam Sanctam*.



Demum ipsum munus regendi Ecclesiam universalem hoc omnino postulat: ut enim Romanus Pontifex hoc munere bene et fructuose fungatur, « liber prorsus et independens esse debet non solum, sed etiam liber et independens omnibus populis et nationibus apparere, ne videatur, praetextu missionis religiosae, commodis et utilitatibus temporalibus Status, cuius legibus eum subdi contingat, deservire; quae res maximum damnum bono spirituali afferre consuevit. At huiusmodi libertas et absoluta independentia etiam in rebus spiritualibus concipi nequit nisi etiam in temporalibus supremus Primas in Ecclesia exemptionem omnimodam a civili qualibet auctoritate consequatur. Si enim aliter fieret, res publicae civiles semper suspicionem ingererent quod Romanus Pontifex iurisdictionis suae spiritualis exercitium bono temporali reipublicae in qua residet, et cui coactive subditur, subordinet ». [1]

2. Sed praeterea omnimoda immunitas Romani Pontificis descendit ex omnimoda et absoluta *independentia ipsius Ecclesiae*. Equidem ut socialis eius vita bene se habeat, seu ad modum societatis perfectae, necesse est ut supremum eius caput semper gaudeat omnimoda et actuali independentia. Si enim nullus esset in ea qui legibus civilibus ligari non posset, deficeret saltem securitas libertatis universalis directionis Ecclesiae. [2]

Neque obiiciatur ex historia constare Romanum Pontificem aliquando ut subditum principum civilium se gessisse aut saltem uti talem de facto habitum fuisse, quin per hoc, libertatis Ecclesiae factum fuerit detrimentum. [3] Profecto non omnia iura Ecclesiae semper aequali modo, praesertim sub ethnicis principibus vindicari potuerunt: hinc defectui exercitii iuris, in specialibus

---

[1] Ita Conte a Coronata, op. cit., n. 157, p. 221; qui etiam merito notat ob zelotypiam Statuum id reapse habitum fuisse, ut facile apparebit legenti ephemerides exteras quae de *quaestione romana* egerunt. Palmieri, *De Rom. Pont.*, Prati, 1891, P. II, c. I, p. 428 ss.

[2] Palmieri, loc. cit.

[3] Arguunt v. g. ex tempore persecutionum; vel ex eo quod ipsi Romani Pontifices aliquando ad iudicium civilium principum provocaverunt. Verum id praestarunt Pontifices quasi ad iudicium publicae opinionis, per Regem repraesentatae, *libere* sese appellarent.

http://www.obrascatolicas.com

adiunctis Deus ipse, cui nihil impossibile, suis specialibus auxiliis supplebat. Sed in Statu christiano Ecclesia plene iura sua vindicat.

**134.** Est igitur in positione iuridica Romani Pontificis coram supremis civitatum moderatoribus, indoles et gradus verae et propriae **regalis dignitatis,** seu illius plenae independentiae et dignitatis quae est character distinctivus supremi principatus (*sovranità*); quae dignitas ac gradus cum a territorio praescindat, [1] sed ex natura muneris necessario fluat, ubique terrarum cum activitate et officio Romani Pontificis cohaeret. Hanc regalem maiestatem, quam, etiam a dominio temporali Sanctae Sedis praescindendo, plurimi principes ei recognoscunt, itemque plurimi iuris periti eidem tribuendam esse fatentur, [2] Deus ipse quodammodo saepire et corroborare voluit, ita sua divina providentia res humanas disponendo ut Romano Pontifici, iuris gentium quoque legitimis titulis, civilis principatus in aliquo territorio competeret.

---

[1] Est enim persona Romani Pontificis, vi ipsius muneris, extraterritorialis, vel ut hodie quidam aiunt, *super-nationalis*, idest non addicta cuivi nationi.

[2] De his conferantur auctores qui de civili Romani Pontificis principatu agunt. Cfr. Pasquazi, *Ius intern. publ.*, vol. I, Romae, 1935, p. 144 ss. Quoad relationes inter Sanctam Sedem et Statum Civitatis Vaticanae, cfr. Anzillotti, *La condizione giuridica internazionale della S. Sede in seguito agli accordi del Laterano* in *Rivista di diritto internazionale*, 1929. pp. 165-176; Morelli, *Il Trattato fra l'Italia e la Santa Sede* in *Rivista di diritto internazionale*, 1929, pp. 197-236; Di Meglio, *De personalitate iuridica internationali Ecclesiae*, Roma, 1932, p. 105 ss.; D'Avack, *Chiesa, S. Sede e Città del Vaticano, Ius publicum ecclesiasticum*, Firenze, 1937.



# TITULUS II

## SACRORUM PASTORUM CONSTITUTIO SEU NOMINATIO

### Articulus I

### Ius nominationum in Ecclesia

**135. Principium generale.** – Canon 109 generale principium ponit quod regit totum systema nominationum ecclesiasticarum. « Qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur — ita praed. can. —, *non ex populi* vel *potestatis saecularis* consensu aut vocatione adleguntur; sed..., in supremo pontificatu, ipsomet iure divino, adimpleta conditione legitimae electionis eiusdemque acceptationis; in reliquis gradibus iurisdictionis, canonica missione ». Ex quo consequitur nec potestatem laicalem nec christianam plebem ullum ius posse sibi vindicare interveniendi in constitutione sacrorum pastorum; sed unice negotium hoc totum esse demandatum iis qui, cum a Spiritu Sancto positi sint regere Ecclesiam Dei, coadiutores sibi in hoc munere deligunt, canonica ipsis collata missione seu deputatione ad plebem christianam regendam.

**136. Ius Romani Pontificis.** – Quoniam Romanus Pontifex commissam sibi habet curam universi populi christiani, ab eo dumtaxat possunt in universam Ecclesiam mitti illi pastores qui, ex divina episcopatus institutione, peculiaribus Ecclesiis praefici debent: hinc *episcopos libere nominat Romanus Pontifex.* [1]

---

[1] Can. 329, § 2. Cfr. *Syll.*, prop. 50: « Laica auctoritas habet per se ius praesentandi episcopos et potest ab illis exigere, ut ineant dioecesium procurationem, antequam ipsi canonicam a Sancta Sede institutionem et

http://www.obrascatolicas.com

Id sane certissime eruitur 1° ex indole constitutionis *monarchicae* Ecclesiae; 2° ex eo quod iurisdictio particularis, quam singuli episcopi in singulas dioeceses exercent, nonnisi a Romano Pontifice, tamquam a causa proxima, est derivanda; quare nullus episcopus est legitimus nisi canonicam habeat missionem, saltem indirecte, ab eo a quo omnis iurisdictio in determinatos subditos est repetenda. Equidem iurisdictio est essentialiter relatio inter *Superiorem* et *subditos determinatos*, quae quidem relatio non exurgit ex facto consecrationis episcopalis, in qua sane sola potestas ordinis acquiritur;[1] quapropter competit Supremae auctoritati Ecclesiae populum fidelem assignare singulis episcopis subditum.

Concilium Tridentinum ergo definivit: « Si quis dixerit episcopos qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos sed figmentum humanum, a. s. ».[2]

Nullum dubium insuper ab eodem dumtaxat posse eos nominari qui potestatem superepiscopalem exercere deputatur: equidem cum facultates superepiscopales non sint nisi delegatae participationes primatus S. Petri iure pontificio

---

apostolicas litteras accipiant » et prop. 51: « Immo laicum gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos neque tenetur oboedire Romano Pontifici in iis, quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem ». DENZ., 1750-1751.

[1] WERNZ, *Ius Decretalium*, Romae, 1906, vol. II, p. 11, n. 736 ss. Hinc etiam in casibus in quibus electio peragitur ab illis personis physicis vel moralibus quibus id privilegii indultum est. Romanus Pontifex dans confirmationem dat etiam *canonicam institutionem*, adhibens in litteris apostolicis illam formulam qua elucet ipsum per iniunctionem esse verum collatorem ipsius iurisdictionis: « etenim in mandato Romani Pontificis, quo episcopus confirmatus *iubetur regere* fideles sibi assignatos, atque populus fidelis *obligatur ad praestandam oboedientiam* episcopo sibi praeposito, vera continetur iniunctio iuridisdictionis episcopalis per Romanum Pontificem immediate facta ». Cfr. BILLOT, *De Ecclesia Christi*, Prati, 1909, p. 563.

[2] Sess. XXIII, can. 8, *de sacr. ordin.*



constitutae, ab eo unice possunt conferri qui hanc primatus potestatem possidet ac exercet.

*Episcopis* vero, quibus est ius gubernandi dioecesim sibi commissam, facultas est illos pastores, officiales aut administros constituere qui de potestate episcopi participant: est enim munus praecipuum gubernativae potestatis constitutio personarum in variis dignitatibus et officiis ad regimen ecclesiarum necessariis. Attamen apprime notandum est Romanum Pontificem, potestate primatus qua pollet, quam exercet immediate in singulis Ecclesiis, posse sibi nonnulla reservare etiam quoad pastorum inferiorum nominationes; hinc in qualibet dioecesi duae potestates, una videlicet suprema, alia vero subordinata, possunt providere quoad sacrorum pastorum constitutionem.

**137.** Profecto non semper, nec eodem modo et ubique Romani Pontifices ius suum constituendi episcopos aut interveniendi in electione pastorum et officialium minorum in variis dioecesibus de facto exercuerunt. Munus sane historiae ecclesiasticae est ostendere quo modo in variis aetatibus influxus S. Sedis fuerit adhibitus; has tamen conclusiones *ex historia* referre possumus:

I. Apostoli libere episcopos in Ecclesiis a se fundatis constituerunt.[1] Idem ex mandato apostolorum praestiterunt eorum discipuli sequentes regulam quam S. Clemens, tamquam ab apostolis traditam, memorat.

II. Romani Pontifices primis Ecclesiae saeculis sibi ius *immediate* erigendi dioeceses et in eisdem constituendi episcopos non reservarunt: sed huiusmodi potestatem ex *tacita* vel *expressa* concessione, attentis praesertim difficultatibus temporum, quae exercitium immediatum praepediebant,[2] mediate per alios praelatos ecclesiasticos exercuerunt.

---

[1] Cfr. *Tit.*, I, 5; *I Tim.*, III, 1 ss.; *Act.*, XIV, 22; EUSEB., *Historia eccl.*, III, c. IV (M. G., col. 219-222); MANSI, *Collect. Conc.*, t. V, I, 202, n. 42.

[2] Difficultas v. g. communicationum et status persecutionis erant praecipua impedimenta. Tamen praesertim in Italia, in Gallia et in proximio-

http://www.obrascatolicas.com

III. Generatim namque, in primis Ecclesiae saeculis, episcopis comprovincialibus sedis vacantis provisio demandata fuit. Postmodum vero Capitulis cathedralibus.

IV. Data autem saeculo IV pace Ecclesiae, Romani Pontifices haud raro *immediate* suam interposuerunt auctoritatem in urgenda executione praeceptorum disciplinae ecclesiasticae de electione et ordinatione episcoporum.

V. Denique ex saeculo XIV Romani Pontifices, propter abusus qui in electionibus irrepserant, coeperunt reservare sibi provisionem canonicam episcoporum; illis vero quibus adhuc privilegium relictum fuit eligendi episcopos, officium tamen fuit petendi confirmationem electionis factae, ut nominatus canonicam haberet institutionem.

**138. Quid de potestate laicali.** – Auctoritas Ecclesiae pluries declaravit nullum ius civili auctoritati tamquam eidem *proprium* [1] esse adscribendum in sacrorum pastorum nominatione. Quod quidem aeque planum est tum si quaestio versetur circa collationem potestatis ordinis, tum circa collationem iurisdictionis. Primo quidem pertinet ad fidem ordinationes esse validas et legitimas absque populi placito aut imperantium consensu: docet enim Tridentina Synodus « in ordinatione episcoporum, sacerdotum et ceterorum ordinum, nec populi, *nec cuiusvis saecularis potestatis et magistratus* consensum sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio ». [2]

ribus Africae regionibus multae Ecclesiae institutorem sibi agnoscunt Petrum eiusve successores.

[1] *Proprium* quidem ius Status esset, si cum nativis iuribus ac facultatibus cohaereret quae in societate civili, vi suae naturae, sunt; *concessum* e contra, si ex largitate Ecclesiae indultum est Statui, sicut reapse pluries contigit in Concordatis.

[2] Sess. XIII, c. 4, *de eccles. hierarchia et ordin.* Heic negamus iura quaelibet auctoritatis laicalis nedum in quantum haec vindicet iura propria civilis societatis qua talis, sed et in quantum fideles repraesentare velit: nam neque ipsis fidelibus ius aliquod proprium est in hac materia. Quoad errores contrarios cfr. CAVAGNIS, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. II, p. 258 ss.



Sed res aeque evidens est etiam quoad missionem canonicam seu collationem potestatis iurisdictionis. [1] Equidem haec non potest derivare nisi ab ea auctoritate quae eam iure proprio possidet: iamvero iure proprio et nativo in auctoritate laicali est potestas temporalis circa civilia, in Ecclesia vero est potestas spiritualis et supernaturalis regendi fideles in ordine ad sacra. Enimvero haec potestas *supernaturalis*, cum ex iure naturae non procedat, a Christo debuit immediate committi: iamvero ex revelatione constat Christum hanc potestatem Ecclesiae contulisse, non vero societati civili; sequitur ergo huic nullum ius esse circa collationem aut exercitium supernaturalis potestatis. Et quoniam Ecclesia, ut societas perfecta, in iis quae ordinantur ad regimen spirituale fidelium iura sua autonome exercet, sequitur etiam in constitutione singulorum rectorum plebis christianae ipsam plene independentem esse, nec exigentiis laicalis potestatis obstringi ullimode posse.

Porro, Ecclesiae auctoritas exemplum habuit a Christo qua ratione ad sacrorum pastorum electionem procedere debeat. Apostolos selecturus Christus *exiit in montem orare; pernoctans in oratione;* et elegit *quos voluit ipse.* [2] Hoc sane modo Ecclesiam docuit non plebium expetere suffragia, non Principum consensum; non criteria humana esse adhibenda, sicut contingit in provisionibus quas civilis auctoritas edit, sed unice spiritualia, ut ille videlicet seligatur quem Deus elegerit et vocaverit. [3] Quare nedum ius nullum laicali potestati proprium est, sed generatim nec etiam expedit concessionibus interventum illius potestatis permittere quae, in rebus ad sacra dumtaxat spectantibus, cupit se immiscere propter fines temporales. [4]

[1] CAVAGNIS, op. cit., vol. II, n. 35* ss., p. 257 ss.

[2] Lc., VI, 12; Mc., III, 13. Cfr. etiam IOAN., XV, 16.

[3] Unde in electione Matthiae, quae fuit prima ecclesiastica nominatio, post Christi Ascensionem, haec fuit Ecclesiae oratio: « Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende *quem elegeris* ex his duobus unum ». *Act.*, I, 24.

[4] Profecto si omni tempore auctoritas laicalis incompetens fuit in



http://www.obrascatolicas.com

Politicorum sophisma autem hoc est: quod interest reipublicae, ob innumeros effectus externos et temporales, Ecclesiae ministros esse idoneos et Statui benevisos, et non hostiles. Iam vero, interesse Status coincidit quidem cum interesse Ecclesiae, at illud *indirectum* est, istud vero directe connexum cum electione sacrorum pastorum: atqui quae indirecte derivant ex connexione cum ordine superiore, non dant ius sese ingerendi in eundem superiorem ordinem. Ceterum Ecclesia respiciens bonum suum in selectione pastorum, consequenter et necessario prospicit etiam utilitati sociali Status, quae certe derivat ex bono religionis. Hinc Status nil timere debet, sed iam securus esse potest, ex eo quod liberum exercitium iuris Ecclesiae in selectione optimorum pastorum ex se foecundum existit exoptatae utilitatis socialis.

**139.** Quod si agatur non iam de iure proprio, verum *de largitionibus* Ecclesiae, ex historia iuris constat saepe Principibus etiam quoad electionem pastorum, ex benignitate Romanorum Pontificum, fuisse factas concessiones, saltem ob studium procurandae pacis inter sacerdotium et imperium: contra, custos sui iuris fidelissima, Ecclesia acriter restitit quando laicales potestates per usurpationem, aliquid sibi tamquam proprium hac in re vindicarunt.

**140. Quid de interventu populi.** – Saeculo XVI Lutherus et Calvinus nullius valoris dicebant electiones absque suffragio populi factas; item activum interventum populi in sacrorum pastorum constitutione necessarium dixerunt Richeriani et Febroniani, recentius Giannone, ipseque Rosmini. Ex erronea canonum interpretatione et ex inordinato quodam plebium et patriae amore decepti, illi docuere electiones esse peragendas cum cleri populique suffragio,

diiudicandis qualitatibus quae ad spirituale regimen candidatum aliquem idoneum reddunt, id maxime evenit hodiernis temporibus, cum civitatum rectores generatim principiis *laicismi* sese addictos iactant, ideoque confitentur implicite radicalem suam incompetentiam circa res religiosas.



iuxta veterem disciplinam, reservata confirmatione Metropolitae aut Romano Pontifici. Idem conclamarunt politici liberales qui hac via ius quoddam in Statum refundere conabantur. Novissimi demum novatores religiosi, democraticismo addicti, populares electiones inter necessarias Ecclesiae reformationes praedicarunt.

Quia vero in argumentis quae solent hac super re adduci magna confusio fit inter ius et factum, quaestionem duplicem praestat ponere: I. *quaestionem iuris,* an videlicet sit divina quaedam lex aut dispositio, qua laicis ius aliquod tribuatur eligendi sacros ministros, aut saltem praebendi praevium consensum vel testimonium idoneitatis; II. *quaestionem facti circa* partem quam reapse populus habuit anteactis temporibus in sacris pastoribus constituendis.

I. **Quaestio iuris.** – Si ius quidem spectamus, certissime constat, ante omnia, ius *eligendi* sacros pastores nullum omnino laicis competere.

Equidem 1° assertum ius populi nullo solido argumento ex Sacris Scripturis aut Traditione suffragatur; vicissim, 2° certissimae dispositiones sunt, tum divinae tum apostolicae, quibus exclusivum Ecclesiae rectorum ius comprobatur.

1. Afferuntur quidem ex Sacris Scripturis sequentes textus: *Act.,* I, 16 ss. de electione Matthiae, et *Act.,* VI, 2 ss. de diaconorum electione; at assumptum adversariorum non probant.

Ante omnia notandum Matthiam electum fuisse *sorte.* Hic modus prorsus extraordinarius certe selectus fuit pro adiunctis illis omnino singularibus: cum videlicet totum collegium apostolorum a Deo selectum fuisset et ab Eodem directe complendum; unde orantes dixerunt: « Tu, Domine... ostende *quem elegeris* ex his duobus unum ». [1]

Praeterea, si attente considerentur verba S. Scripturae, fide-

[1] *Act.,* I, 24. Cfr. Barba, *Dir. pubbl. eccl.,* Napoli, 1883, I, § 75.

http://www.obrascatolicas.com

les non sunt interrogati nisi ut indicarent quinam esset qui condicionibus a Petro requisitis satisfaceret: [1] quae res facti prudenter, iudicio ipsius Petri, testimonio fidelium solvenda commissa fuit ob speciales circumstantias. [2]

Item ad diaconorum electionem quod spectat, tenendum est apostolos quaesivisse a fidelibus, propter specialia adiuncta quae in ipso textu sacro commemorantur, [3] *testimonium* [4] de personis quae essent ab ipsis apostolis in officio diaconorum constituendae cum totius communitatis fiducia; unde ait Petrus « *considerate* ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, ... *quos constituamus super hoc opus* », [5] fuit ergo tantummodo quaedam *praesentatio*, facta a christianorum conventu, Apostolis virorum idoneorum « *considerate*... viros... », quos viros boni testimonii ipsi Apostoli ad munus Diaconorum adlegerunt et constituerunt: « *quos constituamus* ».

Solent autem adduci etiam nonnulli textus *ex Patribus*. [6] Verum si illi recte intelligantur et considerentur, nihil aliud evincunt quam quod praxim iam primitus vigentem referant de expetendo testimonio populi in sacris electionibus.

---

[1] Equidem ipse Petrus delimitavit paucos viros ex quibus esset seligendus apostolus: « *ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit et exiit inter nos Dominus Iesus* ». *Act.*, I, 21.

[2] CAVAGNIS, *Institutiones*, vol. II, n. 92, p. 168. — Quod Petrus fidelium testimonio voluerit ut indicarentur candidati idoneis condicionibus praediti, et postea inter candidatos non ipse unum elegerit, sed sortem miserit, S. IOANNES CHRYSOSTOMUS explicat ex intentione ipsius Petri vitandi omnem suspicionem acceptionis personarum: « Quid ergo, — inquit — an Petrum ipsum eligere non licebat? Licebat utique, sed ne videretur ad gratiam facere, abstinet »; *Hom. 3 in Act. Apost.* (M. G., 60, col. 36).

[3] Murmur enim surrexerat, quasi acceptio personarum fieret: « Crescente numero discipulorum, factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum »; *Act.*, VI, 1.

[4] « Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia »; *Act.*, VI, 3.

[5] Unde Liturgia in *Offertorio* missae sancti Stephani sensum Ecclesiae exprimit dicens: « Elegerunt Apostoli Stephanum levitam... ».

[6] Cfr. *Ep. I Clem. ad Cor.*, n. 44; *Constit. Apostol.*, VIII, c. 4; TERTULL., *Apolog.*, c. 39 (M. L., I, col. 531 ss.); CYPR., *epist.* 68 (67) (M. L.: citatur in vol. IV, col. 400, textus autem habetur in vol. III, col. 1021-1034); *Conc. Carthag. IV*, can. 22.



2. Contra, apostoli ubique et libere omnino episcopos et presbyteros semper constituerunt, iuxta normas quas tum in evangelio, tum in ceteris sacris litteris commemorant. [1]

3. An iure divino saltem competat fidelibus suffragium seu *testimonium de qualitatibus candidatorum dare?* Id affirmant doceri v. g. a Cypriano: « Ipsa maxime plebs (inquit) habet potestatem vel eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi; quod et ipsum vidimus *de divina auctoritate* descendere, ut sacerdos plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur ». Et adducto facto Eleazari filii Aaronis, addit: « Coram omni Synagoga iubet Deus constitui sacerdotem, idest instruit et ostendit ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi adsistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur, et sit ordinatio iusta et legitima quae omnium suffragio et iudicio fuerit examinata ». [2]

Profecto, inter qualitates quas iure divino habere oportet sacerdotem, est bona fama seu bona populi aestimatio; unde S. Paulus: « Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in iudicium diaboli ». [3]

Sed ut patet, nihil aliud indicatur nisi qualitas moralis ordinandi; hinc populo nullum ius tribuitur, sicut non tribuitur infidelibus propter hoc quod eligendus etiam apud eos *qui foris sunt* oporteat sit bonae seu integrae famae. [4]

Item forma obvia cognoscendi bonam famam eligendi esset quidem interrogatio ipsius populi, verum id superfluum esse potest si aliunde res constet superioribus; insuper testimonium sanum populi expetendum, ipsumque diiudicandum est a superioribus, modis quos auctoritas pro opportunitate temporum aptiores existimaverit. [5]

---

[1] *I Tim.*, III, 1 ss.; *Act.*, XIV, 22, ad *Tit.*, I, 5.

[2] CYPRIAN., *Epist.* 68 (alib. 67).

[3] *I Tim.*, III, 7.

[4] CAVAGNIS, *Institut.*, vol. II, n. 94, p. 54.

[5] Hinc Ecclesia regulariter interrogat quidem populum pro ministris et presbyteris promovendis, verum id fit per denunciationes.

http://www.obrascatolicas.com

Ecclesia itaque plebem ultro accivit in electionibus postulationis gratia, non iure suffragiorum; sed prudenter sustulit quod libere contulerat, turbis iam et factionibus omnia miscentibus.

**II. Quaestio facti.** – Profecto ostendendum est quoque, contra popularium asserta, plebem antiquitus non iam *elegisse* sed tantum *testimonium* dedisse de qualitatibus eligendorum et, ad summum, aliquem *petivisse*. Conclusiones historicas per partes exponimus:

1. Constat veterem disciplinam Ecclesiae, a temporibus apostolicis, talem fuisse qua permitteretur laicis ut intervenirent et adsisterent electionibus sacrorum ministrorum, ad testimonium dandum de eligendorum qualitatibus. Hinc in omnibus textibus, qui de antiqua electionum disciplina agunt, evidenter distingui potest duplex concursus: alter quidem auctoritativus cleri vel episcoporum eligentium, alter vero adhortativus vel deprecativus plebis praesentis, postulantis aliquem vel commendantis merita candidatorum.

2. Iamvero, quamvis populi consensus seu desiderium exquireretur in electionibus priorum saeculorum, tamen hic consensus, seu populi desiderium, numquam reputatum fuit necessarium; neque usus illud exquirendi constanter et ubique servatus fuit.

Videretur obstare citatus textus Cypriani qui ait « *de divina auctoritate descendere* », ut sacerdos plene praesente sub omnium oculis deligatur. Verum dici debet S. Cyprianum non exhibuisse nisi ordinariam et magis obviam viam satisfaciendi divino praecepto, de quo in epist. I ad Tim., III, 7; eqidem plebis consensum non esse rigorose necessarium probatur ex eodem S. Cypriano: « In ordinandis clericis — inquit idem — fratres carissimi, *solemus* vos antea consulere, et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare... Sed expectanda non sunt testimonia humana, cum praecedunt divina suffragia ». [1] Finis sane praesentiae populi, ex ipso S. Cypriano, est ut « detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur »; sed id per alia media, magis pacifica et ordinata obtineri potest. Non est tamen negandum interventum populi quandoque talem fuisse qui electionem modo quodam coactivo determinaverit.



3. Propter deordinationes quae subsecutae sunt in tali interventu populi, cum, in tumultu et discidiis, quandoque opera populi in episcopos assumerentur inidonei, et optimi praetermitterentur, opportunum fuit ipsam plebem in electionibus penitus excludere; quod sane iure obtinet nostra quoque aetate, turbis et factionibus foecundissima.

## Articulus II

### De privilegiis circa nominationes concessis

**141. Privilegiorum species.** – Privilegiorum quae hucusque largiri Ecclesia consuevit triplex est praecipuum genus: ius *nominationis*, ius *exclusivae* et ius *praenotificationis officiosae*.

**Ius nominationis seu praesentationis** est facultas ab Ecclesia concessa, vi cuius competit privilegiato *idoneum* candidatum seligere et Romano Pontifici vel Episcopo *praesentare* ut ad vacans officium, recepta canonica institutione, deputetur.

**Ius exclusivae** est facultas a Romano Pontifice concessa, vi cuius competit privilegiato unam vel alteram personam

[1] *Epist. 33*, II (M. L., 4, col. 317 s.); ex quo evidenter consequitur consuevisse etiam veteres eligere aliquem pastorem, praetermisso plebis testimonio, cum certo constaret de qualitatibus promovendi. Hinc etiam *Conc. Carthag.*, III, c. 28: « Nullus ordinetur clericus nisi probatus *vel episcoporum* examine *vel* populi testimonio ».

http://www.obrascatolicas.com

sibi *minus gratam,* ab elencho candidatorum expungere, ne ad aliquod publicum munus sacrum seligatur.

**Ius praenotificationis officiosae** est privilegium Statui concessum vi cuius, antequam persona quaelibet ad aliquod publicum munus sacrum deputetur, eius nomen secreto et confidentialiter auctoritati civili praenunciatur, ut haec valeat rationes ordinis politici, si quae sint, contra ipsam personam exponere competenti superiori ecclesiastico.

**142. Ius nominationis seu praesentationis.** – Iuris nominationis talem dedimus notionem quae aequivaleat iuri praesentationis. Equidem numquam potuit id intelligi concessum quod ab Ecclesia nullimode concedi potest: impossibile est autem quod Ecclesia laicis ita det facultatem nominandi, ut haec nominatio canonicae aequivaleat institutioni.

Hinc tria haec puncta tamquam fixa et perenniter immobilia sunt ab Ecclesia semper asserta, circa quae nulla remissio aut transactio fieri unquam potuit, sicut fieri nequit in quaestionibus fundamentalibus (questioni di principio): 1° *si concessio* quaedam fiat « nominandi » haec non aliud secumfert nisi ius praesentationis. 2° Canonica institutione perficitur electio pastorum; et haec confertur unice ab Ecclesia, quae si inidoneum praesentatum putat, eidem canonicam institutionem denegare libere potest. 3° Hoc iudicium de idoneitate, tam independens debet esse a facto praesentationis ut, per se, nec rationes sint manifestandae propter quas inidoneus repellatur.

I. Primo igitur distinguenda est praesentatio a canonica institutione: illam Ecclesia potest alicui committere, hanc vero conferre nullus valet, qui illa potestate careat qua Christus, a Patre missus, suos misit vicarios eadem potestate praeditos: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... ». « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo... ». [1]

[1] Ioan., XX, 21; Matth., XXVIII, 18.



Quare cum ad episcopatum vel ad aliquod sacrum officium laica potestas nominat, quae certe nequit communicare ecclesiasticam potestatem officio sacro adnexam, eius nominatio nihil aliud est quam praesentatio.

Quocirca attendendum est Ecclesiam haud raro manifestasse in ipsis concordatis, vel in coeteris actibus quibus hoc privilegium concedebat, talem esse mentem suam circa indulti valorem et substantiam: hinc v. g. legitur in concordato napoleonico: « Consul primus... archiepiscopos et episcopos novae circumscriptionis dioecesibus *praeficiendos nominabit;* Summus Pontifex *canonicam institutionem dabit...* ». [1]

Et in concordato austriaco: « Maiestas Sua Caesarea in seligendis episcopis, quos vigore privilegii apostolici... a S. Sede canonice instituendos praesentat *seu* nominat... ». [2]

Idem conceptus clare elucet in bullis quibus praesentatus seu nominatus ab Apostolica Sede canonicam recipit institutionem; quare in can. 332, § 1 expresse edicitur: « Cuilibet ad episcopatum promovendo etiam electo, praesentato vel designato a civili quoque Gubernio, necessaria est canonica provisio seu institutio, qua episcopus vacantis dioecesis constituitur, quaeque ab uno Romano Pontifice datur ».

II. Praeterea potestati ecclesiasticae de idoneitate praesentati seu nominati iudicium ferre atque, si casus ferat, canonicam recusare institutionem competit.

Equidem cum Romanus Pontifex concedit ius praesentandi, intelligitur semper *idoneam personam* esse nominandam, seu quae omnibus gaudeat qualitatibus a iure requisitis; quod si inidonei fiat praesentatio, haec nihil iuris ipsi electo confert, neque potestati laicae ullum ius est ita urgendi suum privilegium ut exigat ab Ecclesia canonicam praesentato institutionem dari.

[1] Conc. anni 1801, art. 4. Cfr. etiam art. 5 cum Bulla concordata *Primitiva illa,* anni 1516, sub n. 7.

[2] Cfr. art. 19 Concordati anni 1855.

http://www.obrascatolicas.com

Equidem, quod idonei tantum promovendi sint, *iuris divini*, est; neque eo modo S. Sedes intelligenda est concedere privilegia ut per haec se obliget contra ius divinum agere; quare can. 331, § 2, praescribit: « Etiam electus, praesentatus vel quoquo modo ab illis designatus, qui privilegio a S. Sede concesso eligendi, praesentandi seu designandi gaudent, debet memoratis (in paragr. praecedenti) qualitatibus pollere ».

Hinc licet in documento collationis privilegii vel in conventione cum potestate laica inita, nihil de hac condicione expresse dicatur, tamen eadem semper subintelligenda est: ipsum enim ius divinum imo naturale (hypotheticum) praescribit non modo indignos esse repellendos, sed instituentem oportet positive tutum esse (moraliter) de dignitate praeficiendorum... Hinc apostolus praescribit nemini manus, cito esse imponendas, [1] seu non esse consecrandum nisi probatum, ne consecrans communicet cum peccatis alienis. Vide etiam can. 973, § 3.

Ceterum saepe explicita mentio fit in ipsis concessionibus tum de iure praesentandi tantummodo *idoneos*, tum de facultate Ecclesiae decernendi de idoneitate candidati et recedendi ab institutione ipsius praesentati.

III. Nam **iudicium dare de idoneitate candidati** unice ad superiores ecclesiasticos spectat; et si agitur de episcopis unice ad Apostolicam Sedem; imo pro certo habendum est ita iudicium hoc de idoneitate nominandi pertinere ad Ecclesiam ut ea nec rationes aperire debeat propter quas candidatum recuset.

Ratio est evidens; eius enim est iudicium dare de qualitatibus canonicis praesentatorum, cuius est canones condere et custodire; eius est iudicare de aptitudine ad sacra ministeria obeunda, cui sacrorum custodia commissa. Hinc pro conscientia officii sui Romanus Pontifex, qui primus omnium coram Deo rationem reddere debebit de constitutione pastorum, in hac re libere omnino et independenter agere poterit. Nec putandum est Ecclesiam hoc suo iure velle prorsus inefficacia reddere collata nominationis privilegia. Nullus est qui conqueri possit quod in hac re excessus habiti sint.

[1] *I Tim.*, V, 22; cfr. etiam *ad Tit.*, I, 6 ss.; *I Tim.*, III, 2 ss.



Ad praecavendas autem difficultates, quae oriri possent ex inidoneitate candidati praesentati Sancta Sedes, nostris diebus, plenum ius nominationis seu praesentationis non amplius concedit. Quando, autem, in sua largitate abundare cupit, maximum quod concedit est **ius praesentationis coarctatae**, quatenus de idoneitate candidatorum Ecclesia vult esse certa, antequam a potestate civili praesententur. Sic, v. g., art. 6, lett. c, Conventionis cum Lusitania circa Dioeceses patronatus, 15 aprilis 1929, statuit Reipublicae Praesidem praesentare posse candidatum quem Sancta Sedes iam iudicaverat tamquam idoneum. [1] Largior, autem, est concessio Hispaniae facta per Conventionem initam inter Sanctam Sedem et Gubernium Hispanicum, diei 7 iunii 1941. Nam, ad normam art. I, prius negotiationes habendae sunt inter utramque potestatem ad eligendos candidatos idoneos, in qua praeliminari phase principium generale est nomen ab utraque parte proponi posse, sed iudicium definitivum de idoneitate, iuxta ea quae super exposita sunt, ad Auctoritatem ecclesiasticam unice spectare. Quum, igitur, perventum fuerit ad consensum circa nomina candidatorum haec patefiunt Sanctae Sedi, quae ex his sex candidatis tres eligit. Suprema denique, Hispaniarum potestas facultatem habet unum ex his tribus pro nominatione praesentare. [2]

[1] « Il Presidente della Repubblica, se il candidato non offre difficoltà di ordine politico, ne presenterà ufficialmente il nome alla Santa Sede ».

[2] « Tan pronto como se haya producido la vacante de una Sede Arzobispal o Episcopal (o de una Administración Apostólica con carácter permanente, es decir las de Barbastro y Ciudad Rodrigo), o cuando la Santa Sede juzgue necesario nombrar un Coadiutor con derecho de sucesión, el Nuncio Apostólico, de modo confidencial, tomará contacto con el Gobierno Español, y una vez conseguido un principio de acuerdo, enviará a la Santa Sede una lista de nombres de personas idóneas, al menos en número de seis.

2. El Santo Padre elegirá tres de entre aquellos nombres y, por conducto de la Nunciatura Apostólica, los comunicará al Gobierno Español y, entonces, el Jefe del Estado, en el término de treinta días, presentará oficialmente uno de los tres » (*A. A. S.*, vol. XXXIII, p. 480).

http://www.obrascatolicas.com

**143. Ius exclusivae.** – Hoc privilegium in illis regionibus viguit in quibus iura imperii apud acatholicos principes essent: neque enim regiae nominationis privilegium talibus concedere decebat. Id obtinuit praesertim in nonnullis Germaniae regionibus ubi capitulis, loco Principum, collatum fuit privilegium eligendi episcopos, et simul statutum fuit ut eadem capitula praevie de nominibus candidatorum a se selectorum, ministros Principum certiores redderent; atque si quis candidatorum forte minus gratus principibus existeret, eum a cathalogo expungi oporteret.

Ius autem istud exclusivae haec dumtaxat secumferebat: 1° *quod candidatorum nomina auctoritati civili nunciarentur.* Igitur eorum selectio libere a Romano Pontifice vel ab electoribus quibus ius nominationis spectaret, absque Principum interventu, fieri debebat. 2° Quod unus vel alter e candidatis, tamquam *minus gratus, voluntate Principum excludi deberet a nominatione;* hinc ius non erat Principibus seligendi quem placeret ex candidatis, sed quem non placeret excludere. 3° Ne autem ius exclusivae converteretur in ius selectionis seu nominationis unius e candidatis in elencho propositis, auctoritas civilis *non omnes vel fere omnes candidatos e cathalogo expungi* exigere poterat, sed numerus sufficiens eligendorum relinqui debebat, ut fieri posset locus electioni; [1] patet enim non talem huius privilegii esse vim ut ius conferat Principibus quod aequivaleat electioni seu nominationi, per successivas et illimitatas exclusiones: si enim Romanus Pontifex voluisset concedere selectionem unius per exclusionem ceterorum, concessisset ius praesentationis coarctatum, ut in Conc. pro Indiis anni 1866.

[1] Quare omnino reprobata est eorum opinio qui contendebant Gubernium ius habere etiam *omnes* candidatos in elencho sibi notificatos excludendi. Quod fecit anno 1868 gubernium Badense, ex 8 candidatis pro electione Archiepiscopi Friburgensis, unum tantum relinquens, et exigens ut novus elenchus conficeretur. En, e. g., tenor concessionis in Bulla *Impensa* pro Hannover, 26 nov. 1824: « Si forte *aliquis* ex candidatis sit minus gratus, Capitulum e catalogo eum expunget, reliquo tamen manente sufficienti candidatorum numero, ex quo novus episcopus eligi valeat ».



**144. Ius « praenotificationis officiosae ».** – Ultimis temporibus Ecclesia non amplius concessit ius nominationis aut ius exclusivae, verum solummodo privilegium « *obiiciendi* » seu pandendi S. Sedi, aut episcopo collatori alicuius beneficii, rationes ordinis politici, quas gubernium haberet contra personam sibi notificatam, ante institutionem. Quem in finem S. Sedes praesignificat, officiose, seu *secreto et confidentialiter* Gubernio privilegiato nomen personae electae, antequam nominationis notitia fiat publici iuris. Ad novum hoc systema explicandum, iuvat prae oculis habere quae, in allocutione consistoriali diei 21 novembris 1921, Summus Pontifex Benedictus XV enunciavit: « Si qui Rebuspublicis vel Civitatibus quas diximus praepositi sunt, velint cum Ecclesia pacisci concordiam *aliis condicionibus quae mutatis temporibus melius congruant,* sciant Apostolicam Sedem... non recusaturam quominus ea de re cum ipsis agat, ut cum aliquot iam agere instituit ». [1]

Re quidem vera plures iam Respublicae cum S. Sede conventiones inierunt solemnes de rebus religiosis ad propriam rempublicam spectantibus: verum in ullo horum concordatorum habetur ius nominationis aut exclusivae, sed constanter in iisdem invenitur formula *praenotificationis,* in concordato cum Regno Montisnigri et cum Republica Columbiana primum introducta.

**145.** Ius « obiiciendi » seu « praenotificationis officiosae » dum *necessarias et sufficientes cautiones Statui confert,* quod personae reipublicae hostiles non eligantur, simul omnes indebitos laicalis potestatis influxus positivos in electionibus arcet, maximo cum pacis et concordiae inter utramque societatem emolumento et cum libertatis Ecclesiae profecto.

[1] *A. A. S.*, vol. XIII, p. 522.

http://www.obrascatolicas.com

Equidem: 1° a S. Sede seligitur libere candidatus; 2° vitatur periculum eliminationis dignioris personae (quae res facile contingere poterat cum praxi nominationis regiae et exclusivae); 3° item, reiecta ab Ecclesia selectione alicuius personae propter legitimas rationes a Statu obiectas et ab ipsa Ecclesia comprobatas, manet semper in Ecclesia libera cura seligendi alium quem ipsa prae ceteris idoneum putet.

Hinc patet non esse confundendum ius praenotificationis cum iure dandi assensum in electionem candidati, si sit persona *grata* (agrément).

Hoc ultimum privilegium namque dat facultatem reiiciendi personam aliquam eo quod sit simpliciter non grata, ut contingit quando petitur placitum (agrément) pro nominatione Nuntii aut alterius Legati apud aulam Principum; equidem convenit ut ii qui de negotiis mutua concordia componendis cum Principe agere debent, sint personae eidem gratae. Privilegium praenotificationis, e contra, dat dumtaxat facultatem pandendi rationes politicas quae forte habentur contra aliquem candidatum.

Quodsi Ecclesia aestimet rationes seu obiectiones politicas non esse validas vel obiectivas ideoque non esse talis momenti ut ipsam inducere valeant ad recedendum a facta electione, id cum Gubernio communicabit; si vero dissensus permaneat, Ecclesia libera est procedendi ad propositam nominationem. [1]

[1] Circa erroneas sententias de vi huius privilegii deque asserta necessitate consensus (*agrément*) Gubernii ad perficiendas huiusmodi nominationes, cfr. Petroncelli, *La Provvista dell'ufficio ecclesiastico nei recenti diritti concordatari*, Milano, 1933: « Nel campo giuridico si può dire che quasi concordemente la dottrina ha interpretato la disposizione nel senso che il Concordato per la nomina degli Arcivescovi, Vescovi e loro coadiutori con diritto di futura successione, abbia richiesto il rilascio da parte dello Stato di un nulla osta preventivo o quanto meno di un preventivo gradimento che nell'ordinamento concordatario dà adito all'autorità ecclesiastica di procedere alla nomina del candidato prescelto ». Quam doctrinam exponunt Falco, *Corso di diritto eccles.*, Padova, 1930, p. 379; Iacuzio, *Commento della nuova legislazione in materia ecclesiastica*, Torino 1932, p. 115.

Contra, ipse Petroncelli rectam exponit doctrinam (op. cit., p. 132 ss.). Quoad analogam interpretationem art. 11 *Concord. cum Polonia*, cfr. Grubel, *Die Rechtslage der römisch-katholischen Kirche in Polen nach dem Konkordat vom 10 Februar 1925*, Leipzig, 1930, p. 32: « Ein klares positives Vetorecht wurde der Regierung nicht gegeben » Item cfr. Schiappoli, *Corso di diritto ecclesiastico*, Napoli, anno 1930, p. 196.



Id coniicitur ex ipso tenore verborum, quae in Concordatis adhibita sunt quoad hoc privilegium.

Verba adhibita enim exprimunt tantummodo:

*a*) obligationem assumptam ab Ecclesia pandendi Gubernio nomen personae selectae antequam nominatio publici iuris fiat;

*b*) facultatem Gubernii obiiciendi rationes ordinis politici contra candidatum;

*c*) et haec quidem in hunc tantum scopum: ut nempe Ecclesia certior sit quoad ipsum candidatum abesse huiusmodi rationes. [1]

Contra, nullum adest verbum quod indicet ulterius ius Status excludendi ipsam personam contra quam rationes politicas obiicit, nullum verbum quod indicet ius obstandi *seu* sese opponendi nominationi *seu* vetandi exsecutionem nominationis. [2]

**146.** Profecto non est putandum formulam illam « *rationes seu causas ordinis politici* » aditum dare posse Gubernio plenae licentiae obiiciendi contra candidatos *quaslibet* rationes politicas. Sane sub his verbis pronum est intelligere rationes quae *unitatis nationalis* tuitionem, *integrita-*

[1] Obiiciat quisnam numquid privilegium in hoc tantum consistat ut Ecclesia certior fiat de opinione Gubernii circa nominationem. Verum ipsum interesse Ecclesiae bonumque animarum coincidit hac in re cum civili bono, ita ut si Ecclesiae detur via ad cognoscendas *veras, obiectivas* et *graves rationes politicas* quae contra candidatum adsint, Ecclesia suae prospiciat incolumitati communique paci ipsa candidatum excludens: « In considerazione dell'opportunità e per lo Stato e per la Chiesa di evitare ragioni di contrasti e di dissensi, si è voluto dettare una procedura tale da permettere alla S. Sede di conoscere, caso per caso, le obbiezioni che lo Stato ritenga di dover muovere alla scelta da farsi di un ecclesiastico. Conosciute queste, se ve ne sono, la Santa Sede nella normalità dei casi sarà interessata a non nominare Vescovo colui che nell'esercizio del suo ministero sarebbe ogni volta ostacolato da una tensione di rapporti col Governo ». Petroncelli, op. cit., p. 188.

[2] Ad rem prae oculis habeantur verba Pii XI in Epist. 30 maii 1929 ad Emum Card. Gasparri: « Si dice riservato allo Stato il "nulla osta preventivo" per le nomine ecclesiastiche: il Concordato non usa mai, neppure una sol volta, una tale espressione: in cose tanto importanti e delicate anche le formule meritano ed esigono ogni attenzione ed esattezza ». Cfr. *A. A. S.*, 1929, p. 297.

http://www.obrascatolicas.com

*tis territorii* atque *pacis socialis* conservationem respiciant, non autem quaevis rationes aut facta quae ad ordinem politicum quidem referuntur, sed respiciunt tantummodo v. g. differentias opinionum inter diversas factiones politicas quae intra ambitum legum constitutionalium agunt.

Quare pandendae sunt Ecclesiae rationes politicae quas Gubernium habet contra personam nominatam, ut eas Ecclesia examinare valeat, et consequenter suas edere decisiones.

Equidem S. Sedis est aestimare an rationes adductae contra candidatum vere solidae sint seu talis ponderis quae suadeant pro bono Ecclesiae et Status eliminationem candidati.

Sicut enim permittitur vel ipsis officialibus Status aut ministris Gubernii suas opiniones politicas fovere, forte diversas ac illas quae Supremis moderatoribus Nationis placent, ita putandum est a fortiori posse aliquem sacrum ministrum, in iisdem adiunctis, absque ullo detrimento boni publici suum locum habere in aliquo officio ecclesiastico. [1] Reapse id tam est rationi conforme ut Respublicae quae novissime cum S. Sede conventiones inierunt hac super re susceperint formulam quandam clariorem quam Ecclesia proposuit praecedentes formulas perficiendo. [2]

[1] Dicimus *a fortiori*, quia dum officialium statalium munus *directum* influxum habet in ordine politico et civili, ecclesiasticorum officium, e contra, *indirectum* tantum. Praeterea sacri pastores ipso iure canonico prohibentur suo munere sacro uti ad fines politicos.

Quod vero tales *dumtaxat* sint rationes quae vi huius privilegii considerandae sint, deduci potest ex ipso tenore iurisiurandi quod ab Episcopis, vi concordatorum, emittendum est: neque enim Status plus desiderare potest in candidatis, quam quod obtinere nititur per iusiurandum in ipso exercitio potestatis episcopalis: iamvero formulae iurisiurandi concordatae exigunt promissiones ut (sicut decet episcopum) oboediatur legibus, servetur fidelitas Constitutioni, nihil patretur quod integritatem Status aut publicam securitatem evertere possit. Cfr. *Concord. cum Lithuania*, art. 12; *cum Lettonia*, art. 5; *cum Polonia*, art. 12; *cum Italia*, art. 20; *cum Germania*, art. 16.

[2] Ita v. g. in Concordato cum *Lusitania* a. 1940 inito, formula adhuc evoluta est sensu explicativo supra allato. Nam in art. X agitur de difficultatibus « di carattere politico *generale* ». Cfr. etiam *Concordatum cum Bad.*, art. 3; *cum Germania*, art. 16; *cum Austria*, art. 4; *cum Lusitania*, art. X; *Conventionem cum Hispania* diei 7 iunii 1941, art. 3, atque articulum VII *Conc. Hispanici* diei aug. 1953; *Conc. cum Republica Dominicana* diei 16 iunii 1954, art. 5. Pro comparatione evolutiva iuris obliciendi cfr. Nasalli-Rocca, *Concordatorum Pii XI P. M. concordantiae*, Romae, 1940, p. 41 ss.



Ecclesia autem potest vel ipsum Gubernii silentium, post congruum tempus, interpretari pro obiectionum carentia. [1]

Neque ulla ratio est cur Gubernium reticere debeat motiva politica propter quae candidatum quemdam sibi non gratum habeat: talia enim manifestare non laedit independentiam Status, sicut non laeditur eadem independentia quando, in conflictu cum alia Natione, Status pandit suas rationes contra modum agendi alterius partis. Neque ceterum cum Ecclesia agi debet sicut agitur cum ostilibus potestatibus exteris: ipse spiritus concessionum, quae ab Ecclesia fiunt in Concordatis, indicat pacis et concordiae studium quod utraque pars fovere debet et vult. Ceterum ipsa concordata promissionem continent curandi ut exoriturae forte controversiae cum hoc spiritu pacis et concordiae, conlatis simul amice consiliis, solvantur. Hinc cum fiducia mutua in simul amice consiliis, solvantur. Ad id statuitur quoque ut praenotificationis negotium secreto pertractetur, ut expresse in pluribus Concordatis cavetur. [2] Hinc cum fiducia mutua in huiusmodi negotiis agendum erit.

Quae norma, ceterum, valet pro omnibus relationibus [3] quae intercedere debent inter utramque potestatem; illud enim perpetuae legis instar habendum est quod *Ivo Carnutensis* ad Paschalem II Pontificem Maximum rescripsit: « Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur ». [4]

[1] Cfr. *Conc. cum Germania*, art. 14; *cum Austria*, art. 4; *cum Lusitania*, art. 10; *Convent. cum Hispania* diei 7 iunii 1941, art. 3; *Conc. cum Republica Dominicana*, art. 5, n. 1.

[2] Praeter ea de quibus in nota praec. cfr. *Conc. cum Bavaria*, art. 4.

[3] Cfr. *Conc. cum Bavaria*, art. 15; *cum Polonia*, art. 25; *cum Italia*, art. 44; *cum Romania*, art. 22; *cum Borussia*, art. 13; *cum Baden*, art. 12; *cum Germania*, art. 33, comma 2; *cum Austria*, art. 22, comma 2; *cum Lusitania*, art. 7; *cum Republica Dominicana*, art. 5, n. 1.

[4] *Epist.* 238 (M. L., 162, col. 246). Cfr. etiam Enc. *Immortale Dei*, § 32, Mansissent.



http://www.obrascatolicas.com

Denique notandum est ius obiiciendi concessum pro Episcoporum electione minime secumferre privilegium obiiciendi quoad Administratoris Apostolici electionem. Figura, enim, iuridica Administratoris Apostolici, qui, nomine Pontificis, regit Dioecesim omnino diversa est ab Episcopi figura. Hinc privilegium stricte est interpretandum: quando, autem, Sancta Sedes voluit etiam ad Administratores Apostolicos extendere privilegium, id explicite in Concordatis expressit. Cfr. art. 1 Conventionis cum Hispania pro nominatione Episcoporum diei 7 iunii 1941.[1] Quod autem explicatur, quia agitur de Administrationibus Apostolicis quae characterem stabilem seu fundationalem habent.

[1] « Tan pronto como se haya producido la vacante de una Sede Arzobispal o Episcopal (o de una Administración Apostólica con carácter permanente, es decir las de Barbastro y Ciudad Rodrigo), o cuando la Santa Sede juzgue necesario nombrar un Coadiutor con derecho de sucesión, el Nuncio Apóstolico, de modo confidencial, tomará contacto con el Gobierno Español, y una vez conseguido un principio de acuerdo, enviará a la Santa Sede una lista de nombres de personas idóneas, al menos en número de seis ».

# PARS III

## RELATIONES IURIDICAE INTER ECCLESIAM ET STATUM

### TITULUS I

### PRAENOTIONES DE STATU

#### ARTICULUS I

#### Status notio, origo et finis

**147. Notio Status.** – Conceptus genericus societatis perfectae et naturalis, seu societatis civilis, nobis exhibet coetum plurimarum familiarum, ad plenam vitae sufficientiam et ad quietam iurium fruitionem assequendam sociatum.

Huiusmodi coetus non est unicus, sicut unicus iure est alius hominum coetus perfectus, ad bonum completum vitae supernaturalis ordinatus, idest Ecclesia; sed ex concursu plurium elementorum (communitas morum, linguae, traditionum, religionis, etc., accedente ratione quadam geographica) fit ut plures et bene distinctae congregentur familiarum stabiles uniones, characterem coetus perfecti supra descripti secumferentes, quae nomine *Status* nuncupantur.

Status autem describi potest: « Unio stabilis familiarum ac individuorum, in determinato territorio sub eadem suprema auctoritate aliisque vinculis colligatorum, ad obtinendam illam plenam vitae sufficientiam et tutam iurium fruitionem, quae ad finem completum et perfectum ordinis naturalis convenit ».

http://www.obrascatolicas.com

**148.** Elementa igitur quae ad rationem Status pertinent plura sunt, videlicet:

I. **Populus** seu organica collectivitas familiarum et individuohum necessaria ad ipsam societatis formationem et vitalem eiusdem conservationem: ad hanc sane pertinet praecipue functio familiarum, qua societas constituitur et quodammodo perennatur.

II. **Vincula unionis.** Haec sunt: *a) territorium; b) auctoritas* suprema et plane independens, ac demum; *c) concursus communium relationum moralium, ethnicarum et religiosarum.*

III. **Finis:** assequendum videlicet bonum completum, naturale, homini conveniens, quod sane secumfert plenam vitae sufficientiam in ordine physiologico, oeconomico, intellectuali et morali, cum plena et tuta fruitione iurium quae ad talia bona referuntur, habita quidem ratione etiam supremae destinationis supernaturalis hominum.

Summatim recolendo quae supra exposuimus, Statum dicimus « *societatem naturalem perfectam* »; naturalem, quia eius forma specifica a Deo,[1] naturae auctore, imponitur, qui hominem fecit naturaliter socialem; perfectam quoque, quia omnibus necessitatibus suis ex se sufficiens est et plene autarchica, finem attingens bonorum naturalium aggregatione completum.

Indolem vero nativam huius societatis pervertunt qui tum de eius iuridica origine alia sentiunt, tum de eius fine specifico ita loquuntur, ut particulare tantum bonum pro eius scopo ponant; unde etiam deducunt varia systemata potestatis socialis in Statu, ut infra videbimus (p. 270 ss.; p. 278 ss.).

**149. De Statu tamquam societate naturali.** – Societatem civilem, cuius concreta, individualis et historica manifestatio habetur in singulis Statibus, esse societatem naturalem evidenter evincitur, si consideretur factum existentiae huius-

[1] Consideramus igitur Status originem in sua specifica notione; singularum vero Civitatum ortus et organizatio in factis contingentibus immediatam seu proximam causam habent.



modi societatis esse *factum non tantum universale,* sed etiam *naturaliter necessarium.*

1° Est factum universale: ubicumque homines fuerunt, ibi historia et ethnographia eos exhibent sociali consortio collectos;

2° est factum naturaliter necessarium, quia respondet naturalibus exigentiis quas homo, vi suae essentialis conformationis, habet pro consecutione illorum finium a quibus ipsa eius existentia et ordínata perfectaque vitae fruitio pendet.

1. Sane « institutum quod semper et ubique cum genere humano connexum apparet, quod semper ut legitimum agnitum fuit, quodque non solum nullis vicissitudinibus et procellis deleri potuit, sed eo magis se evolvit, quo perfectior est natura humana, in natura humana fundatur ex eaque necessario procedit.[1] Iamvero omnia vestigia hominis antiquissima eum exhibent sociali consortio cum suis similibus copulatum; *hominem vero solivagum* esse, quem contractualistae sibi fingunt, ad modum plane fabellarum quas de statu hominis silvestri veteres cecinerunt poëtae,[2] *est assertio gratuita,* monumentis historicis et ethnologicis prorsus contraria: « homo solivagus — ita Orlando[3] — est conceptus mere abstractus, notio quaedam arbitraria, quae non solum effectivam actuationem numquam in rerum natura potuit habere, sed neque ut possibilis concipi potest ».

2. Equidem essentialis hominis conformatio talis est quae permultas nata sit gignere exigentias naturales, ordinis physiologici, oeconomici, intellectualis et moralis, quibus nonnisi in sociali vitae consortio satisfieri possit; ita ut huiusmodi sociale consortium sit pro hominibus vel prima et suprema naturalis condicio existentiae.

[1] KATHREIN, *Philosophia moralis,* Friburgo, n. 561, p. 379.

[2] Equidem videtur ad modum poëtae fabulas enarrantis scripsisse Rousseau: « *Je vois* l'homme se rassasiant sous un chêne, se désaltérant au premier ruisseau, trouvant son lit au pied du même arbre qui lui a fourni son repas... ». *Discours sur l'origine de l'inégalité.* HORATIUS, *Satyr.,* lib. I, 3ª. Cfr. DEL VECCHIO, *Lezioni di Filosofia del diritto,* Roma, 1936, p. 282 ss.

[3] *Principi di diritto costituzionale,* Firenze, 1894, c. 1, § 3, p. 14.

http://www.obrascatolicas.com

*a*) Primo quidem ob vitae physicae conservationem et perfectionem necessaria hominibus communis et mutua adsistentia; solum enim hac supposita, ea quae sunt contraria vitae (ex bestiis, ex morbis, ex inclementia aëris etc.) efficaciter repelluntur, et necessaria victui, tegumento, necnon vitae ordinariis commodis apte parantur. Porro vel ipsae primitivae et rudiores artes venationis, piscationis, agriculturae, aedificatonis, multa instrumenta requirunt et consequenter multas artes subsidiarias; quarum progressus scientiis quoque procurandus est, ut, quo magis propagatur genus humanum, eo magis proportionata rerum productio succrescat.

Profecto homo habet auxilium maximum rationis, quo certe antecellit longissime animalibus quae solivagam vitam, auxiliis specialibus natura praeditis, degere possunt; verum ex eo quod habet hanc naturalem supereminentem dotem succrescit in eo socialis consortii necessitas, propter ipsam vitae intellectualis manifestationem et perfectionem. Hinc proprium eius est locutione uti, per quam unus alteri conceptum suum totaliter potest exprimere, evadens magis communicativus quam quodcumque aliud animal.[1]

*b*) Ceterum *mens eius ut evolvatur* et perficiatur indiget institutione; parum enim proficeret singulus, si sibi solus relinquetur. Neque sufficiunt unius aetatis studia, sed patrimonium cognitionum transmittendum est successivis generationibus ut constanter progrediatur; quod sane requirit non paucorum dumtaxat hominum concursum organizatum, sed multorum simul.

*c*) Demum *ob moralem quoque institutionem* indiget homo aliorum societate; cor enim habet capax et avidum dilectionis, itemque subiectum passionibus, quae in bonam aut in malam partem propendere possunt.

Igitur maximi momenti est pro humanae naturae dignitate recta hominum institutio moralis, ad quam quidem duo praecipue spectant: magisterium et exemplum, quae sane supponunt socialem convictum. Ceterum quidam in homine affectus radicaliter a natura sunt positi qui, ut sese explicent, supponunt mutuas

[1] S. Th., *De regimine principum*, I, 1; *Contra Gentes*, III, 85; *Summa*, 1, q. 96, a. 4, c; cfr. Güenechea, *Principia Iuris politici*, Romae, 1938, vol. I, p. 54, ss.



et constantes hominum relationes: ut v. g. charitas et gratus animus. Omnia ergo hominis commercia, indolis ethicae, officiaque naturalia permulta ordinantur ad hominum mutuas relationes honeste componendas: quae nec conciperentur, si homo solivagus vitam degere naturaliter posset.

Argumenta haec omnia perbelle Leo XIII[1] paucis his verbis perstrinxit: « Insitum homini natura est ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitae cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad coniunctionem congregationemque hominum nasceretur, cum domesticam tum etiam civilem, quae suppeditare vitae sufficientiam perfectam sola potest ».

3. Est demum necessaria societas civilis *ad iurium moderamen et tuitionem;* in statu enim extra-sociali,[2] deficeret iudex qui agnoscendus esset a litigantibus, hinc ius suum unusquisque per se prosequeretur et vindicaret, et continua essent iurgia et bella inter homines; multa delicta manerent impunita, ea vero quae vindicantur catenam subsequentium vindictarum secumferrent.

**150. Contractualistarum error.** – Sunt qui civilem societatem *a libero hominum consensu natam velint,* ipsius imperii ortum ex eodem fonte petentes. Hi quidem opinantur de suo iure aliquid unumquemque cessisse et voluntate se in eius contulisse potestatem ad quem summa illorum iurium pervenisset. Huius theoriae assertores plurimi sunt, tamen alii alia scribunt huiusmodi systema exponentes.

1. *Hobbes* docuit nullam in statu naturae primitivae exstitisse societatem civilem, neque aliam iuris mensuram tunc fuisse quam utilitatem,[3] ideoque egoismum et innatum instinctum propriae conservationis principium agendi unicum extitisse: hinc bellum omnium in omnes.[4]

[1] Enc. *Immortale Dei*, § 5, Non est.

[2] Ita Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. I, p. 237 ss.

[3] *Elem. phil. de cive*, Amstelodami, 1696, c. 1, n. 10.

[4] Op. cit., c. 1, n. 12: « Negari non potest quin status hominum natu-

http://www.obrascatolicas.com

Huic intolerabili et exitiali rerum statui finem impositum asseruit hominum pacto, inter singulos inito, pro pace;[1] collata enim omnum iurum delegatione, eorumdemque absoluta, indefinita ac perpetua in principem facta translatione, nulla civibus reservatione addicta,[2] exsurrexit institutum sociale gentis seu Status, instar magni animantis (leviathan), cuius mens et anima esset princeps, membra omnia informans et gubernans. Et dum nihil ante huiusmodi *contractum natura iustum erat* post contractum iusta et iniusta orta sunt, quia iura et officia cum ordine sociali originem habuerunt, iniustumque illud tantum est quod ordini sociali adversatur: omnis mali et boni vero discrimen a principe pendet.[3] Equidem «quid in cive furtum, quid homicidium, quid adulterium, quid denique iniuria appellandum sit, id non naturali sed civili lege determinandum est ».[4]

2. *Rousseau* quoque initium sumit e conceptu *hominis asocialis;* at eius naturalem condicionem dixit non statum belli sed felicitatis. Iuxta doctrinam Rousseau,[5] homo initio vitam ducebat contentus iis quibus natura perfruebatur sine desideriis, invidiis luctis,[6] At propter perfectibilitatem qua, prae ceteris animalibus, homo eminenter gaudet, invectis paullatim agricultura, siderurgia, ceterisque artibus, inductae sunt inaequalitates classium et individuorum, proprietas, divitiae, miseria, etc.; hinc discidia, invidiae, rixae, aggressiones et usurpatones. Ad vitanda mala maiora homo societatem cum similibus pacto inire coactus

ralis antequam in societatem coirent, bellum fuerit neque hoc simpliciter, sed bellum omnium in omnes ».

[1] Op. cit., c. 6, n. 20, *Leviathan sive de civitate ecclesiastica et civili*, 1651. Introd.

[2] *De cive*, c. 4, n. 15.

[3] « Ante imperia iusta et iniusta non extitere. Quod iusta vel iniusta fiunt, a iure imperantis provenit ». *De cive*, c. 12, n. 1.

[4] *De cive*, c. 6, n. 16.

[5] *Du contrat social*, Paris, 1793, et *Discours sur l'origine de l'inégalité parmi les hommes. Œuvres de Rousseau*, t. XII, ed. Genève, 1782.

[6] « Les seuls biens qu'il connaisse dans l'univers sont la nourriture, une femelle et le repos. Les seuls maux qu'il craigne sont la douleur et la faim... il n'a nul besoin de ses semblables, et n'en reconnaît peut-être aucun individuellement... Je voudrais bien qu'on m'expliquât quel peut être le genre de misère d'un être libre dont le cœur est en paix et les corps en santé ». *Discours*, cit. p. 120.



est. Quoniam autem innatae et inalienabili libertati sociale consortium restrictiones necessario affert, propter obligationes iuridicas quas secumfert,[1] Rousseau talem studuit associationis formam invenire quae, omni vi communi, personam et bona cuiusque socii tueatur ac protegat, qua forma unusquisque, omnibus se iungens, tamen sibi soli pareat et liber maneat aeque ac antea.[2] Imperium igitur finxit in populo, inalienabile, indivisibile; legem in voluntate universali; exsecutores in principibus qui levissima de causa deiiciuntur ac removentur.[3]

3. *Protestantes* «cum ab Ecclesia primum, deinde a principe, ineluctabili rerum necessitate, summa et fixa quaeque iura amovissent, omnes pactum sociale, quasi naufragii tabulam, amplexi sunt. Vario quidem incessu atque exitu: cum imaginaria hypothesis nullo limite sit definita, illinc autem scopulos, hinc servandam societatem aspicerent ».[4]

**151.** Refutatio vero systematis Hobbesii et Rousseau iam primo resultat ex eo quod huiusmodi doctrinae fundamentum habent in assertionibus prorsus gratuitis, quibus accedunt aeque gratuitae vel etiam illegitimae conclusiones.

Item horum systematum logicae sequelae sunt moraliter infensissimae, ideoque certissime contra recti ordinis ac naturae rationem. Facile enim cuique eadem consideranti appareret Hobbesii systema in foedam tyrannidem resolvi, doctrinam vero Rousseau in ruinosam cuiusque legitimi imperii eversionem.

Praeterea systema Rousseau tamquam probatum dogma habet hypothesim evolutionisticam Darwin: norunt autem

[1] *Contrat social*, lib. I, c. 1, 4 et 6.

[2] Op. cit., lib. 1, c. 6.

[3] Op. cit., lib. I, c. 5, 6; lib. 3, c. 16. Pleniorem explicationem doctrinae Rousseau vid, apud VAREILLES-SOMMIÈRES, *Les principes fondamentaux du droit*, Paris, 1889, c. XIII, p. 72, n. 1 ss.: FILOMUSI GUELFI, *Enciclopedia giuridica*, Napoli, 1917, I, p. 77 ss.; BIAVASCHI, *La concezione filosofica dello Stato moderno*, Milano, 1919, cap. I, § 3 ss., p. 6 ss.; GÜINECHEA, op. cit., p. 56 sq.

[4] AUDISIO, *Iuris naturae et gentium fundamenta*, Romae, 1852, lib. III, tit. 2, n. 6, p. 273.

http://www.obrascatolicas.com

omnes quomodo iam exciderit haec hypothesis, concordi fidei et scientiae iam dato responso.

Porro nulla memoria in traditionibus populorum antecedentis status *asocialis* hominum, quinimmo hae potius contradicunt; nulla vero exhibetur vis iuridica[1] qua consistere possit fictus contractus: non enim videtur quo principio obligante contrahentes ad servandam conventionem teneantur, si pactum in statu naturae initum non supponebat iam officia iuridica ab hominibus per naturale rationis lumen recognita, inter quae illud « pacta sunt servanda » aliaque mutua hominum officia, quae relationes *sociales* iam constituebant ante ipsam asserti pacti conclusionem.

**Materialistarum positio.** – Ultimis hisce temporibus materialismus historicus et dialecticus, quem praesertim communistae profitentur, omnia reducens ad evolutionem progressivam, antecedentes theorias novo modo plasmavit, supponens omnium originem provenire ex iugi elaboratione et progressione materiae. Hinc in statu transitorio hominum silvestrium ex inferioribus animalibus evolutorum, nullam agnoscunt extitisse socialis consortionis rationem et eo vel minus eius naturalem necessitatem. Postea vero societatem exhortam fuisse dicunt ex oppressione divitum et potentiorum super plebem. Auspicant, autem, proletariatus dictaturam ut medium necessarium ad classium abolitionem et plenam omnium aequalitatem assequendam, ut tandem civile haberi possit consortium sine Statu (Société sans classes).

**152. De fine Status.** – Multae opiniones vulgatae sunt de fine Status, quarum defectus est in notione non integra desti-

[1] GONELLA, *La persona nella Filosofia del diritto*, Milano, 1938, p. 238, n. 134 sq.



nationis nativae societatis naturalis perfectae; exhibetur enim una dumtaxat vel altera e rationibus propter quas homo ad civilis societatis consortium naturaliter ordinatur.

Alii enim tuitionem vitae et membrorum (Hobbes), alii iuris proprietatis defensionem (Bentham), alii facultatum individualium normalem evolutionem et liberum exercitium (Miller, Krause, Ahrens), vel etiam culturae progressum, aut demum iuris iustitiaeque regimen ad moderandum et rite ducendum socialem convictum (Kant), dicunt esse finem ob quem Status constituitur.

Recens est error germanicus hitlerismi secundum quem functio et finis Status habentur unice et vere exclusive in tuenda et servanda puritate sanguinis seu gentis (razza);[1] omnia alia problemata socialia sunt « *nugae* » si comparantur cum hoc quod est unicum, verum et praecipuum problema: scil. quaestio de conservanda indole et puritate stirpis nationalis.[2]

Hi omnes, ut patet, alium conceptum habent de Statu plane diversum ac illum qui ex ipsa rerum natura depromi potest, attentis supremis rationibus ob quas homo animal sociale seu politicum nascitur; reducunt autem functionem Status ad munus quoddam valde simile officio et destinationi politiae, aut institutorum tuendis quibusdam bonis erectorum (istituti d'assicurazione) vel academiarum promovendis artibus et scientiis adlaborantium, vel demum institutorum zooctecnicis progressibus provehendis.

Ipseque conceptus kantianus, *Status iuris* « Stato di diritto »[3] — quo functio Status reducitur ad praebendam homini-

[1] HITLER, *Mein Kampf*, München, 1933, p. 420 sq. Cfr. versionem italicam, *La mia battaglia*, editam a Bompiani, Milano, 1934: « La concezione nazionale razzista riconosce il valore dell'umanità nei suoi primordiali elementi di razza. In conformità dei suoi principi, essa ravvisa nello Stato soltanto un mezzo per raggiungere un fine, il fine della conservazione razzista degli uomini ».

[2] HITLER, *Mein Kampf*, I, pp. 359, 360.

[3] KANT, *Met. Anfang der Rechtsl.*, lib. 3, § 41 ss.

http://www.obrascatolicas.com

bus conformationem iuridicam socialis consortii, ut, sub cura auctoritatis et cum determinata constitutione, cives iuribus perfrui possint — non praebet plenam ideam finalitatis Status, immo hanc restringit et deprimit, quia reducit ius ad quandam meram condicionem coëxistentiae, ipsamque functionem Status reducit ad dandam cautionem exterioris coëxistentiae singularum libertatum individuorum.

**153.** Placet igitur multis, etiam ex civilistis, finem complexum Status specificare in tribus bonorum generibus simul collectis: quae videlicet condicionem plenae et securae fruitionis vitae naturalis, humanae condicioni convenientis, parant in ordine *prosperitatis, cultus* (cultura) et *iustitiae*. Quod quidem verum haberi debet, si tamen completur, animadvertendo ad huiusmodi bona societatem civilem debere non quomodocumque tendere, sed *cum respectu quoque* **ad supernaturalem hominis destinationem.**

1. Equidem notavimus (n. 149) necessariam esse societatem civilem, ideoque constitui varios Status, ad supplendam insufficientiam individuorum et familiarum, necnon ad moderandas externas iuridicas relationes individuorum et familiarum atque ad iura defendenda et violata reparanda. Quare finis Status est complexus bonorum quae referuntur ad vitae conservationem eiusque perfectionem per mentis evolutionem et rectam voluntatis institutionem, itemque ad securam iurium fruitionem per ordinatam et tutam explicationem facultatum quibus individuus et familiae singulae pollent: quae quidem omnia Status prosequitur adiuvando, fovendo, integrando et ordinando civium et familiarum vires, activitates et iura, non vero ea supprimendo per substitutionem unicae activitatis et unici iuris statalis. Debet videlicet Status procurare ut tum familiae tum individui simul sumpti seu complexive, consequantur, communibus auxiliis et mediis et iuris superioris tutela, id quod singuli et separati non possent, sive in ordine ad bona positive prosequenda sive in ordine ad obstacula et deordinationes removendas; ut scilicet homines *bene* vivere valeant in ordine naturali.



2. Verum, cum dicimus finem societatis civilis esse bonum completum temporale hominum, illud intelligimus *quod conveniens est humanae naturae* ad finem superiorem et ultimum elevatae et destinatae.[1]

Quare verum bonum temporale humanae naturae conveniens tunc sane procuratur cum sine finis supremi et supernaturalis hominum detrimento obtinetur, secus enim deficeret ipsa ratio suprema a rerum natura, proptereaque a Deo naturae auctore, praefixa, ob quam homo in societate civili vivere debeat.

Nunquam sane licet cuiuscumque boni praesentis intuitu in detrimentum spirituale incurrere; felicitatis vero praesentis procuratio, quae per se futurae opponeretur, inhonesta esset. Porro id quod contradicit legi naturae et Dei, nullimode obligat, neque enim vinculum iuris tunc concipi potest, sed potius iniquitatis,[2]

Immo non solum felicitatis temporalis procuratio nequit se positive opponere consecutioni supernae felicitatis, sed neque sese habere potest mere negative, seu simpliciter praescindere ab hac ultima, ut vellent ii qui laicismum statalem praedicant.

Hi quidem asserunt, dummodo societas civilis non impediat finem spiritualem, de cetero necessarium non esse ullum respectum habere ad finem hominis supernaturalem, in regenda civitate. Sed huic errori iam S. Thomas occurrebat scribens. « Quia homo vivendo secundum virtutem ad ulteriorem finem ordinatur, qui consistit in fruitione divina, ut supra diximus, oportet eundem finem esse multitudinis humanae, qui est hominis unius... quia igitur vitae qua in praesenti bene vivimus finis est beatitudo coelestis, ad regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare secundum quod congruit ad coelestem beatitudinem consequendam ».[3]

---

[1] « Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, *quo sunt omnia consilia referenda*, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae in coelis collocatum ». Leonis XIII, Litt. Enc. *Immortale Dei*, § 14, Sanctum igitur.

[2] Cavagnis op. cit., vol. I, n. 388, p. 258 ss.

[3] *De regimine principum*, I, 14-15, Similiter Leo XIII: « Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet umquam incommodi, sed omnes, quascumque possit, opportunitates afferat.

http://www.obrascatolicas.com

Igitur procuratio felicitatis praesentis ex parte societatis *est dirigenda* ad finem ultimum; quare finem proximum et proprium societatis civilis esse felicitatem temporalem, non significat hanc esse procurandam absque ullo positivo respectu ad futuram; societas civilis est opus naturae et Dei, ideoque certissime ordinatum ad felicitatem accommodatam consecutioni finis ultimi. Deus enim omnia dirigit et ordinat in finem ultimum.

**154.** Per excessum autem errant hi omnes qui dicunt Statum ordinari non tantum ad supplendam insufficientiam ordinis privati et ad publicum ordinem tuendum, sed potius ad consulendum directe ipsis personis et familiis; et quasi ad substituendam sollicitudinem, activitatem et competentiam privatam, extendunt sphaeram activitatis et destinationis Status.

Praesertim in conceptu socialistico (cui tam haud parum similis est conceptus liberalis et super-nationalisticus, in multis *monopolium statale* extollens) Status, quasi possessor et dispensator omnium mediorum et iurium, sibi talem vindicat activitatem in ordine ad procurandum commune bonum, quae summopere comprimat liberam et nativam activitatem atque facultatem agendi individui, familiae et privatarum consociationum.

Quare seorsum videndum est de ambitu iurium Status respectu individuorum et familiarum (art. III).

## Articulus II

### Auctoritas socialis in Statu

**155. Auctoritatis civilis ortus e iure naturae.** – E naturali necessitate societatis civilis sequitur etiam omnis civilis potestatis ratio et fundamentum. Cum enim insitum homini natu-

Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt ». Litt. Enc. *Immortale Dei*, § 14, Sanctum igitur.



ra sit, ut in societate civili vivat, cumque nulla possit societas salva consistere, nisi in ea sit supremum quoddam principium regens, ordinans et communi impulsione omnia efficaciter dirigens cum vi obligandi, efficitur civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, qua regatur: quae, non secus ac societas, a natura, proptereaque a Deo ipso, oriatur auctore.[1]

Equidem vis obligandi, in imperio existens, non est vis quaedam solummodo externa seu mere physica, sed vis interna actiones attingens hominum qua animalium rationalium; moralis namque ordo qui ex ipsa rerum natura, ideoque Deo auctore, officia necessario connexa cum sociali consortio imponit menti hominum rationali, imponit consequenter officium obtemperandi et obsequendi civili imperio, per quod unice idem ordo socialis consortii curatur ut practice subsistere et servari in Statu possit.

Hinc sicut falsae respuendae sunt opiniones de origine societatis quae a doctrina hucusque exposita alienae sunt, reiiciendae sunt pariter logicae quoque consequentiae, perniciosissimae quidem, ex iisdem falsis opinionibus descendentes, quibus imperii *suprema ratio* habetur vel *vis externa*, coactio, seu fortioris potentia, vel traditionum et morum *usus*, vel etiam hominum *consensus* aut maioris partis voluntas.

**156.** In *coactione et vi*, potius quam in naturali lege, esse immediatam et ultimam rationem civilis imperii docuerunt Spencer, Anschütz, Gumplowicz, etc.; alii vero ex *traditionibus* et *moribus* ortum potestatis civilis sicut etiam ultimam rationem iuris esse repetendam autumant, ideoque historicis factis investigandis vacant, ex iis tantum imperii fontem petentes: ita Machiavelli, Montesquieu, Savigny (qui tamen methodum applicat iuri

[1] Leonis XIII, Litt. Enc. *Immortale Dei*, § 6, Quoniam vero. Cfr. etiam eiusdem Pontificis Litt. Enc. *Diuturnum*, 20 iun. 1881 (*Acta Leonis XIII*, vol. II, p. 271 ss.).

http://www.obrascatolicas.com

privato potius quam publico), etc.; demum Hobbes, Rousseau, plurimique contractualistae, omnem fontem iuris imperii in *pacto sociali* adstruentes, vel absolutismum regium vel popularem sovranitatem foverunt.

Huiusmodi opiniones vero, dum praeseferunt singulae aliquid commentitium et fictum, nullam ex adverso proferunt solidam rationem serio elidentem argumenta quibus doctrina iuris naturalis socialis fulcitur; neque ad impertiendum valent politicae potestati tantum virium, dignitatis ac firmitatis quantum tutela reipublicae et communes civium utilitates requirunt.[1] Ea auem decora et praesidia universa tunc solum est habiturus principatus si a Deo augusto sanctissimoque fonte manare intelligatur.[2]

**157. De subiecto potestatis socialis in Statu.** – Profecto recte intelligendum est illud « omnis potestas a Deo »: agitur namque de potestate in se spectata, non de eiusdem possessione ex parte huius vel alterius determinati subiecti (cfr. n. 13 ss.). Deus, ut naturae auctor, hominibus imponit sociale consortium cum relativa auctoritate suprema omnino necessaria; sed nullus rex aut princeps aut reipublicae praeses in tali munere dici potest constitutus iure naturae aut divino positivo; nam determinatio subiecti a quo imperium exerceatur, e *factis humanis*, concurrentibus naturalibus quoque circumstantiis provenit, utique non sine arcanis Divinae Providentiae praesidiis.[3]

---

[1] Leonis XIII, Litt. Enc. *Diuturnum*, 29 iun. 1881 (*Acta Leonis XIII*, vol. II, p. 275 ss.); conceptus ex eadem epistola a nobis relati directe respiciunt commentum pacti socialis: at nemo non videt eadem cum pari efficacia defectus exprimere aliarum opinionum erronearum.

[2] Litt. Enc. *Diuturnum;* vid. etiam *Immortale Dei*, § 7, Ex quo illud; *Rom.*, XIII, 1: *Non est potestas nisi a Deo;* cfr. etiam *Prov.*, VIII, 15, 16; *Sap.* VI, 2, 4; *I Petr.*, II, 13-15; *Tit.*, III, 1; *I Tim.*, II, 1-2.

[3] Ex dictis patet quod, licet auctoritas non conferatur actu Dei immediato singulis principibus, non tamen sine ratione formulam hi adhibent secundum quam se imperium gerere dicunt *per grazia di Dio*. Biavaschi, *La concezione filosofica dello Stato moderno*, Milano, 1919. cap. II, § 10 ss., n. 42, p. 111.



Itaque integra res pendet ab illis eventis quibus idoneum determinatur potestatis subiectum, in quantum ponitur condicio necessaria et sufficiens ut sit organum a quo illae functiones exerceantur, quae in ipso iure naturae fundamentum et rationem sui habent.

**158. De constituenda regiminis forma.** – Cum nulla forma politici principatus sit a Deo, in quantum nec etiam per rerum naturam est determinata illa vel alia regendae societatis constitutio et ratio, sequitur determinationem civilis constitutionis uniuscuiusque Status ab institutione humana proxime pendere. Hinc Ecclesia semper docuit non prohiberi populos quominus, salva iustitia,[1] illud sibi genus comparent reipublicae quod aut ipsorum ingenio aut maiorum institutis, moribusque magis apte conveniat.[2]

Ex variis igitur reipublicae generibus nullum non probat Ecclesia, dummodo religionis morumve disciplina salva sit; ceterum si *de optima regiminis forma* quaestio fiat, absoluta responsio dari nequit: equidem genus illud optimum dici debet quod universim humanae naturae, deinde vero acquisitis iuribus, traditionibus, moribus, temporibusque, maxime coaptetur;[3] contra, perniciosum esset, traditiones populorum

---

[1] Idest in constituenda regiminis forma attendi debet ne naturaliter discreta imperantis populique iura contra naturam permisceantur, neque religionis morumve disciplina detrimentum patiatur. Quod vero spectat ad modos et facta quibus legitime pervenitur ad praecedentis regiminis reformationem cfr. Leonis XIII, Litt. Enc. *Au milieu*, 16 februarii 1892 (*Acta Leonis XIII*, vol. XII, p. 29, 31 ss.). Egregie haec exposita sunt etiam apud Billot, *De Ecclesia Christi*, Prati, 1909, p. 509 sq.; Güenechea, *Principia iuris politici*, Romae, 1938, p. 173, ss.

[2] Litt. Enc. *Sapientiae christianae* (*Acta Leonis XIII*, vol. X, p. 28); Litt. Enc. *Diuturnum* (*Acta Leonis XIII*, vol. II, p. 272).

[3] Equidem, « una forma di governo buona per un dato popolo ed in un dato stadio della civiltà di esso, può riuscire pessima presso un altro popolo ed un'altra civiltà ». Orlando, *Principi di diritto costituzionale*, Firenze, 1894, cap. II, § 70, p. 51.



http://www.obrascatolicas.com

violenter abrumpendo, ingenium moresve singulorum populorum posthabendo, illam velle extemplo regiminis formam universim introducere quae apud unum determinatum populum, isto vel illo tempore, apte floreat et vigeat.

## ARTICULUS III

### Status, individuus et familia

**159. Statolatriae error.** – Conceptus, quem plurimi politici habent de Statu deque eiusdem imperio, talis est sane qui, dum vim ac dignitatem praeseferat cuiusdam Numinis, cuius arbitrio et utilitate omne iusti et iniusti discrimen desumatur, de cetero humana iura, immo etiam divina in se adducat.

Hominis quidem iura et libertates abstracte extolluntur: re tamen a Statu talem homines formam civilem seu politicam accipere debent qua expolientur pluribus naturalibus suis iuribus circa familiam, proprietatem et religionem. Huius autem pantheismi politici principium et causa habetur commentum illud in Syllabo damnatum: *Status est omnium iurium fons et origo.*[1]

Denegata legis naturalis existentia, positivistae logice inde deduxerunt nulla esse iusta vel iniusta, nisi quae lege talia facta sunt et imposita eadem coactivitate qua sociale consortium impositum fuit, vel eisdem conventionibus et hominum placitis quibus orta est primum societas (Hobbes, Spinoza, Rousseau, Bentham, Kant, Fichte, Hartmann, Gumplowicz, etc.).

Hinc est quod Bergohm[2] scripsit verbum « positivum » nunquam esse adiiciendum verbo « iuri », utpote mere pleonasticum (cum esset *ius* = *ius positivum*): recentius autem Kelsen[3] posuit

[1] *Syll.*, prop. 39: « Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus ». DENZ., n. 1739.

[2] BERGOHM, *Iurisprudenz und Rechtsphilosophie*, Leipzig, 1892.

[3] Vid. KELSEN, *Das Verhältnis von Staat und Recht im Lichte der Erkenntniskritik*, Wien, 1921, *Der soziologische und der juristische Staatsbegriff*, Tübingen, 1922.



aequationem nedum inter *ius* et *ius statuale*, quinimmo inter *ius* et *Statum*.

Nec minus audaces sunt, similia consectaria ponentes (aliis tamen atque aliis principiis praemissis), illi qui *totalitarismum* statalem profitentur: sive omnem vim iuridicam obligandi, repetant a nationis seu etiam stirpis exigentiis et finibus (*totalitarismus hypernationalismi*) sive eandem unice repetant ex exigentiis et placitis communitatis proletariae (*totalitarismus communismi et socialismi*); de quibus uberius infra, nn. 162 ss.

**160.** Iamvero etiam praescindendo a validissimis argumentis quibus existentia *iuris naturalis* invicte probatur, ex simplici consideratione assertionum scholae positivae, quae praeseferunt aliquid commentitii, absurdi et prorsus infensissimi ordini et potestati sociali, huiusmodi systema esse reiiciendum directe evincitur. Equidem, si Status omnium iurium esset fons et origo, tum:

1° *Officiorum iuridicorum nullum daretur securum et efficax fundamentum.* Non enim ultima ratio officii iuridici potest esse ipsa *lex* seu voluntas Status; haec enim ut vere obligans habeatur, supponit legitimum imperandi ius in Statu; iudicium vero de legitimitate huius potestatis efformari debet independenter ab ipso Statu, secus idem per idem explicaretur et iustificaretur.[1] Sublato igitur iure naturali, tollitur omnis character iuridicus in instituto statali; neque dici posset obligationem oboediendi civili imperanti *ex contractu* sociali vim suam habere: nam iterum quaestio exurgit, undenam oriatur servandi initi contractus obligatio, qua iubemur fidem datam servare. Nec, ceterum dici potest hanc iuris obligatorietatem productam fuisse cum ipso iure, paullatim sub influxu morum et traditionum popularium: in ipsis enim

[1] « Il naturalista che concepisce il diritto come il prodotto puro e semplice della volontà dello Stato, dimentica che lo Stato astratto dal diritto non è più Stato ma moltitudine amorfa, e che egli deriva il diritto dallo Stato dopo aver *anticipatione mentis* derivato lo Stato dal diritto ». PETRONE, *La fase recentissima della filosofia del diritto in Germania*, Bologna, 1904, p. 80. Cfr. G. DEL VECCHIO, *Lezioni di Filosofia del diritto*, Roma, 1936, p. 381 ss.: eiusdem, *Saggi intorno allo Stato*, Roma, 1935, p. 11-18.

http://www.obrascatolicas.com

Status originibus existere debuit, cum legitimari debebat primum iussum quo imperium civile et ipsa lex esse et nuncupari potuit.[1] Porro consuetudo universalis ius supponit, non creat; et conscientia iuridica populorum, quae dicitur, non est nisi manifestatio iuris naturalis.

2° Praeterea *quodlibet iussum, dummodo legalitate indutum, iustum habendum esset,* quia legibus suis Status iura omnia conderet nec hominibus, independenter a voluntate Status, ius aliquod agnoscendum esset: igitur qui citra voluntatem Status, non agnoscit aliud principium iuridicum superius, immerito conquereretur de iniuriis sibi a quovis imperante illatis, omnis enim lex licet tyrannidem praeseferat, ius constitueret et observanda esset.[2]

3° *Norma unica iuris constituendi esset utilitas Status aut imperantium vis;* hinc Status fieret finis sibimetipsi et libertatis humanae oppressor intolerabilis. Iam, utilitas publica aliter atque aliter intelligi hominum malitia aut errore posset, ut de facto colligitur ex consideratione luctae inter classes quae a socialistis promovetur; fortioris usurpatio ac tyrannis specie iuris cohonestaretur, dum vicissim ii qui subiecti sunt iussa imperantis detrectare studerent, summumque imperium evertere ac suis placitis conformare utcumque licitum putarent.[3]

---

[1] BIAVASCHI, *La concezione filosofica dello Stato moderno*, Milano, 1919, cap. V, § 84, p. 224; cfr. etiam KATHREIN, *Recht Naturrecht u. positives Recht*, ed. 2ª, 1909.

[2] « Se noi distruggiamo le fonti della giustizia e dei diritti che da essa provengono... e non riconosciamo più per fonte di ciò che è giusto e di ciò che è retto se non la maggior utilità pubblica, noi diamo al governo una autorità senza limiti di sorta; noi cominciamo dallo stracciare la gran carta dei diritti dell'uomo, e non riconosciamo più nulla nell'uomo che rimanga libero e immune dall'azione della pubblica autorità ». ROSMINI, *Filosofia della Politica*, p. 194. Reapse: « Presupposta la tesi che solo lo Stato crea il diritto, difficilmente si trova il modo per affermare, di fronte allo Stato, l'esistenza di autonomi diritti di individui ed associazioni, diritti che lo Stato non pone, ma riconosce ». G. GONELLA, *Individuo e Stato*, in *Rivista internazionale di filosofia del diritto*, anno XIV, fasc. III, p. 435. Cfr. etiam G. DEL VECCHIO, *Saggi intorno allo Stato*, Roma, 1935, pp. 47-86.

[3] Hinc *communismus* agit cohaerenter et logice iuxta sua principia, quando nititur omni ope et vi potiri imperio: quo capto, omnia iustificabit specie iuris et utilitatis plebium. Cfr. infra, n. 164.



**161.** His autem omnibus principiis a vero aberrantibus et ipsorum funestis sequelis praestat opponere quid sapientia christiana hac super re doceat. Est enim doctrina Ecclesiae, sanae philosophiae plane conformis, supremam omnis potestatis normam esse in aeterna Dei lege, indeque omnem iuris legisve humanae mensuram et regulam esse repetendam.[1]

Itaque ex hominum legibus nonnullae in eo versantur quod est bonum malumve *natura,* atque alterum sequi praecipiunt alterumve fugere, adiuncta sanctione debita. Hinc sicut civilis societas humanam naturam non ipsa genuit, ita pariter nec bonum procreat naturae conveniens, nec malum naturae dissentaneum: quin potius haec bona et mala ipsam hominum societatem antecedunt, omninoque sunt a lege naturali, ac propterea lege aeterna repetenda. Alia vero civilis potestatis praescripta non naturale ius statim et proxime, sed longius et oblique consequuntur, resque varias definiunt, de quibus non est nisi generatim atque universe naturâ cautum.

Si quid igitur ab aliqua potestate statuatur, quod a prin-

---

[1] « Compertum omnino est primum altioremque malorum fontem, quibus hodierna afflictatur civitas, ex eo scatere, quod universalis de morum probitate pernegetur ac reiiciatur norma, cum in privata singulorum vita, tum in ipsa re publica atque in mutuis necessitudinum rationibus quae inter gentes nationesque intercedunt, ipsa videlicet naturalis lex detrectatione oblivioneque obruitur.

Haec naturalis lex, veluti fundamento, innititur Deo, omnipotenti omnium creatore ac patre, eodemque et supremo perfectissimoque legum latore et saepientissimo iustissimoque humanarum actionum vindice. Cum temere aeternum renuitur Numen, iam cuiuslibet honestatis principium labat nutans, iamque naturae vox silet vel pedetentim debilitatur, quae indoctos etiam ac vel eos edocet, qui nondum ad civilis cultus usum pervenerunt, quid fas sit, quid nefas, quid liceat quidquid non liceat; eosque admonet se aliquando coram Supremo Iudice de bene maleque factis suis rationem esse reddituros ». PIUS XII, Litt. Enc. *Summi Pontificatus*, 20 octobris 1939 (*A. A. S.*, vol. XXXI, pag. 423).

http://www.obrascatolicas.com

cipiis rectae rationis dissideat, vim legis nullam habet, quia nec regula iustitiae est, et omnes a bono, cui nata societas est, abducit. [1]

**162. De Statu totalitario.** – Ex dictis de conceptu materialistico quem pseudopolitici plurimi habent de Statu deque eius iuribus, facile sequitur maximum individuorum iura detrimentum in ordine politico subire nostris temporibus. Communismus, socialismus, schola pacti socialis, schola historica, in disciplinis iuridicis ex *materialistico* principio procedentes atque iuri naturali valedicentes, omnem teleologiam etiam in ordine iuridico everterunt; et aliis sane principiis, cum iisdem autem consectariis, omnipotentiam et praepotentiam statalem recentioribus temporibus extollebant nonnulli ex theoreticis hypernationalismi et « national-socialismi ». Ab his enim Natio negatur habere finem specificum et determinatum extra semetipsam, hinc nulla relinquitur via ad vindicanda iura laesa dignitatis humanae, seu propria et nativa individui familiaeque iura contra praepotentem vim statalem.

Opportunum est igitur, antequam ad defensionem iurium individui, familiae, Ecclesiaeque argumenta praebeamus, fusius exponere fundamentalia doctrinae totalitarismi principia.

**163. Totalitarismus in Statu hypernationalistico,** alterutram, ex duabus distinctis, fontem ac radicem habere potest: *a*) vel falsam ideam et aestimationem *nationis* tamquam supremi boni supremique finis, *b*) vel falsum cultum *stirpis* seu

[1] Litt. Enc. *Libertas* (v. *Acta Leonis XIII*, vol. VIII, p. 220). Quam distat haec christianae sapientiae excellentia ab inanibus pseudoscientiae positivistarum verbis! Ex. gr. iuxta Rousseau (*Le contrat social*, II, c. 12), populus « est toujours le maître de changer ses lois, même les meilleures; car s'il lui plait se faire mal à lui-même, qui est ce qui a le droit de l'en empêcher? ». Igitur, nec plebis nec tyranni voluntas iustum iniustum facere valet. « Illud stultissimum, existimare omnia *iusta* esse, quae sita sint in populorum institutis aut legibus », Cic., *De legibus*, I, 15.



sanguinis. Igitur evehere nationem, [1] vel indolem sanguinis provehere, [2] fit suprema lex ac finis omnium ultimus. Huic fini nationis augendae vel indolis stirpis provehendae, omnia subiici debent: bonum individui, iura familiae, educatio iuventutis, influxus religionis, ordo oeconomicus etc.

Hinc fons primus et regula *universi ordinis iuridici et moralis* est « bonum nationis » vel « instinctus stirpis ». [3]

Proveniunt autem, ex his principiis, ut evidens est, consectaria multa, infensissima individuis, familiae, religionisque incolumitati et iuribus. Nam Status, intuitu boni communis nationis, seu perfectionis stirpis et sanguinis, habet ius quoddam absolutum:

1° *quoad individuos,* [4] quorum facultates personales, licet

[1] Hypernationalismus non solum inter Europae gentes invenitur, sed et in Asia et in Africa suos habet asseclas, nec excludi possunt quaedam Americae Meridionalis nationes.

[2] « Tutte le grandi questioni che si presentano in un dato tempo sono soltanto questioni del momento e sono soltanto conseguenze di certe cause. Fra loro una sola è veramente di importanza principale: la questione della conservazione della razza nazionale. *Nel sangue solo è fondata la forza e anche la debolezza di un popolo* » (A. Hitler, *Mein Kampf*, München, 1933, p. 372). Cfr. ea quae super retulimus, p. 267, not. 1. Praecesserat, autem, in vulgandis ideis de praeminentia stirpis et sanguinis Chamberlain. Hinc explicatur quarundam Nationum spiritus imperialismi, cuius consectarium est colonialismus super Nationes depressas.

[3] « Il diritto è innato. Deriva dai naturali sociali istinti degli uomini. Gli istinti sociali degli uomini sono differenti secondo le varie razze degli uomini. Da questo risulta che il diritto, secondo il suo spirito, è determinato dalla razza degli uomini. Esempi: *a*) Il diritto germanico-tedesco è il diritto di un gruppo di uomini nordici totalmente o quasi puro di razza; *b*) il diritto romano posteriore è il diritto di una popolazione mista nella razza... Nel centro della vita giuridica universale — come centrale idea del diritto — deve stare il concetto della razza. Nella politica dello Stato e nella legislazione lo sviluppo e la conservazione dei fondamenti della razza devono occupare il primo posto e precedere considerazioni economiche o altre. Questo concetto giuridico della razza deve essere anche il fondamento per l'applicazione e l'interpretazione della legge » (H. Nicolai, *Staat im Nationalistischen Weltbild*, 2ª ed., Leipzig 1934, pp. 14-15).

[4] « Antindividualistica, la concezione fascista è per lo Stato; ed è per l'individuo in quanto coincide con lo Stato, coscienza e volontà universale dell'uomo nella sua esistenza storica... Giacchè per il fascista, tutto è nello

http://www.obrascatolicas.com

naturales, pessumdantur: hinc leges de sterilisatione,[1] de retentione, de exilio et confinio; hinc leges quae officia singulorum erga Deum vel proximum impediunt, associationis ius denegant; ipsa demum decreta quibus et *ius ad vitam* denegatur infirmis vel iis qui Statui iam prodesse non valent;[2]

2° *quoad familiam*, cuius pessumdantur naturales exigentiae quae consequuntur patriam potestatem, parentum iura circa filiorum educationem,[3] ipsamque domesticam oeconomiam (unde leges quae monopolium statale educationis constituunt); matrimonium regunt criteriis stirpem seu sanguinem et nationalem vigorem respicientibus; filios patriae plus quam parentibus addicunt;

---

Stato, e nulla di umano o di spirituale esiste, e tanto meno ha valore, fuori dello Stato. In tal senso il fascismo è totalitario, e lo Stato fascista, sintesi e unità di ogni valore, interpreta, sviluppa e potenzia tutta la vita del popolo ». V. *Enciclopedia italiana di scienze, lettere ed arti*, vol. XIV, 1932, p. 847 ss., ad verbum *Fascismo*. Circa doctrinas national-socialismi cfr. HITLER, *Mein Kampf*, München, 1933, praesertim pp. 451 ss., 490, 501; ROSENBERG, *Der Mithus des XX Jahrhunderts*, München, 1933, pp. 117 et 118 (in indicem librorum prohibit. relatum, cfr. *A. A. S.*, XXVI, p. 93). Doctrinas hitlerismi circa Statum et individuum sic perstringit *La Civiltà Cattolica*, 1934, vol. II, p. 358: « Sull'individuo lo Stato ha tutti i diritti: di mutilarlo e di sopprimerlo, di blandirlo e di opprimerlo, di chiamarlo alla partecipazione della vita pubblica o di negargli i diritti civili. La fonte unica di tutti i diritti è la razza, e quindi lo Stato, il quale concede all'uomo certe facoltà, che può ritirare quando vuole e come vuole, senza rispetto alcuno alla persona umana ».

[1] « Lo Stato deve fare in modo che chi è sano generi figli; che sia scandaloso mettere al mondo bambini quando si è malati o difettosi; e che nel rinunziare a ciò consista il supremo onore. Ma, viceversa, dev'essere ritenuto riprovevole il sottrarre alla nazione bambini sani. Quindi lo Stato deve presentarsi come il preservatore di un millenario avvenire, di fronte al quale il desiderio e l'egoismo dei singoli non contano nulla e debbono piegarsi » (A. HITLER, *Mein Kampf*, II, pp. 446-448).

[2] Cfr. Decretum S. Officii 2 dec. 1940, *De directa insontium occisione ex mandato auctoritatis publicae peragenda* (*A. A. S.*, vol. XXXII, 1940, p. 553).

[3] « Dire che l'istruzione spetta alla famiglia, è dire cosa al di fuori della realtà contemporanea... Solo lo Stato, coi suoi mezzi di ogni specie, può assolvere questo compito. Aggiungo che solo lo Stato può anche impartire la necessaria istruzione religiosa, integrandola con il complesso delle altre discipline. Quale è allora l'educazione che noi rivendichiamo in maniera totalitaria? L'educazione del cittadino » (*Scritti e discorsi di B Mussolini*, vol. VII, pp. 111-112, Milano, 1935).



ius successionis hereditariae, sortis, foenoris, etc., criteriis *utilitariis* erga stirpem vel nationem determinant;[1] etc.

3° *quoad religionem*, demum, cuius influxus in tantum *permittitur* in quantum possit ad bonum stirpis vel ad emolumentum nationis aliquid conferre,[2] in ceteris vero vel impeditur, vel limitationibus in agendo constringitur, et prorsus regiminis voluntati subiicitur:[3] (unde leges quae Ecclesiae actionem *socialem* impediunt, scholas liberas vel confessionales oppugnant, pastorum magisterium intra limites sacrorum aedificiorum coarctant; relationes inter fideles et pastores, ius associationis, etc., plus minusve restringunt). Apprime autem notandum est omnium errorum synthesim quam supra exposuimus fuisse quidem in praxi deductam in praecipuis Statibus ipernationalisticis, at etiam plurimos Status sic dictos democraticos infectos esse, etiam nunc, nonnullis

---

[1] « Lo Stato nazionale deve, in questo riconoscimento del suo complessivo lavoro di educazione, mirare in prima linea non ad infondere una semplice volontà ma ad educare corpi sani. Solo dopo, *in seconda* linea, viene lo sviluppo della capacità spirituale...

« Lo Stato può intraprendere anche l'educazione delle ragazze, partendo dagli stessi punti di vista in cui si mette per svolgere l'educazione dei ragazzi. Anche qui si deve attribuire la maggiore importanza all'educazione del corpo, e *solo dopo* si deve pensare a promuovere i valori psichici e intellettuali » (A. HITLER, *Mein Kampf*, pp. 451-459). Verba omnia, in originali, sunt charactere nigro.

[2] « Riassumendo tutta la materia, la Relazione Solmi può legittimamente concludere: « Il Concordato assegna alla Chiesa Cattolica e ai suoi ministri (ecclesiastici e religiosi) una posizione di privilegio; ma ciò non in forza di una facoltà innata della Chiesa, che si riflette nei suoi ministri, come fu nei tempi trascorsi, ma per la missione che viene esercitata, missione che interessa lo Stato ». MISSIROLI, *Date a Cesare. La politica religiosa di Mussolini*, Roma 1929, p. 105 (In Indicem libr. prohib. relatus, Decr. S. Officii 25 ian. 1930, *A. A. S.*, vol. XXI, p. 24).

[3] « *Chiesa libera e sovrana; Stato libero e sovrano.* Possiamo trovarci di fronte a un equivoco: è urgente quindi chiarire le idee. Questa formula potrebbe far credere che ci sia la coesistenza di due sovranità. Un conto è la Città del Vaticano, un conto è il Regno d'Italia, che è lo Stato italiano. Bisogna persuadersi che tra lo Stato e la Città del Vaticano, c'è una distanza che si può valutare a migliaia di chilometri... Ma nello Stato la Chiesa non è sovrana e non è nemmeno libera. Non è sovrana per "la contradizion che nol consente": non è nemmeno libera, perchè nelle sue contradizioni e nei suoi uomini è sottoposta alle leggi generali dello Stato » (*Scritti e discorsi di B. Mussolini*, vol. VII, p. 32, Milano, 1935).

http://www.obrascatolicas.com

erroribus propriis totalitarismi. Hoc evidentissime patet, si consideremus leges de sterilizatione, de monopolio statali de educatione, de iure familiae etc., quae passim vigent in nonnullis quoque hodiernis Statibus democraticis.

**164. Totalitarismus in Statu communistico.** – Basis fundamentalis *marxismi,* praecipue in sua forma *communismi,* est in conceptu materialistico,[1] quo et origo et finis vitae circumscribitur; hinc prima et fundamentalis ratio denegationis iurium quae in principiis summis, tum naturalibus tum supernaturalibus, innituntur.

Ratio societatis, iuxta communistas, est in ordinatione laboris *communis,* in quo et felicitas materialis et perfectio intellectualis conquiritur. Quare, quo perfectior societas, eo magis complicata ordinatio laboris quae est fundamentum ipsius societatis: *hinc eo magis subordinatur individuus societati.*

En ergo nonnulla consectaria, ab ipsis inde deducta:

1° in *educatione iuventutis*[2] non permittitur alia instructio quae non sit collectivitatis; ideo

2° educatio ad Statum spectat et eo tendit ut pueros ad vitam communisticam praeparet; quare

3° nec Ecclesia nec parentes apti sunt vel aliquid iuris habent ad educationem impertiendam.

4° Ipsa *moralitas* vero non est nisi reflexus quidam conditionum socialium. Proletariatus (et hic intelligi debet collectivitas) proprium commodum ut unicam moralitatis et iuris normam

[1] « Seul le matérialisme dialectique a donné à l'humanité et en particulier au prolétariat son grand instrument de connaissance et d'action, et a montré l'issue de l'esclavage spirituel, dans lequel toutes les classes opprimées végétaient jusqu'aujourd'hui » (LENIN, *Trois sources et trois parties essentielles du marxisme,* Œuvres, tom. XVI, 353).

[2] Heic consideramus quae pressius ad « ius publicum ecclesiasticum » spectant: in sociologia essent examinanda consectaria quoad *repartitionem laboris et possessionem proprietatis* (individuum cedit collectivitati), etc.



agnoscit:[1] hinc neque iura familiae neque societatis alicuius religiosae ullimode verenda sunt. Deus autem describitur ut commentum humanum, in quodam evolutionis socialis tempore concinnatum; religio vero, a capitalistis ut instrumentum oppressionis servata, atque a proletariatu diu ut opium accepta, prorsus opprimenda et delenda est.

5° Porro, ad novum ordinem inducendum, sine *classium* disinctione, vis adhibenda est, omniaque media communistis probantur.[2]

Quare ipse Status, quo, durante lucta classium, communistae potiri debent, ut ipso utantur tamquam medio seu instrumento ad deprimendam religionem necnon actualem familiae et societatis organizationem, postea, cum proletariatus ultima vestigia societatis capitalisticae everterit, et ipse evanescet; fiet enim societas « absque classibus » (société sans classes) quae *Statu non indiget.*

Ex his omnibus patet qualis oppressor sit Status totalitarius in regimine communistico; quomodo individui, familiae, religionis iura nativa pessumdentur; qua demum ratione ius et iniustum, moralitas et immoralitas concipiantur.

[1] « Quand ils nous parlent de moralité, nous disons: pour un communiste, toute la moralité se trouve dans la discipline massive, solidaire, et dans la lutte consciente des masses contre les exploiteurs. Nous ne croyons pas à une moralité éternelle, et nous démasquons le mensonge de toutes les fables au sujet de la moralité.

« La moralité a pour but d'élever plus haut la société humaine, de la délivrer de l'exploitation du travail » (LENIN, *Oratio ad iuvenes communistas,* 4 oct. 1920; LENIN, *Œuvres,* tom. XVIII, p. 320).

[2] « Nous disons que notre moralité est entièrement subordonnée aux intérêts de la lutte des classes du prolétariat. Notre moralité se déduit des intérêts de la lutte des classes du prolétariat... pour nous la moralité, tirée en dehors de la société humaine, n'existe pas; c'est une déception. Pour nous la moralité est subordonnée aux intérêts de la lutte des classes du prolétariat » (LENIN, *Oratio ad iuvenes communistas,* l. c.); et alibi « Il faut être prêt à tous les sacrifices, et même, en cas de nécessité, à tous les stratagèmes, à la ruse, aux procédés illégaux, à couvrir la vérité, dans le but de s'introduire dans les syndicats, y rester et y accomplir malgré tout du travail communiste » (LENIN, *La maladie infantile du communisme, Œuvres,* tom. XVII, p. 145).

http://www.obrascatolicas.com

**165. Status et individuus.** – Ad tuenda igitur, contra Status opprimentis praepotentiam, nativa hominum, familiae, religionisque iura ac libertates, extollenda sunt primo illa fundamentalia *iuris naturalis socialis* principia quae christianae quoque sapientiae documentis confirmata sunt ac validissime roborata; primum omnium urgenda est vera doctrina *de fine Status* (v. supra, n. 153), de origine iuris (n. 160) deque naturalibus hominum familiarumque condicionibus; sane catholica doctrina dumtaxat valet hominum iura tueri ac promovere: « non enim ob hanc caussam genuit natura societatem ut ipsam homo sequeretur tamquam finem, sed ut in ea et per eam adiumenta ad perfectionem sui apta reperiret ».[1] Quod vulgatur hoc effatu: *individuus non est pro Statu, sed Status pro individuo,* qui iuribus quibusdam nativis perfruitur, et officiis erga proximum, familiam ac Deum ligatur natura, prius quam erga ipsum Statum et independenter a Statu: quibus officiis et iuribus servatis, individuus non eximitur ab illa cooperatione et subordinatione qua quisque ad bonum commune in Statum aliquid confert; immo ex hac consona relatione et tuitione iurium et officiorum bonum individuale et sociale simul consurgit maximeque fovetur.[2]

**166. In individuis** ergo oportet primum ut Status revereatur *dignitatem personae,* quae, vi suae rationalis naturae, *libertate* praedita est ad bonum operandum, quaeque Dei

[1] Enc. *Sapientiae christianae* (*Acta Leonis XIII*, vol. X, p. 11). Cfr. Biavaschi, *La concezione filosofica dello Stato moderno*, Milano, 1919, p. 292 ss.

[2] « Ogni conflitto tra i due termini, individuo e Stato, scompare, o, per dir meglio, è superato, quando ci liberiamo dal concetto di individualità empirica, arbitraria, capricciosa e quando moviamo dall'idea di uno Stato, che si autolimita, cioè riconosce alcuni limiti derivanti dal costume, dalla Religione tradizionale, dalla scienza, dall'arte, dalla filosofia e dalla stessa forma del diritto ». G. Gonella, *Individuo e Stato*, *Rivista internazionale di filosofia del diritto*, anno XIV, fasc. III, p. 448-449.



largitate *ad vitam supernaturalem* in futuro saeculo ducendam ultimo est destinata.

Status igitur respectu individui est ordinatus ad condicionem vitae perfectam procurandam hominibus, tuendo in eis iura et dignitatem personae (vitam, integritatem, commoda temporalia, famam, educationem etc.); tum etiam fovendo ordinatum usum suae libertatis, ita ut quandocumque ea homo utatur ad bonum, seu ad moralitatem, honestatem, religionem, charitatem etc., Status nequeat eam coarctare (ius associationis, connubii et familiae; officia religiosa, etc.): eius est quidem, adiuvare, supplere[1] insufficientiam activitatis singulorum in ordine ad bonum commune, impedire (iustis quidem et honestis[2] mediis), id quod detrimento esse potest publico bono, numquam vero prohibere aut denegare naturalem agendi facultatem in limitibus honestatis et publici ordinis manentem. Demum Status finem suum prosequetur, in bonum subditorum illam vitae humanae publicam

[1] « La società è voluta dal Creatore come mezzo per il pieno sviluppo delle facoltà individuali e sociali di cui ha da valersi, ora dando, ora ricevendo, per il bene suo e quello degli altri. Anche quei valori più universali e più alti che possono essere realizzati non dall'individuo, ma solo dalla società, hanno, per volontà del Creatore, come ultimo scopo, l'uomo naturale e soprannaturale ». Pii XI, Litt. Enc. *Mit brennender Sorge,* 14 mart. 1937 (versio ital. in *A. A. S.*, vol. XXIX, pag. 181 sq.).

[2] Et sic patet quid sit dicendum de lege *sterilisationis* in Germania, die 14 iulii 1933 lata, « ad praecavendam prolem transmissione hereditaria mancam ». Cum enim illa operatio ob talem finem ipso iure naturae prohibeatur (neque enim homo privatus neque auctoritas publica directum in membra corporis dominium habeat quod *eo usque extendatur*) iussum Civitatis non potest efficere ut eadem actio non sit intrinsecus mala *ob defectum iuris in agente.* Cfr. Litt. Enc. *Casti connubii,* 31 dec. 1930 (*A. A. S.*, vol. XXII, 1930, p. 565); Decr. S. Officii, 18 martii 1930 (*A. A. S.*, vol. XXIII, 1931, p. 118); item Decr. S. Officii die 24 febr. 1940 (*A. A. S.*, vol. XXXII, p. 73).

Tali lege ergo, Status, qui deberet tueri individuorum integritatem physicam naturalem, ipsam e contra violat praetextu boni speciei seu stirpis; hoc bonum Status procurare debet mediis honestis, seu ad quae ius habet (normis hygienicis, nosocomiis, educatione, morum tuitione, religioso influxu, etc.) non iis ad quae ius non habet, quae laedunt *naturalia* iura hominum, et quae *vero* bono communi sunt contraria (quia, in casu, medium illud morum corruptioni favet).

http://www.obrascatolicas.com

conformationem instaurando, quae apta sit provehere etiam singulorum civium gressus ad supremam aeternitatis destinationem.

Si Status aliter ageret quam iuxta has supremas normas, iniuria ageret: societas enim humana eiusque bonum — ideoque et eius iura — ipso naturae ordine et legibus *mensuram sumunt a natura hominum qui in ea sociantur*, et non e converso.

Praecipua vero exempla violationis iurium individuarum personarum sunt monopolium statale educationis, actionis socialis, beneficentiae, laboris,[1] necnon coarctatio libertatis associationis, vel libertatis connubii absque stirpium distinctione, etc.

**167. Respectu familiae,** Status vereri debet omnia iura quae ortum domesticae societatis naturaliter consequuntur, independenter a voluntate Status; imo quoniam societas domestica est inter humanas societates ordine prima et quasi parens ac fundamentum ceterarum, vere dici potest iura eius praecedere iura Status qui tandem aliquando oritur ad supplendam individuorum et familiarum insufficientiam.

Equidem principia iuris naturalis quibus familia regitur, — quaeque eam respiciunt tum in sua formatione seu in *matrimonio*, tum in suo fine principali, seu in *prolis procreatione et educatione*, tum in sua conservatione ordinata, seu in communicatione *mutui auxilii* inter membra et in exercitio *paternae potestatis* — determinationem quidem accipere possunt a legibus civilibus, itemque auxilium ad supplendas deficientias, non vero destructionem aut coarctationem.

Imo attendi etiam debet matrimonium non solo iure naturali sed etiam iure divino positivo regi, priusquam iure civili; hinc legislatio Status duplicem limitem habet: limitem iuris naturalis et iuris divini positivi, ideoque et ecclesiastici.

His autem principiis legislatio illa opponitur qua v. gr. Statui libera addicitur dispositio de substantia et effectibus insepa-

[1] Cuiusmodi esset exemplum in denegatione libertatis professionis, cuius selectionem pro singulis individuis socialistae vellent tribuere Statui. De hac quaestione plura scripserunt WORMS, *Organisme et société*, Paris, 1895, FRANZ, *Die Wahl des Berufs*, 1876.



rabilibus matrimonii, vel qua in Statu constituitur potius quam functio integrativa activitatis familiae pro educatione prolis, verum et proprium monopolium scholare, et talis rerum ordo quo familia et parentes omni fere destituantur iure circa pueros adolescentesque, iidem antequam « cives » fiant, veluti reipublicae proprietas seu res habeantur, eiusque arbitrio unice subsint,[1] quoad ipsorum plenam institutionem.[2]

Qua in re, alte repetendum et proclamandum est inter officia et iura quibus ab Auctore naturae familiae ornata est, praecipuum quendam locum tenere ius et officium educationis prolis: quod quidem, ab auctoritate civili auferri nequit[3] sicut nec ab ea est concessum sed a natura.

## ARTICULUS IV

### Status et Religio

**168. Religio ipso iure gentium civitatis fundamentum.** – Non unius vel alterius populi dumtaxat, sed omnium sane gentium, cuiuscumque aetatis, sive barbarae hae fuerint sive excultae, universalis fuit persuasio societatis legumque omnium fundamentum esse religionem. Quae universalis et constans generis humani mens, evidentissime, naturale ius indicat.

Enimvero religionis utilitas, imo necessitas, in civitate constituenda et firmanda, illa saltem animadversione demon-

[1] « Ex hoc cogitandi agendique modo, id discriminis oriri potest, ut domesticus etiam convictus, primus ille ac necessarius humanae societatis fons atque eius profectus eiusque commoda perinde considerentur, quasi ad nationis imperium dominationemque unice respiciant; itemque ut oblivioni detur homines eorumque familias suapte natura civitatem antecedere, ac Divinum Creatorem peculiaria utrisque dedisse iura facultatesque, iisdem destinasse munus, quod naturalibus ac certis necessitatibus respondeat ». PIUS XII, Litt. Enc. *Summi Pontificatus*, 20 oct. 1939 (*A. A. S.*, vol. XXXI, p. 433 sq.).

[2] HITLER, *Mein Kampf*, München, 1933, p. 490.

[3] Exceptis *peculiaribus* casibus, v. gr. indignitatis, vel inhabilitatis cum ex ipsa rei natura civitatis interventus necessarius evadit.

http://www.obrascatolicas.com

stratur quae vel ipsos ethnicos non effugiebat: quod videlicet redundent in ordinem morum, tranquillitatis et iustitiae socialis maxima emolumenta ex religione, cum neminem lateat « quam multa firmentur iureiurando, quantae salutis sint foederum religiones, quam multos divini supplicii metus a scelere revocaverit, quamque sancta sit societas civium inter ipsos, diis immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus ». [1]

Hinc docebat Plato primam in omni republica bene constituta curam esse de vera religione, veramque reipublicae basim esse religionem; [2] asserebatque Plutarchus persuasum sibi esse facilius urbem condi sine solo posse quam, religione penitus sublata, civitatem coire atque constare. [3] Piissimum vero Numam, religionis romanorum ordinatorem, laudat Eutropius, quod «non minus civitati, quam Romulus profuit: nam et leges romanis, moresque constituit, qui consuetudine praeliorum iam latrones ac semibarbari putabantur »; [4] omnemque rei romanae prosperitatem ac fortunam ex religione Cicero repetebat: « nec numero Hispanos nec robore Gallos, nec calliditate Poenos, nec artibus Graecos... sed pietate ac religione atque hac una sapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus ». [5]

**169. Religionis revelatae praecellens influxus socialis.** – Haec quidem si ethnici viri asserere potuerunt, quanto magis seu quam indubia persuasione, ex factis quoque corroborata, promulgari poterunt respectu religionis revelatae, cuius doctrina moralis uberrimorum fructuum in ordine individuali,

[1] Cic., *De legibus*, I, 7 ss.
[2] Cic., *De legibus*, II et X.
[3] Plut., *Adv. Colot. Epicur.* Cfr. etiam Arist., *Pol.*, II.
[4] Eutr., *Brev. hist. rom.*, I, 3. Hinc etiam Tacitus: « Numa religionibus et divino iure populum devinxit ». *Annal.*, III, 26.
[5] *Orat. de haruspicum responsis*, n. 9.



familiari et sociali est prae naturali religione [1] longe foecundissima, tum ob excellentiam praeceptorum, tum etiam ob efficaciam auxiliorum supernaturalium, ad eadem praecepta servanda, divinitus collatorum.

Sufficiat tantummodo nonnullos prae oculis habere textus Sacrae Scripturae (cfr. pag. sq., not. 1) ut statim appareat quam maxime Statum iuvet augeatque Ecclesia 1° *quoad iustitiam legalem*, quam Ecclesia fovet et defendit, 2° quoad supernam benedictionem quam iugiter ipsa infundit in homines singulos et communitates ita ut vere evadat *fons virtutum omnium*. [2]

I. Equidem, notat Cavagnis, « ipsa temporalis tranquillitas, quae est pars maxima temporalis felicitatis, nequit haberi absque vera moralitate, idest, nisi homines putent se ad leges civiles servandas aliorumque iura reverenda obligatos in conscientia; obligatio autem in conscientia perfecte non subsistit neque plene efficax est, nisi in Deo suum agnoscat auctorem ac vindicem; est autem religio quae haec docet et inculcat ». [3]

[1] Quae ceterum apud nullum unquam populum ita viguit (quemadmodum recte notat Audisio, *Iuris naturae et gentium fundamenta*, Romae, 1852, lib. I, tit. X, n. 12, p. 87 sq.), quin ille a theismo ad atheismum vel saltem ad polytheismum, aliaque monstra tum in speculativis, tum in moralibus non dilaberetur.

[2] Nec minus quam in nova Lege iam inveniebantur in Veteri Lege socialis iustitiae, caritatis, ordinis et pacis principia summa atque fundamenta. Prae oculis habeant civitatum rectores quanta in filiorum, parentum, civium atque potestatum institutione afferant incrementa illae sententiae ac sanctiones divinae quae v. g. in Eccl., cap. IV, leguntur.

[3] Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. I, n. 444. Iuvat autem nonnulla referre ex iis quae ipse Praeses Statuum Foed. Americae Septentr., F. Roosevelt, asserebat in ep. ad Summum Pontificem Pium XII, mensis decembris 1939:

« ... Il mondo ha ormai raggiunto per il suo bene un grado di civiltà capace di dare al genere umano sicurezza e pace, fondate sulla religione, come su solida base... Nel loro animo gli uomini si rifiutano di accettare la legge della distruzione, loro imposta da quelli che usano la forza brutale. Sempre tentano gli uomini, talora in silenzio, di ritrovare di nuovo la fede, senza la quale il benessere delle Nazioni e la pace del mondo non possono



http://www.obrascatolicas.com

Conferamus nunc efficaciam obligationis, mera sanctione civili munitae, cum efficacia obligationis legalis corroboratae obsequio religiosae conscientiae.

Primo quidem *sanctio mere civilis* extenditur ad ea tantum quae sunt maioris momenti; insuper non attingit nisi crimina externa et publica; praeterea facile potest vitari, v. g. fuga, testium collusione, iudicis indulgentia aut malitia aut ignorantia.

Qui vero oboedit ante omnia propter Deum in omnibus, etiam in minimis curat se bene gerere; scit autem nihil Deum latere omniaque ab eo supremo iudice esse tandem praemio vel poena afficienda, nec de manu eius ullum posse effugere.[1]

Dices, fortasse, educatione adduci posse homines ut officio pareant ex persuasione, seu ex formatione integrae conscientiae civilis; sed, praescindendo nunc a quaestione haecne via practica sit pro vulgo, seu pro multitudine populi, quaeritur quo principio fundari possit haec civilis conscientiae honesta et constans dispositio. Si *ad rationis lumen,* vel ad *utilitatis criterium,* vel demum ad *edonismum ethicum* appellas, criteria invocas quae practice inepta sunt, saltem quoad vulgum, cum supponant homines perfectos, passionibus non obcaecatos, egoismo non ligatos, idealismo semper ductos: at nemo est qui non videat, hoc inter chimaeras relegandum esse, praesertim ubi aeterna praemia despiciantur et sola terrestris felicitas inspiciatur.

---

essere ristabiliti... Gli uomini sanno che fino a quando non vi sia una certezza su alcuni principi direttivi e una fiducia nella Divina Provvidenza, le nazioni sono senza luce e i popoli periscono. Sanno altresì che la civiltà tramandataci dai nostri padri fu costruita da uomini e donne animati dalla profonda persuasione che tutti siamo fratelli perchè figli di Dio. Gli uomini credono che dalla sua santa volontà le inimicizie possono essere guarite: che nella sua misericordia il debole può trovar liberazione e il forte può trovar grazia nell'aiutare il debole... » (Cfr. *A. A. S.*, vol. XXXII, p. 13 et *L'Osservatore Romano,* 1939, n. 302).

[1] En ex. gr. quomodo ad disciplinam Romanos Paulus erudiat: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: *non est enim potestas nisi a Deo*: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed *propter conscientiam* » (*Rom.*, XIII, 1, 2, 5); et S. Petrus: « Subiecti igitur estote omni humanae creaturae *propter Deum*: sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum » (*I Petr.*, II, 13, 14).



Hinc mirum non est si permulti rerum scriptores, in quibus certe pietas in Deum aut saltem obsequium erga Ecclesiam prorsus desiderabatur, tamen ob considerationem bonorum quae ex religione in publicam moralitatem defluunt, ipsam religionem reipublicae optimam adiutricem itemque libertatis humanae columen agnoverint.

II. Sed ulterius bona quae societati obveniunt ex religione, ex eo praesertim diffluunt quod ipsa sit non solum iustitiae legalis tutrix sed etiam privatarum virtutum omnium fons et subsidium: officiorum namque singulorum ab ipsa sapienter constituta est descriptio, et ad ea servanda coelestibus muneribus auxiliatricem fert opem. Vera enim religione maxime iura officiaque inter coniuges sapienti iustitia et aequitate reguntur; liberorum tuitioni, commodis institutioni optime consulitur; ac denique ponitur in mutuis civium relationibus et officiis caritas, benignitas, liberalitas.[1]

Horum vim bonorum Augustinus perspiciens, Ecclesiam his verbis appellat: « Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli oboedientia subiicis. Tu viros coniugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subiungis, parentes filiis pia dominatione praeponis. ... Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur iniuria ».[2]

---

[1] Litt. Enc. *Immortale Dei,* § 29 Eiusmodi est, et § 30 Similiter.

[2] *De moribus Ecclesiae catholicae,* c. 30, n. 63 (M. L. 32, col. 1336, 1337); ipseque Augustinus: « Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem quales doctrina Christi esse milites iussit; dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae; imo vero non dubitent eam profiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae ». *Ep.* 138 (al. 5) *ad Marcellinum*, c. 2, n. 15 (M. L. 93, col. 532).

http://www.obrascatolicas.com

**170. Atheismus, naturalismus, indifferentismus statalis, novissimus liberalismus catholicus.** – Sunt qui putent satis quidem esse si nutu legum divinarum dirigantur utique vita ac mores privatorum, civitas vero libertatem omnimodam relinquat civibus in profitenda ea, quam maluerint, religione: quo facto non impeditur beneficus religiosae praxis influxus in publicos mores; sed ex alia parte autumant ipsius civitatis nullam esse debere de revelata religione curam, optimamque societatis publicae rationem civilemque progressum requirere ut humana societas constituatur et gubernetur nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine. [1]

1. Rudior igitur forma huius erroris est **atheismus statalis** contra quem ratio naturalis ipsaque Status utilitas ac finis pugnant.

Equidem « *natura et ratio* quae iubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus, et quod, ab eo profecti, ad eundem reverti debemus, *eadem lege* adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate coniuncti, nihilo sunt minus in Dei potestate quam singuli; neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum quibus affluit copiam accepit.

Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem... eodem modo Civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere... ». [2]

Sed praeterea Status atheus non posset practicas illas *utilitates* et magna commoda ex religione percipere de quibus supra (n. 169) dictum est: parum enim vel nihil prorsus valet assertio de relinquenda civibus libertate profitendi religionem, cum ex

[1] Pii IX, Litt. Enc. *Quanta cura*, 8 dec. 1864.

[2] Litt. Enc. *Immortale Dei*, § 12 Hac ratione, § 13 Quapropter; cfr. etiam Litt. Enc. *Libertas* (v. *Acta Leonis XIII*, vol. VIII, p. 231).



laica et athea legislatione necessario sequantur impedimenta verae religiosae libertati, ipseque populus ad abiiciendam religionem ac moralitatem paullatim adducatur.

Ceterum *finis* societatis civilis, ut iam notavimus (n. 152 sq.) est bonum quidem temporale, sed humanae naturae eiusque supremae destinationi conveniens, idest cum ordinatione ad perfectam hominis beatitudinem supernaturalem; igitur cives, in officiis et legibus quibus reguntur, adiuvari debent, ut rite ordinentur ad finem supremum consequendum, ad quem divinitus destinati sunt. [1]

2. **Naturalismus** vero divinam respuit religionem, utpote quae captum humanum excedat, hinc publice deferendum esse contendit naturali dumtaxat religioni, quae nempe mentis acie apprehenditur ac lubitu cuiusque effingitur. Quo facto, aiunt rationalistae, naturali instinctui religioso satisfit a Statu, simulque inde moralis influxus religionis in civitatem persentitur, quin ullius laedatur conscientiae libertas aut religiosa opinio. [2]

Huc spectat conamen praeteriti regiminis nationalsocialismi in Germania, fovendi vagam quamdam religiositatem civium « credentium in Deum » (quos vocabant), forma quadam ethnico-naturalistica, vere deceptiva animarum. [3]

[1] Litt. Enc. *Au milieu*, 16 febr. 1892 (vide *Acta Leonis XIII*, vol. XII).

[2] *Naturalismus* et *indifferentismus* parum practice differunt ab *atheismo*, ut vel ipsa verba rationalistarum ostendunt: « Libertà di coscienza, libertà di pensiero, libertà di culto domandano che lo Stato abbracci l'indifferenza assoluta in materia di religione; ossia l'ateismo pratico ». Salviati, *Chiesa e Stato*, p. 283.

[3] Praestat autem haec referre, quae Pius XI de sic dicta fide « credentium in Deum » Germaniae (« Gottgläubigkeit ») in Litt. Enc. *Mit brennender Sorge* luculenter exposuit: « Non si può considerare come credente in Dio colui che usa il nome di Dio retoricamente, ma solo colui che unisce a questa venerata parola una vera e degna nozione di Dio.

Chi con indeterminatezza panteistica identifica Dio con l'universo, materializzando Dio nel mondo e deificando il mondo in Dio, non appartiene ai veri credenti.

Nè è tale chi, seguendo una sedicente concezione precristiana dell'antico germanesimo, pone, in luogo del Dio personale, il fatto tetro e impernale, rinnegando la sapienza divina e la sua provvidenza, la quale "con forza e dolcezza domina da un'estremità all'altra del mondo" (*Sap.* 8, 1) e tutto dirige a buon fine. Un simile uomo non può pretendere di essere annoverato tra i veri credenti » (trad. it. *A. A. S.*, vol. XXIX, p. 171).

http://www.obrascatolicas.com

Sed primum omnium sicut individuus religionem sequi debet non quamlibet aut meram naturalem, sed *quam Deus iusserit*, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit, eodem modo civitates debent eum in colendo Numine morem modumque usurpare quo coli se Deus ipse demonstravit velle.

De facto ipse Deus multifariam multisque modis locutus est hominibus ipsosque divina religione divinoque cultu sibi devinxit; ipsa autem naturalis ratio nedum revelationis possibilitatem dictat, sed et veritatem existentiae eiusdem attingere valet. Naturalismus igitur contradicit etiam recto usui humanae rationis, et, spernens religionem revelatam, privat societatem medio illo efficaci quo unice ordo socialis recte procedere valet. Quare etiam naturalismus in perniciem Status non minus quam atheismus cedit.

Sane non quaelibet religio, hominum opinionibus accommodata, valet gentes in officio continere, sed illa dumtaxat quae definitum imperantis Dei codicem imponit, ex quo religiosa iura constituantur. Religio vero mere naturalis immediatam, seu divinis oraculis promulgatam, caelestem sanctionem non praefert; insuper, paucis generalibus principiis exceptis, quoad reliqua hominum ingeniis, moribus, legibusque paret potius quam imperet; praeterea ex hominum progressu adiuvatur potius quam eos adiuvet, et in populis incultis sequitur opprobria condicionis illarum gentium; demum naturae infirmitatem non elevat, cupiditates vix coërcet, totumque hominem dubitationibus ac tenebris obvolutum sibi ipsi relinquit.[1]

---

[1] « Sulla fede in Dio genuina e pura si fonda la moralità del genere umano. Tutti i tentativi di staccare la dottrina dell'ordine morale dalla base granitica della fede, per ricostruirla sulla sabbia mobile di norme umane portano, tosto o tardi, individui e nazioni al decadimento morale. Lo stolto che dice nel suo cuore: "non c'è Dio" (*Salmo* 13, 1 e ss.) si avvierà alla corruzione morale. E questi stolti che presumono di separare la morale dalla religione, sono oggi divenuti legione. Non si accorgono, o non vogliono accorgersi, che col bandire l'insegnamento confessionale (ossia chiaro e determinato), dalle scuole e dall'educazione, coll'impedirgli di contribuire alla formazione della società e della vita pubblica, si percorrono sentieri di impoverimento e di decadenza morale. Nessun potere coercitivo dello Stato, nessun ideale puramente terreno, per quanto grande e nobile, potrà sostituire a lungo andare i più profondi e decisivi stimoli che provengono dalla fede in Dio e in Gesù Cristo. Se a chi è chiamato ai più ardui cimenti, al sacrificio del suo piccolo *io* in bene della comunità, si toglie il sostegno morale che gli viene dall'eterno e dal divino, dalla fede elevante e consolatrice in Colui che premia ogni bene e punisce ogni male, allora il risultato finale per innumerevoli uomini non sarà l'adesione al dovere, ma piuttosto la diserzione. L'osservanza coscienziosa dei dieci Comandamenti di Dio e dei precetti della Chiesa, i quali ultimi non sono altro che regolamenti derivati dalle norme del Vangelo, è per ogni individuo un'incomparabile scuola di disciplina organica, di rinvigorimento morale e di formazione di carattere. È una scuola che esige molto, ma non oltre le forze. Dio misericordioso, quando ordina come Legislatore: "*tu devi!*", dà con la sua grazia la possibilità di eseguire il suo comando. Il lasciare quindi inutilizzate energie morali di così potente efficacia, o sbarrare coscientemente ad esse il cammino nel campo dell'istruzione popolare, è opera da irresponsabili, che tende a produrre deficienza religiosa nel popolo » Pius XI, *Mit brennender Sorge* (vers. ital. in *A. A. S.*, vol. XXIX, p. 180).



3. Verum, **indifferentismi** sectatores, innixi falso supposito non satis constare quaenam sit vera religio, neque ullum haberi supremum iudicem competentem cuius sit rem controversam hanc dirimere, dicunt practice relinquendam esse libertatem cogitandi et colendi Deum prout singulis civibus placeat: quae libertas conscientiae, inquiunt, non servaretur, si Status uni tantum religioni determinatae adhaereret. Opportunius esse concludunt Statum aeque esse affectum erga omnes religiones, omnibusque tribuere protectionem, ut omnes simul suum tributum conferant in bonum publicae tranquillitatis et moralitatis.

Sed primum omnium, eaedem rationes quae contra atheismum statalem et naturalismum adductae sunt, aeque urgent contra indifferentismum politicum. Vetat iustitia, vetat ratio societatem nedum atheam esse, sed etiam, quod in theismum recideret erga varias religiones pari modo affectam, eademque singulis iura promiscue largiri.[1]

Cum enim sit unius religionis necessaria in civitate professio, dictat ratio eam esse profitendam quae unice *vera* sit. Equidem qui indifferentismum in rebus religiosis profitetur, speculative verum et falsum aeque accipiendum, atque practice virtutem et vitium indifferenter esse sequenda tenet. Iustitia autem vetat damnum civibus inferre quod ex indifferentismo statali certissi-

---

[1] Litt. Enc. *Libertas* (loc. cit., p. 231), Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. I, n. 523, p. 339 sq.; Billot, op. cit., p. 43 ss.

http://www.obrascatolicas.com

me provenit: Status enim aeque se habendo erga omnes religiones, ideoque et erga falsas sectas, indigne agit contra bonum populi, cum magistros falsitatis et erroris promoveat, ipsisque facultatem tribuat malum praebendi subditis, et in periculo cives constituat amittendi supremum bonorum omnium, ita removens cardinem moralitatis socialis,[1] et spretui exponens id quod divinum est et anima veri progressus.

4. *Novissimus liberalismus catholicus.*

Non minus periculosi sunt hodierni *liberalismi catholici* errores, qui sub specie obsequii erga democratiam captiose ledunt principia catholica de officiis Status erga Ecclesiam.[2] Sane percipiunt difficultates quae suis doctrinis opponuntur ex magisterio Ecclesiae, praesertim ex Romanorum Pontificum Encyclicis hoc super argumento datis: quibus se expedire conantur asserendo in Encyclicis Litteris distinguendam esse partem permanentem ab ea parte quae mutabilis est, secundum temporum et historiae vicissitudines. Hinc asseverant doctrinam anteactis temporibus a theologis et a Romanis Pontificibus pro exactae aetatis circum-

[1] Exemplum praebebat diffusio atheismi in Republica Cecoslovacha, ubi indifferentismus statalis quam maxime vigebat. Census habitus anno 1921 ostendit tunc temporis fuisse in Republica 724.503 incolas, qui expertes omnis confessionis religiosae sese declararent. In sola Bohemia 560.370 fuerunt, ubi in censu anni 1910 perpauci fuerant. En autem effectus, qui in publicos mores manarunt: anno 1912 in Bohemia sancitae fuerant 472 separationes coniugum a « thoro », dum anno 1919 creverunt ad numerum 2859, et anno 1920 ad numerum 3610: pariter divortia anno 1912 fuerunt in Bohemia 28, anno autem 1919 aucta sunt ad numerum 1633 et anno 1920 ad numerum 2284. Ab anno 1910 ad annum 1923 civium numerus imminutus est 117.031. — In Lusitania vero effectus instaurationis regiminis laici, per legem separationis die 20 aprilis anno 1911 promulgatam, deduci possunt vel ex hoc tantum consectario in ordine morali: iuxta relationes officiales (statisticas), anno 1933 nati illegitimi in Lusitania fuerunt 40,41 inter 100. Hinc patet quam opportune Lusitanicum Gubernium restaurationem vitae socialiter, ab ipso aggressam, dispositionibus Concordati sollemniter die 7 maii 1940 initi (Cfr. *A. A. S.*, vol. XXXII, p. 217 et sq.) magis ac magis promovere studeat, ad morales valores renovandos necnon, praesidio publicae auctoritatis, fovendos atque tutandos.

Quo autem duxerit *laicismus* Galliam, evidens factum est praesertim ex defectu vocationum ecclesiasticarum et ex recentioribus eventibus qui grassantem paganismum manifestant.

[2] Cfr. nostrum opuscolum *Doveri dello Stato Cattolico verso la religione*, Romae, 1953.



stantiis historicis propositam habendam esse nunc obsoletam, prout anachronisticam et cum hodierno status democratici conceptu inconciliabilem.[1]

Equidem ut principium fundamentale ponunt homines, sive in errore sint, sive in veritate, pari iure ubique pollere.

Hinc deducunt in hodierno statu democratico, et etiam catholico, omnes religiosas societates singulosve cives pari iure tum quoad exercitium nedum privatum sed et publicum proprii cultus, tum etiam quoad doctrinae propagationem omnino frui debere.

Describunt, autem, statum confessionalem obscuris coloribus, ex quibusdam anteriorum temporum excessibus, ideoque ipsum pro nostra aetate inconcepibile autumant, quasi reditum ad mediae aetatis violentias; statum, autem, qui sua officia adimpleret, publice profitendo et protegendo religionem catholicam, spretui exponunt, eum vocando « clericalem », prouti anticatholici usui habent.

Igitur concludunt statum laicum esse debere, licet christianis moribus et spiritui informatum; sistema autem magis opportunum et ipsi Ecclesiae favorabile dicunt sistema separationis Ecclesiae a Statu, idque non solum in linea hypotheseos, sed tamquam thesim seu principium generale.

Iamvero contra has omnes assertiones pugnant eadem argumenta, quae supra contra indifferentismum exposuimus. Profecto catholicis non licet Ecclesiae magisterium, et praesertim Encyclicarum Litterarum doctrinam, ita sua vi extenuare ut pro temporum tantummodo circumstantiis illa valida esse dicantur et aeta-

[1] Consulantur circa varias has quaestiones, quae plus minusve ab uno vel ab alio agitantur, v. g. sequentes auctores: MARITAIN, *Du régime temporel et de la liberté*, Paris, 1933; *Humanisme intégral*, Paris, 1934; *Les droits de l'homme et la loi naturelle*, Paris, 1942; *Christianisme et démocratie*, Paris, 1943; *Man and State*, 1953; P. CONGAR, O. P., *Lettre sur la liberté religieuse à propos de la situation des protestants en Espagne*, *La Revue Nouvelle*, 1948; LECLERCQ, *L'Eglise et la liberté en 1948*, *Revue Nouvelle*, 1948; *L'Etat chrétien et la liberté de l'Eglise*, *Vie Intellectuelle*, 1949; P. PRIBILLA, S. I., *Dogmatische Intoleranz und bürgerliche Toleranz*, *Stimmen der Zeit*, 1949; P. MURRAY, S. J., *Governmental Repression of Heresy*, *Proceedings*, *Catholic Theological Society of America*, 1948; *Current theology on religious freedom*, *Theological Studies*, 1949; *On the structure of the Church-State Problem*, *The Catholic Church in Worlds Affairs*, *University of Notre Dame*, 1954. Opiniones erroneas optime refutatas reperies apud MESSINEO, S. I., *Civiltà Cattolica*, annis 1950, voll. II, III, IV; 1951, voll. I, II, III, IV; 1952, vol. I.

http://www.obrascatolicas.com

tum vicissitudinibus obnoxia habeantur. « Neque — ait Pius XII in Litteris Encyclicis *Humani generis* — putandum est, ea quae in Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam sui Magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur, de quo illud etiam valet "Qui vos audit, me audit"; ac plerumque quae in Encyclicis Litteris proponuntur et inculcantur, iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent ». [1]

Quod vero dicunt in statu democratico eodem iure pollere tantum civem qui in errore versatur, quam illum qui est in veritate, rem asserunt quae, in se et spectato iure naturae et positivo divino, sustineri nequit, [2] nisi agatur de circumstantiis in quibus, aut magna alicuius boni adipiscendi causa, aut vitandi maioris mali obtentu, superior patienter ferre debeat et tolerare ea quae aliter impediri non possent. [3] Equidem Deus ipse providentissima sua ratione haud semper malum coercet aut a nobis exigit ut coerceatur ob peculiares circumstantias. Stat autem semper principium generale quod bonum est faciendum et malum impediendum quantum fieri potest. [4]

---

[1] Litt. Enc. diei 12 aug. 1950, *A. A. S.*, vol. XXXXII, p. 563.

[2] « Vetat iustitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis iura promiscue largiri » (Enc. *Libertas, Acta Leonis XIII*, vol. VIII, p. 231.

[3] Cfr. Leonis XIII, Enc. *Libertas* (*Acta Leonis XIII*, vol. VIII, p. 239 sq.). Item Enc. *Immortale Dei*, p. 51. Haec quidem.

[4] Pii XII, Alloc. *Ci riesce*, diei 6 dec. 1953: « Ciò che non risponde alla verità e alla norma morale, non ha oggettivamente alcun diritto nè all'esistenza nè alla propaganda, nè all'azione. Secondo: il non impedirlo per mezzo di leggi statali e di disposizioni coercitive può nondimeno essere giustificato nell'interesse di un bene superiore e più vasto » (*A. A. S.*, vol. XLV, p. 799). Ad rem optime Messineo, S. I., in *Civiltà Cattolica*, haec notat:

« Già a proposito dell'eguale insegnamento di Leone XIII sulla tolleranza religiosa nella società civile, e più particolarmente nello Stato cattolico, si era detto che il Papa si riferiva a un concetto di Stato al presente non più valevole, elaborato nel periodo cristiano del medioevo e poi teorizzato dai teologi e moralisti cattolici come tipo di Stato cattolico, sul quale venne adattata la tesi dai medesimi sostenuta. Pertanto, i principi stabiliti nell'Enciclica *Libertas* hanno un valore, se si riferiscono a quel tipo di organizzazione politica, in cui la religione permeava tutti gli aspetti della vita e lo Stato ne era il tutore giuridico; non avrebbero, invece, valore, riguardo alla società contemporanea, giacchè oggi non si dà più uno Stato cattolico, nel senso in cui a quel tempo veniva inteso. La tesi, dunque, sostenuta dai teologi antichi e ripresa da Leone XIII sarebbe caduta con la sparizione del soggetto, sul quale era stata modellata.

Con sorpresa dei sostenitori di questa singolare teoria, Pio XII ha ripetuto gli stessissimi principi, sostenuti dalla comune tradizione teologica e morale del pensiero cattolico e confermati dal suo predecessore, e con essi ha inteso stabilire i doveri dello Stato cattolico in fatto di tolleranza nella comunità degli Stati. Se non si vuole definire irrispettosamente il suo insegnamento come anacronistico e per conseguenza svuotarlo di qualsiasi valore pratico nel momento presente, occorre concludere che nè la tesi antica è caduta, nè il soggetto, lo Stato cattolico, è sparito, almeno nel giudizio di chi possiede l'autorità del sommo magistero nella Chiesa. Stando così le cose, al teorico cattolico, che voglia in tutto *sentire cum Ecclesia*, non rimane che abbandonare le sue opinioni personali e allinearsi, con meritorio ossequio della mente, con l'insegnamento autentico del magistero ecclesiastico ». *Civ. Catt.*, 1954, vol. II. Quoad praedictam Allocutionem Pii XII v. etiam G. Di Meglio, *Ci riesce and Cardinal Ottaviani's Discourse*, *American Ecclesiastical Review*, mense iunio 1954, p. 384 ss.



Quod autem asserunt, nempe, in ipso quoque statu democratico ne populum quidem posse a suo gubernio exigere ut *officialiter* tamquam catholicum se gerat, rem dicunt ipsi doctrinae Ecclesiae contrariam, ut patet ex supra relatis verbis Summi Pontificis Leonis XIII in Encyclicis Litteris *Immortale Dei* quae quidem confirmantur ex regnantis Summi Pontificis Pii XII magisterio, prout videre est ex frequentibus eiusdem Allocutionibus et Actis. [1]

**171.** Vera autem religio quae sit, haud difficulter, praesertim in civitate catholica, agnoscitur, cum insculptae notae veritatis certissimae in ea appareant, dummodo iudicium

---

[1] V. g. prae oculis habentur quae in Enc. Litt. *Mediator Dei* Summus Pontifex docet: « Homo autem recto ordine ad Deum dirigitur, cum supremam eius maiestatem, supremumque magisterium agnoscit, cum veritates divinitus patefactas prona suscipit mente, cum legibus ab eo latis religiosa observantia subicitur, omnem actionem navitatemque suam ad eum convertens; cum denique — ut rem breviter perstringamus — debitum cultum atque obsequium per religionis virtutem Deo uni et vero praestat.

Quod quidem officium si homines singillatim primo loco obligat, at humanam quoque *communitatem universam*, socialibus ac mutuis nexibus conformatam obstringit, cum et ipsa a summa Dei auctoritate pendeat » (Litt. Enc. *Mediator Dei*, diei 18 dec. 1947, *A. A. S.*, vol. XXXIX, pp. 525-526).

http://www.obrascatolicas.com

prudens sincerumque adhibeatur: « argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus, liquet eam esse unice veram quam Iesus Christus et instituit ipsemet, et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit ».[1]

**172. Politicorum effugium: libertas conscientiae.** – Ad legitimandum indifferentismum, formula illa introducta est quae, sub falso iustitiae et veritatis velamine, abscondit atheismi virus: « libertas conscientiae sub protectione legis ». Sane non est ambigendum principium libertatis conscientiae habere adspectum quendam veritatis et aequitatis; tamen a laicismi asseclis adhibetur ad denotandam iniquam quandam libertatem seu potius licentiam, cuius praecipuae manifestationes sunt *libertas cogitandi*, *libertas loquendi* et *libertas cultuum*.

Profecto si de libertate physica sermo est, verum est principium libertatis conscientiae: Deus enim, liberum hominibus arbitrium conferens, physicam libertatem reliquit accipiendi et agendi bonum ad merendum. Hinc Ecclesia non reluctantibus animis, sed iam edoctis et volentibus religionem infert; quae autem ipsa puniebat in haereticis, facta erant laesiva ordinis publici, societatis iure coërcenda.

Verum, aliud dici debet de libertate morali; in hoc ordine enim libertas conscientiae non intelligitur legitime nisi hoc sensu: ut videlicet « homini ex conscientia officii, Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae

[1] Litt. Enc. *Immortale Dei*, § 15, Vera autem; cfr. etiam § 42; *Syll.*, prop. 15 et 16 (Denz., n. 1715 ss.).



humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior ».[1] Contra, si *mens* adsentiatur opinionibus falsis, si malum *voluntas* amplectatur et sibi applicet, non in his hominis arbitrium iura sibi libertatis moralis propria vindicare potest.

Et quoniam utraque hominis facultas a perfecto abest, et de facto saepe fit ut *mens* voluntati proponat quod nequaquam sit reapse bonum, sed habeat adumbratam speciem boni, atque in his voluntas sese applicet, vel etiam *voluntas* aliquid appetat quod a dictamine ipsius rationis dissideat, aptis est adiumentis praesidiisque physica libertas hominis munienda, quae cunctos eius motus ad bonum dirigant, et a malo retrahant: secus multum homini libertas noceret arbitrii. Praesidium autem firmissimum est nedum Ecclesia sed et ipsa Civitas, quae *legibus* debet homines dirigere erga omne quod est verum et bonum.

Deficeret igitur a suo instituto Civitas, si loco adiuvandi homines ad rectum usum propriae libertatis, specie tuendi libertatem ipsam, omnem verae religionis curam negligeret.

Sed ulterius veritas apparebit, si singulae formae libertatis conscientiae a laicismo promotae singillatim examini subiiciantur.

1. **Libertas cogitandi.** – Hac formula asseritur libertas conscientiae in ordine speculativo, seu in aestimatione rei cognitae, ita ut libera relinquenda sit mens quae sibi subiective conscia sit se veritatem esse assecutam, neque teneatur assentire veritati obiectivae ibi propositae.

Ast intellectus humanus ab ipsa natura ordinatur ad veritatem incognitam investigandam et ad cognitam amplectendam. Si decipitur et percipit falsum, non est ei ius et vera facultas adhae-

[1] Litt. Enc. *Libertas* (*Acta Leonis XIII*, vol. VIII, p. 237).

http://www.obrascatolicas.com

prudens sincerumque adhibeatur: « argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus, liquet eam esse unice veram quam Iesus Christus et instituit ipsemet, et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit ».[1]

**172. Politicorum effugium: libertas conscientiae.** – Ad legitimandum indifferentismum, formula illa introducta est quae, sub falso iustitiae et veritatis velamine, abscondit atheismi virus: « libertas conscientiae sub protectione legis ». Sane non est ambigendum principium libertatis conscientiae habere adspectum quendam veritatis et aequitatis; tamen a laicismi asseclis adhibetur ad denotandam iniquam quandam libertatem seu potius licentiam, cuius praecipuae manifestationes sunt *libertas cogitandi*, *libertas loquendi* et *libertas cultuum*.

Profecto si de libertate physica sermo est, verum est principium libertatis conscientiae: Deus enim, liberum hominibus arbitrium conferens, physicam libertatem reliquit accipiendi et agendi bonum ad merendum. Hinc Ecclesia non reluctantibus animis, sed iam edoctis et volentibus religionem infert; quae autem ipsa puniebat in haereticis, facta erant laesiva ordinis publici, societatis iure coërcenda.

Verum, aliud dici debet de libertate morali; in hoc ordine enim libertas conscientiae non intelligitur legitime nisi hoc sensu: ut videlicet « homini ex conscientia officii, Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae

[1] Litt. Enc. *Immortale Dei*, § 15, Vera autem; cfr. etiam § 42; *Syll.*, prop. 15 et 16 (Denz., n. 1715 ss.).



humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior ».[1] Contra, si *mens* adsentiatur opinionibus falsis, si malum *voluntas* amplectatur et sibi applicet, non in his hominis arbitrium iura sibi libertatis moralis propria vindicare potest.

Et quoniam utraque hominis facultas a perfecto abest, et de facto saepe fit ut *mens* voluntati proponat quod nequaquam sit reapse bonum, sed habeat adumbratam speciem boni, atque in his voluntas sese applicet, vel etiam *voluntas* aliquid appetat quod a dictamine ipsius rationis dissideat, aptis est adiumentis praesidiisque physica libertas hominis munienda, quae cunctos eius motus ad bonum dirigant, et a malo retrahant: secus multum homini libertas noceret arbitrii. Praesidium autem firmissimum est nedum Ecclesia sed et ipsa Civitas, quae *legibus* debet homines dirigere erga omne quod est verum et bonum.

Deficeret igitur a suo instituto Civitas, si loco adiuvandi homines ad rectum usum propriae libertatis, specie tuendi libertatem ipsam, omnem verae religionis curam negligeret.

Sed ulterius veritas apparebit, si singulae formae libertatis conscientiae a laicismo promotae singillatim examini subiiciantur.

1. **Libertas cogitandi.** – Hac formula asseritur libertas conscientiae in ordine speculativo, seu in aestimatione rei cognitae, ita ut libera relinquenda sit mens quae sibi subiective conscia sit se veritatem esse assecutam, neque teneatur assentire veritati obiectivae ibi propositae.

Ast intellectus humanus ab ipsa natura ordinatur ad veritatem incognitam investigandam et ad cognitam amplectendam. Si decipitur et percipit falsum, non est ei ius et vera facultas adhae-

[1] Litt. Enc. *Libertas* (*Acta Leonis XIII*, vol. VIII, p. 237).

http://www.obrascatolicas.com

rendi falso, ideoque ipsi ius non est exigendi ut eius modum cogitandi ceteri revereantur.

In ordine autem *practico* libertas cogitandi secumferret etiam plenam libertatem agendi, cum dictet mens, iudicio suo practico, facienda et omittenda. Iamvero si liberi essemus in iudicando, tales essemus et in operando, quia illud semper ageremus quod iustum semper putaremus; esset autem iniuria coarctare externam libertatem, recognoscendo ius ad internam: etenim in hoc est violatio conscientiae, vi exigere ut quis opponatur dictamini suae conscientiae.

Neque minus irrationabilis est postulatio quod quisque semper iudicio suo inniti debeat in conscientia sibi efformanda, et nullius iudicium habendum sit ut auctoritativum. Criteria enim veritatis nedum interna sunt sed et externa, et officium naturale est sese conformare veritati cognitae, sive cognita sit mediis intrinsecis, sive extrinsecis, praesertim ubi intervenit auctoritas Dei revelantis.

Quae omnia hac sententia perstringuntur: Status mentis verum apprehendentis est legitimus, necessarius et verendus; status mentis errantis est illegitimus et dissipandus, et praesertim in ordine sociali iura sibi vindicare nequit, maxime quando, vi erroris, subtrahit se auctori suo, negans ei illud obsequii tributum quod mens ipsa debet.

2. **Libertas loquendi.** – Hac formula comprehenditur etiam libertas typicae impressionis (*libertà di stampa*); verum si ad sensum laicistarum intelligatur, non est minus impia, falsa et absurda quam libertas cogitandi.

Quoniam enim non omnia in se vera et honesta sunt, officium est non solum recte iudicandi, sed etiam, a fortiori, ea tantum dicendi, defendendi ac propagandi quae recta et vera sunt; verba sane et scripta non sunt nisi expressiones aut signa cogitationum. Insuper homo tenetur accipere omnia quae ex revelatione sibi sufficienter proposita sunt: contra eadem loqui aut scribere esset impium et irreligiosum. Absurdum autem esset constituere in imperantibus officium ut vereantur libertatem loquendi et scribendi, etiam cum falsa aut inhonesta vulgantur: quod sane in maximam vergeret plebium perniciem,[1] attentis hominum moribus ad cupi-

[1] Maiorem sane quam ea cuius metu hodie plures Status potenter comprimunt facultatem libere loquendi, scribendi et agendi.



ditates pronis et attenta vulgi incapacitate detegendi omnes pravorum captiones dialecticas.

3. **Libertas cultuum:** est facultas quam Status singulis civibus impertitur externis et placitis actibus Deum colendi, dum publice omnes cultus, lege civili, iuribus et facultatibus aequiparantur, ita ut nullus anteferatur alteri, ne catholicus quidem in societate catholici civibus constante.[1]

Hoc modo, inquiunt, Status, neutralitatem inter contentiones religiosas servando, nullius civis conscientiae vim seu offensionem infert.

Huc autem spectant omnia argumenta contra indifferentismum religiosum atque contra novissimum liberalismum catholicum adducta (n. 170, 3° et 4°).

Sicut in omnibus veritas quaerenda est, sic maxime in divinus rebus; et sicut errori veritatem aequiparare, insipientis est, sic falsis religionibus veram parem facere.

Porro cultus est *actus reverentiae Deo exhibitus*. At vero, Deus actibus contrariis coli nequit.[2] Unicus igitur debet esse civitatis cultus, ille scilicet quo se Deus coli voluit.

Nec regendae civitatis utilis et sapiens ratio est illa qua omnibus cultibus libera aperiatur via: est enim aditum dare plenum dissensionibus et civium luctis. Laudatur quidem populi romani sapiens rei politicae directio: at sanctum fuit apud romanos illud servare quod iam duodecim tabularum lege erat statutum: « separatim nemo habessit deos »;[3] « Iudicabant enim — ait Livius[4] — prudentissimi viri omnis divini humanique iuris,

[1] Hoc sensu *libertas cultuum* idem valet ac *paritas cultuum;* aliud vero est cum respublica ita ordinatur ut unus habeatur *cultus* seu *religio Status,* servata ceteris cultibus libertate exercitii absque illis privilegiis vel auxiliis quae religioni Status dumtaxat conceduntur.

[2] « Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt, usitatas in cultu divino rationes, *quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna...* aeque Deo acceptas esse omnes non posse ». Enc. *Immortale Dei,* § 42. De religione. Lc., XI, 23: « Qui non colligit mecum, dispergit ».

[3] Apud Cic., *De leg.,* II, 8.

[4] Tit. Liv., *Hist.,* XXXIX, 16. Peior ergo fit nostra quam romanorum conditio; qui etsi falsam, aliquam tamen habebant reipublicae religionem, cuius imperio continebantur. Iamvero romanae ditionis collapsus tunc

http://www.obrascatolicas.com

nihil aeque dissolvendae religioni esse, quam ubi non patrio sed extero ritu non sacrificaretur ». In Europa vero *unitas religionis* primum iuris publici fundamentum diu est habita, quo *europea unitas* exorta, atque contra saracenos viguit praecipue et confirmata est. Ubi vero dissensiones religiosae exortae, ibi atrocissima quoque bella, quibus denuo confirmatum est optimum esse civitatis status in fovenda cultus unitate.

Ceterum ipsa libertas cultuum et susceptio officialis omnium religionum fidem pietatemque ludibrio exponit, indifferentismum iuvat et atheismum denique promovet.[1]

## Articulus V

### De tolerantia falsorum cultuum

**173. Genuinus tolerantiae conceptus.** – Tolerantia est ea animi dispositio qua patienter ferimus, varias ob rationes, ea quae nobis adversa seu molesta sunt, nobisque non probantur. Dicimus enim ea a nobis tolerari quae dum prohibere vel declinare aut *non possumus* aut *non debemus* propter graves causas, non resistendo admittimus,[2] licet nostro iudicio probari nequeant.[1] Etenim sunt quaedam rationes quae in omni rerum ordine permissionem mali cohonestant: videlicet magni alicuius aut adipiscendi boni aut prohibendi mali maioris causa. Id dicitur quoque comparativa permissione fieri.

**174. Comparatur indifferentismus religiosus cum tolerantia cultuum.** – Qui indifferentismum religiosum in politicis sequuntur, ii, quamvis de tolerantia privata saepe loquantur, tamen falsos cultus non simpliciter tolerant, sed insuper talem legum dispositionem promovent qua pluribus vel omnibus cultibus tum religionis exercitium tum certa iurium civilium ac politicorum mensura plenaque libertas tribuitur.[2]

Igitur apud istos nomen tolerantiae in civilibus non est adhibendum nisi intelligatur, tamquam legitimum libertatis conscientiae consectarium, de ea legum dispositione qua quisque aequo iure et aequa libertate aestimari debeat praeditus in omnibus quae ad professionem, propagationem, exercitium proprii cultus pertinent; insuper, exigitur legislationis civilis talis conformatio quae nullam religionem potiori prae alia religione iure gaudere statuat, sed omnes in aequali condicione iuridica ponat. Hinc sollicite loquuntur de relationibus Status cum *ecclesiis*, deque paritate *cultuum*.

Sed tolerantia dici nequit quae indifferenter se habet ad verum et ad falsum, ad bonum et ad malum; neque quis dici-

---

exortus est, cum receptis vel Romae pariter omnium falsorum cultuum impietatibus ac illecebris, et unice vera sanctaque Christi religione profligata, Urbs facta est « magistra erroris », quae, « cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus ». Cfr. S. Leon. M., *Serm. in Nat. Ap.* (M. L. 54, col. 423).

[1] De tolerantia dogmatica eadem dicenda sunt ac de indifferentismo et naturalismo: de tolerantia politica videbimus sequenti articulo quando et quibus sub cautelis possit esse, ex necessitate, licita.

[2] « *Tolerantia* quae dicitur... non est nisi *in malis* »: August., *Enarratio in ps. 31* (M. L. 36, col. 271). — Igitur non est confundenda plena *libertas* cultuum cum *tolerantia*: « Le bien est libre, le mal se tolère. A la différence des lois de liberté, les édits de la tolérance condamnent, désapprouvent tacitement ce qu'elles permettent ». Vermeersch, *La tolérance*, Louvain 1909, p. 6. Cfr. c. 9, C. 31, q. 1: « Quod enim permittimus nolentes praecipimus; quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus ».



[1] Leonis XIII, Enc. *Libertas*, ubi docet fieri posse ut communis boni causa, et hac tantum causa, possit vel etiam debeat lex hominum *ferre* toleranter malum (*Acta Leonis XIII*, vol. VIII, p. 39 sq.). Item Enc. *Immortale Dei*, § 51, Haec quidem.

[2] Hinc v. g. Ruffini, *La libertà religiosa*, Torino, 1901, p. 10; dum tolerantiam eximiam dicit virtutem privatam, eam odiosum conceptum exhibere dicit si applicetur relationibus iuridicis ordinis publici; sed contra, vid. Billot, *De habitudine Ecclesiae ad civilem societatem*, Romae, 1922, p. 94 ss.



http://www.obrascatolicas.com

tur tolerare aliquid si illud protegat, foveat atque tueatur; neque veritas, sicut falsitas, dici potest toleranda.[1]

Ceterum, ut diximus, tolerantia formaliter sumpta semper in negativo consistit, atque aliena ab omni adprobatione aut positivo favore dicenda est.

1. Quare si licet quandoque, ut videbimus, falsos cultus tolerare, numquam tamen eos licet ita accipere ut intendunt indifferentistae et liberales; nefas enim est cooperare propagationi erroris, et augere pericula salutis spiritualis subditorum, specie libertatis fovendae. Huc spectant argumenta contra indifferentismum adducta (n. 170, 3°),

2. Imo, *in regulari statu catholicae societatis nec tolerantiae politicae est locus,* sed tunc tantum, cum sunt rationes quae tolerantiam iustificent; ceterum licet hae, hodie praesertim, frequentius dentur, tamen semper praeter regularem statum rei christianae verificantur.

In linea enim principii, quod applicandum est quoties regularis rerum condicio obtinet, vel sine gravibus reipublicae incommodis instaurari potest, nihil magis evidens est quam civilium imperantium, in societate catholica, obligatio circa heterodoxorum cultuum prohibitionem.

Hoc enim gravissimum officium descendit *a*) ex obligatione societatis civilis suscipiendi veram religionem; *b*) ex officio Status tuendi civium bona, nedum materialia, sed potissimum moralia et spiritualia; *c*) ex officio fovendi et protegendi Ecclesiam quo tenentur principes christiani, vi subordinationis indirectae ordinis temporalis ad ordinem spiritualem, sicut infra explicabitur (p. 352 ss.); *d*) ex ipsa utilitate Status, propterea quod, fovendo unice veram religionem et prohibendo falsos cultus, princeps seu civitatis rector pacem socialem tuetur quae servatur unitate religiosa, et publicam moralitatem promovet, quae praxi vitae christianae summopere provehitur.

3. Unde patet quam falso et quam perniciose liberales asserant civitati in admittendis religionibus nullum esse positum li-

[1] Aichner, *Compendium iuris ecclesiastici,* Brixinae, 1915, § 52, n. 1, p. 162; Billot, op. cit., p. 98.



mitem, dummodo ex his nulla reipublicae infensa agnoscatur, aut in sua actione noxia evadat. Quare Summi Pontifices, ineuntes Concordata cum catholicis nationibus, generatim stipulati sunt quoque civilem tuitionem unitatis religionis catholicae, exclusis ceteris cultibus.

In Syllabo autem sequentes propositiones reprobatae sunt:[1] « Aetate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis ». — Itemque: « Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut omnibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere ».

**175. Quibus in adiunctis tolerantia politica licita sit.** – Non desunt sane gravissimae rationes quibus hodie praesertim tolerantia politica permissa sit. « Revera, inquit Leo XIII, si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui *magni alicuius aut adipiscendi boni aut prohibendi mali causa,* moribus atque usu patienter ferunt ut ea habeant singula in civitate locum ».[2]

Potest enim esse vel ratio *moralis impossibilitatis,* in quantum nonnisi cum maximo reipublicae et Ecclesiae discrimine media coërcitiva adhiberentur contra exercitium falsorum cultuum, puta quia bella, seditiones[3] persecutiones maio-

[1] *Syll.,* prop. 77 et 78 (Denz-Bann., n. 1777 s.). Vid. etiam Breve Pii VI, *Quod aliquantulum* et Litt. ad Ep. Trecensem *Post tam diuturnas;* item Gregorii XVI, Enc. *Mirari,* et Pii IX, Enc. *Quanta cura;* Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici,* Romae, 1906, vol. I, n. 588 ss., p. 374 ss.

[2] Enc. *Immortale Dei,* § 54, Revera. Vid. etiam Litt. Enc. *Libertas* (loc. cit.).

[3] Ceterum ipsi heterodoxi plerumque muniti sunt protectione pactorum quae ob vim maiorem acceptata sunt et summopere augent difficultatem. Cfr. v. gr. art. 93 tract. *de Versailles,* 28 iun. 1919, cum relativo tract. addition. pro Polonia (aa. 8, 9, 10); cfr. etiam art. 68 tract. *de St. Germain,* 10 sept. 1919, pro Austria; et art. 59 tract. *de Trianon,* 4 iun. 1920, pro

http://www.obrascatolicas.com

res in fideles excitarentur; vel etiam *gravis ratio opportunitatis* quae suadeat patienter ferre illud malum ne maiora bona impediantur.

Quare ubi talia sint adiuncta ut, habita ratione salutis tum Ecclesiae tum reipublicae, melius vel minus malum sit falsam religionem tolerare quam non tolerare, principi licebit subditis suis a vera religione alienis, falsae religionis exercitium indulgere.

**176. Tolerantiae politicae genera et gradus.** – In Statu ubi religio catholica ut « religio Status » habetur, ceteris cultibus alia atque alia condicio iuridica, ex necessitatibus socialibus et ex adiunctis temporum aut locorum, fieri poterit. Potest enim religio quaedam ut mere tolerata haberi, cui videlicet solummodo publici cultus exercitium conceditur; potest insuper haberi ut religio « recepta » quae videlicet nedum exercitio cultus publici pactis legibusque sancito gaudet, sed certa quoque mensura iurium politicorum et civilium. Hinc prudenter existimandum est an, ratione boni publici, secundum hanc acceptionem latam sit necesse impertiri civilem tolerantiam.

Equidem ratione diffusionis sectarum, necnon iuris acquisiti, propter communem formam constitutionalem civitatum a qua moraliter impossibile est recedere, tanta potest esse ratio vitandae discordiae civilis, ut largienda sit, sub impulsione publicorum comitiorum, non solum facultas exercendi privatim et publice cultum heterodoxum, sed etiam publica *recognitio* (non iuridica institutio) societatis religiosae de facto existentis quousque haec regitur consensione sociorum, seu vi propriae organizationis, non ex legis civilis statuto.

---

Hungaria. Pro recentioribus autem temporibus notanda sunt quae Nationum Unitarum Organizationis *fundamentalis Carta* statuit. Ad rem v. quae observat CAVAGNIS, op. cit., vol. I, n. 588, p. 374.



Tunc iura corporationis religiosae concedens, cum debitis limitationibus, Status facultatem relinquit ecclesiis receptis, qua talibus, possidendi et administrandi bona sua; et organizationum socialium activitatem et iura contra perturbatores, iuxta leges communes, tuetur sub adspectu vitandi quidquid pacem socialem turbare potest; effectus civiles tribuit actibus ecclesiasticis, v. gr. matrimonio, baptismati apud ministros heterodoxos peractis, etc. Hoc sane evenire potest ubi catholici cultum dominantem quidem constituunt, cum maioritatem relativam habent, sed non valent, tamquam maioritas absoluta, praevalere ceteris cultibus simul collectis. [1]

**177. Cooperatio materialis gubernantium et oratorum populi. Quando licita sit.** – I. Ad quaestionem rite solvendam, primum omnium prae oculis habeantur necesse est principia generalia quae hac super re ab optimae notae doctoribus in re morali et canonica statuuntur.

Re quidem vera, omnes probati auctores in primis distinguere solent inter cooperationem *formalem* et *materialem*.

*Formalis cooperatio* intelligitur deliberate praestitus concursus ad alterius actum moraliter malum *uti talem*, scilicet non solum concursus ad malam actionem materialiter sumptam, sed etiam ad malam alterius voluntatem ponentis illam actionem.

*Cooperatio* vero *materialis* est deliberate praestitus concursus ad alterius actum, qui moraliter malus est, *sed non*

---

[1] Hinc patet cur haud necessaria vel opportuna visa fuerit in Italia lex de cultis receptis 24 iunii 1929, qua latiora quam fas est iura conferuntur cultibus receptis. Dum enim Concordatum, quod in nova quoque Constitutione (art. VII) receptum est, edicit religionem catholicam esse religionem Status italici, praedicta lex, sine sufficienti ratione, immo cum nocumento pacis et unitatis religiosae (ut iam plurimum annorum experientia ostendit, ex novo studio propagationis protestanticae in Italia cum protectione huius legis) *fere ad paritatem iurium alios cultus admisit*. Ad rem prae oculis habeatur epistola Pii Pp. XI ad Card. Gasparri, diei 30 maii 1929 (*A. A. S.*, vol. XXI, p. 301).

http://www.obrascatolicas.com

*quatenus moraliter malum* — scilicet concursus ad alterius malam actionem materialiter sumptam, non vero ad eius malam voluntatem.

Cooperatio autem, sive formalis sive materialis, potest esse *activa* vel *passiva,* quatenus positione alicuius actus praestetur vel tantum omissione actionis. [1]

Notandum est cooperationem formalem remanere talem etiam si alter, qui actum malum ponit, in bona fide versetur: actus enim retinet suam malitiam obiectivam, et a formali cooperatore intenditur quatenus malus est.

Ideo cooperatio in sacris acatholicorum non cessat esse formalis si ministri schismatici vel haeretici, qui sacra faciunt, in bona fide inveniantur.

His praemissis, principia practica sunt prae oculis habenda:

*A*) Omnis formalis cooperatio in actum malum illicita est.

*B*) Materialis cooperatio positiva, v. gr. ad legem illicitam tolerandam, rarissime licita est: practice tunc solum quando haec simul concurrunt: 1) positiva cooperatio nihil est nisi electio mali minoris ex duobus malis inevitabilibus; quorum ergo alterutrum *in omni casu* (sive cooperatio praestatur, sive non praestatur) certo secuturum praevidetur; 2) cooperatio in se ipsa non contineat aliquid quod per se, *directe atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae et approbationem alicuius sectae oppositae;* et 3) con-

[1] Exempli gratia: cooperatio *deputatorum catholicorum* ad aliquam legem tolerantiae rei illicitae potest esse *positiva* et *negativa*: primum verificatur si sermonibus commendatur lex vel si suffragio fulcitur: alterum vero si deputati abstinent ob oppositione contra legem facienda: quod iterum vario modo fit, scilicet: 1) si abstinent *a lege contraria* proponenda vel exigenda; 2) si in suffragiis dandis abstinent a *voto negativo* ferendo; 3) si in comitiis abstinent *ab omni voto* dando.



stet catholicos ad cooperationem adigi vel vocari, *non in contemptum catholicae religionis,* sed ad graviora mala vitanda, quae, ut diximus, alioquin certo sequerentur. [1]

*C*) *Materialis cooperatio negativa* tunc licita est cum proportionatae causae et condiciones habeantur quae excludant positivam mali adprobationem, vel erroneam cooperationis interpretationem publicam.

Semper quidem haec condicio tum in *cooperatione materiali positiva* tum in *negativa* verificari debet: *quod absit scandalum.*

Rigidiores theologi et canonistae praedictam cooperationem materialem positivam difficilius admittunt et suam sententiam duobus principiis comprobare conantur: 1° Numquam licet facere mala ut eveniant bona; 2° medium in se malum non fit bonum ex fine bono ad quem obtinendum adhibeatur. At facile responderi potest: quoad primum principium, uti vidimus, distinguendum est inter cooperationem formalem et materialem; illa nunquam permittitur, ista *non semper uti res mala* habenda est. Quoad secundum principium, si ex. gr. agatur de permittendo malo minore ad malum maius vitandum, tunc per se *non intenditur malum, (licet minus)* sed tantum *diminutio mali* maioris, quae obtinetur maius malum impediendo v. gr. limitibus legalibus coercendo liberum meretricium.

Exemplum sumi potest ex responsione S. Officii, diei 27 iulii 1892, ad dubia de crematione corporum; nam, inter alia, haec habet.

« Ad 3. Numquam licere formaliter cooperari mandato vel consilio. Tolerari autem aliquando posse materialem cooperationem, dummodo: 1. Crematio non habeatur pro signo protestativo massonicae sectae; 2. nec aliquid in ipsa contineatur quod per se, directe atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae

[1] Utrum autem in determinata quadam civitate condiciones politicae et sociales tales sint necne, est quaestio facti, quae in singulis casibus examinanda est. Neque tamen facile talis rerum condicio supponi vel admitti debet: nam ea, experientia teste, praepropere praesumi et asseri solet ad incommoda pugnae et resistentiae effugienda.

http://www.obrascatolicas.com

et approbationem sectae; 3. neque constet officiales et operarios catholicos ad opus adigi vel vocari in contemptum catholicae religionis. Ceterum quamvis in hisce casibus relinquendi sint in bona fide, semper tamen monendi sunt ne cremationi cooperari intendant. [1]

II. Speciatim consideranda est quaestio de praesentia catholicorum actibus cultus heterodoxi.

Primum notandum est non quemlibet actum religiosum positum ab haereticis, ex natura actus esse cultum vitiosum, sapere haeresim, vel dicere adhaesionem ad actum haereticorum. [2]

Sed etiam cum actus religiosus positus nihil erronei vel vitiosi continet, cum a ministro haeretico vel schismatico ponitur, illicite ponitur, et igitur illicite adsistitur vel communicatur in sacris, vel cooperatio praestatur, tum ob defectum existentem in ministro agente, tum ob circumstantias quae possint indicare adhaesionem indirectam doctrinae haereticae, vel schismati cui minister ipse pertinet.

Hinc patet quod dum non licet cooperare huiusmodi actibus, v. gr.: elemosinam praebendo ministello petendo ut Missam celebret, cooperatio mere passiva e contra tolerari potest si graves et proportionatae causae habeantur, et si omne periculum scandali vel populi admirationis removeatur.

Hinc facilius excusantur simplices fideles, vel qui in civilibus dignitatibus constituti sunt, quam Sacerdotes et pastores qui munere suo curare debent ut puritas fidei servetur, et omnis confusio inter veritatem et errorem vitetur.

Tolerari quoque potest mera praesentia, ratione civilis officii vel honoris causa, [1] praesertim quando homines — omnis generis et condicionis civilis ac religiosae — partem in illis sollemnibus, ob rationem communem, promiscue habent; quando praesentia munere publico quasi necessaria fit; quando arctum vinculum exsistit inter assistentes et eos pro quibus ritus ponitur etc. ... Nam, in istis casibus, periculum scandali vel admirationis valde improbabile videtur.

[1] Collect. Prop. Fidei, vol. II, n. 1808.

[2] Ita recitatio orationis dominicae de se nihil continet cultus vitiosi si ab haereticis sit facta, sed tantum *ex circumstantiis* colorem adhaesionis alicui sectae habere potest.



**178. Paritas cultuum.** – Sed sunt nationes in quibus catholici vel sunt fere pari numero cum heterodoxa aliqua confessione, vel minorem civium partem constituunt; [2] ibi Ecclesia, quousque tabernacula sua ulterius non extenderit propter foecundam suam activitatem, interim contenta est *paritate cultuum*, nisi ipsa iam possideat meliorem conditionem iuridicam: est quidem haec condicio adhuc indecora pro Ecclesia, sicut dedecus est pro veritate eodem modo tractari ac falsitas, sed multa motiva sunt quae adigunt eam ut tali condicione contenta sit potius quam acre bellum moveat contra hanc societatis civilis inevitabilem condicionem; dummodo vera paritate gaudeat religio catholica iuxta regulas mox explicandas. Imo hanc paritatem ipsa omni studio et contentione consequi nititur, ubi falsus cultus ita de facto iam obtinet ut lege fundamentali habeatur tamquam cultus dominans aut tamquam religio Status, et a maiore civium parte adhibeatur. [3]

[1] Can. 1258 C. I. C. haec habet:

§ 1. Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum.

§ 2. Tolerari potest praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis, similibusque sollemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit.

[2] Talis est condicio catholicorum in pluribus nationibus Europae orientalis.

[3] *Dices* fortasse: ergo Ecclesia duo pondera habet et duas mensuras,

http://www.obrascatolicas.com

Ubi paritas viget eadem defensio singulis religionibus impertitur ut eadem commoda ab iis percipiantur. Optime autem cl. Aichner, *principia* quibus regi debet in casu systema paritatis cutluum, sic perstringit: « — 1° ut paria prorsus iura civilia et politica receptorum cultuum sociis concedantur; — 2° ut receptis confessionibus omnino liberum sit, res suas independenter administrare; — 3° ut subsidia pro rata aequalia ex publico aerario omnibus cultibus praestentur, puta, nisi ex titulo iuris specialis alteri plus praestandum sit; — 4° ut leges civiles, quae res religiosas concernunt, accommodentur singularum confessionum principiis, non autem viceversa fas est unius aut alterius confessionis principia legibus civilibus accommodare aut per has modificare. Nefas esset omnibus confessionibus eadem principia applicare, quia in hoc casu, saepe, quod aequum est alteri, laedere potest iura alterius, a cuius nempe doctrina lex civilis dissonat. Vera paritas ea est, qua catholici habentur uti catholici, protestantes uti protestantes. — 5° Ut paria pro parte rata etiam onera omnibus imponantur, eo tamen excepto, si titulo iuris privati una plus altera contribuere tenetur. — 6° Contentiones dogmaticas, si intra modestiae limites se contineant, reprimere principi haud fas est. Nihil enim perniciosius, nihil magis absonum est, quam si guberna civilia litibus religiosis se ingerant easque interposita sua auctoritate in favorem alterius partis decidere velint ».[1]

---

quia ubi ipsa dominatur, vult ut coërceantur dissidentes, ubi autem minoritatem civium constituit, non fert ut ipsa habeatur in inferiori condicione iuridica. Aperte *respondendum* est reapse esse adhibenda duo pondera, duasque mensuras, pro diversitate iurium et meritorum. In hac vero exigentia, unice Ecclesia catholica logice se gerit, ipsa dumtaxat audienda est, propter motiva credibilitatis et publici boni quae pro eadem semper existunt: quod si ita non se gereret Ecclesia, non deberet profiteri unam dumtaxat esse religionem legitimam, eamque catholicam, reliquas falsas, ideoque aliam atque aliam mensuram esse pro veritate aut pro falsitate adhibendam. « Proinde positio adversariorum penitus illogica et irrationabilis est, nisi iterum uno e duobus his principiis praestabilito; aut quod omnes religiones iisdem gaudent iuribus, quia omnes aequaliter seu verae seu falsae; aut quod dignoscibile non est quae religio vera sit penes quam ius atque auctoritas ». (Billot, op. cit., p. 102): quae duo principia atheismi et indifferentismi iam sunt probata falsa (n. 170).

[1] Aichner, *Compendium iuris ecclesiastici*, Brixinae, 1915, § 52, p. 164 ss.



# TITULUS II

## DE RELATIONIBUS INTER ECCLESIAM ET STATUM

### Articulus I

### Liberalismus et systema separationis

**179. Systemata negativa.** – Omnes qui separationem Ecclesiae a Statu promovendam censent, potius quam de relationibus iuridicis inter utramque societatem, loquuntur de dissociandis rationibus Ecclesiae a rationibus Status, ideoque abrumpendos esse contendunt omnes contactus iuridicos inter utramque potestatem. Status ignorat Ecclesiam qua societatem suo iure existentem; tuetur quidem libertatem conscientiae singulorum civium, nulla autem iura iisdem recognoscit in ordine civili, qua constituunt corpus quoddam religiosum.

1. Pronum est eos, qui Statum prorsus *laicum* seu *atheum* esse debere asserunt, consequenter denegare etiam omnem rationem contactus iuridici civitatum cum religiosis societatibus qua talibus. Si Status prorsus laicus est, nullam debet de Ecclesiis sollicitudinem gerere, quaecumque hae sunt, quia in quantum sunt societates curam habentes religionis, negotia respiciunt de quibus nulla cura est Statui.

2. Qui *indifferentismum relativum* et libertatem cultuum profitentur, exinde non necessario denegant relationes iuridicas Status cum Ecclesiis: potest enim civitas cum variis societatibus religiosis simul agere, iuridicas relationes instaurare, et tractare cum auctoritatibus religiosis uniuscuiusque confessionis. At vero, facilis est transitus ab indifferentismo relativo ad systema separationis; quo in casu dum civilis societas libertatem profitetur religiosam, et quodammodo actibus religiosis vitam quoque publicam perfundit, tamen praescindit ab ecclesiis qua societatibus iuridi-

http://www.obrascatolicas.com

cis, et cum ipsarum auctoritatibus religiosis non agit nisi eodem modo ac cum ceteris civibus.[1]

3. Potest insuper dari systema negativum separationis etiam quando Status religiositatem ita fovet ut unum dumtaxat cultum suscipiat ac in publicis actibus adhibeat; separatur vero ab Ecclesia seu a religiosa organizatione uti tali, omnino praescindendo ab eius iuribus socialibus et ab eius auctoritate sociali; Status nec iura sibi vindicat nec officia ulla suscipit coram hac societate qua religiosa societas est.

**180. Liberalismi formae praecipuae.** – Si quis vellet singulas recensere opiniones liberalium de condicione iuridica Ecclesiae, innumeras fere sententias adducere deberet; immo apud unum eundemque scriptorem doctrina sibi constans aut bene definita raro invenitur. Hinc patet difficile esse unumquemque eorum determinatae liberalium classi adscribere. Tria tamen possunt definiri praecipua liberalium systemata respectu rei religiosae: *liberalismus rigorosus seu purus, liberalismus moderatus* et *catholicismus liberalis*.

1° **Liberales rigorosi** solummodo Statum habent societatem iuridicam ex sui natura, unde omnia iura emanant; hinc « sic agunt cum Ecclesia, ut societatis perfectae genere et iuribus opinione detractis, plene similem habeant ceterarum communitatum, quas respublica continet: ob eamque rem si quid illa iuris, si quid possidet facultatis ad agendum legitime, possidere dicitur consensu beneficioque principum civitatis ».[2]

[1] Talis est v. gr. condicio in America Septentrionali. Status non est atheus, immo quodammodo christianismo se publice addictum profitetur: ritibus enim christianis quotannis Status curat diem celebrare quo gratias Deo agit: preces funduntur in legislatorum Comitiis, cappellani militum protestantes et catholici adsciscuntur, die dominica publice sanctificatur, evangelium in scholis legitur, etc. Cfr. Badii, *Ius canonicum comparatum*, Romae, 1925, p. 577; Ottaviani, *Institutiones*, ed. III, Romae, 1948, vol. II, p. 410 ss. Ii, autem, qui hanc Ecclesiae condicionem considerant ut perfectam et in Statu quoque catholico suscipiendam, parvi pendunt, quae Leo XIII in Litt. Enc. *Longinqua Oceani* hac in re asseveravit (*Acta Leonis XIII*, vol. XV, p. 3 ss.).

Leonis XIII, Litt. Enc. *Libertas* (*Acta Leonis XIII*, vol. VIII).



2° **Liberales moderati** non negant iuridicitatem Ecclesiae; huic sane concedunt suum ius existendi et agendi, independenter a Statu, sed vicissim Status nullo officio erga eam ligatur planeque eam ignorat, ita ut in omni iure civili constituendo « in institutis, moribus, legibus, reipublicae muneribus, institutione iuventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant quam si esset omnino nulla » (Ibid.).

3° **Catholici liberales** admittunt in abstracto Ecclesiae superioritatem et subordinationem societatis civilis, cum intelligant id exigi per se a suprema ratione finis ultimi; sed in praxi insistunt pro utriusque separatione.

Liberalium autem errores duplici ex capite primum omnium explicationem seu rationem sui habent: nam, vel ex eo procedunt quod revelationem non admittunt, vel ex eo quod revelationis dogmata non adaequate accipiunt. Hinc generatim cum liberalibus praemittenda est, quando id opportunum et possibile est, disputatio theologica. Secus arguendum est ex ipsis principiis libertatis quorum ipsi vindices volunt videri.

Notat Cavagnis[1] liberalismum absolutum negare factum divinae revelationis, ordinis supernaturalis existentiam, Ecclesiaeque divinam originem; non enim alia iura admittit praeter ea quae a civili societate ideoque a naturali fonte emanant.

Liberalismus moderatus vero procedit tum ex exaggerata consideratione iurium Status, nec non ex inadaequato conceptu finis eiusdem; tum etiam ex non recta et plena acceptione revelationis: hinc coram huiusmodi liberalibus vindicanda est genuina natura Ecclesiae eiusque potestas socialis, recte delimitanda sunt iura et finis Status (n. 159 ss.).

[1] *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. I, n. 530 ss., p. 342. Cfr. Billot, *De habitudine Ecclesiae ad civilem societatem*, Romae, 1922, p. 39 ss.

http://www.obrascatolicas.com

Directe liberalismus oppugnatur quoque arguendo contra opinionem, quae communis est omnibus cuiusque generis liberalibus, de separatione Ecclesiae a Statu.

**181. Separatio Ecclesiae a Statu: *A*) quomodo concipiatur.** – Systema separationis magis vulgatum illud est quod enunciatur nota formula *Libera Ecclesia in libero Statu.*[1]

Asserta plena Status autonomia etiam a quolibet iure religioso, separatistae utramque societatem, ecclesiasticam videlicet et civilem, per suam viam procedere seorsim debere asserunt. Status sibi proponit in sua activitate sociali *ius*, Ecclesia vero *religionem;* cum igitur activitas unius versetur in quodam circumscripto orbe in quo non debet versari activitas alterius, nulla est ratio cur duae societates mutuo colligentur cum discrimine libertatis alterutrius: sunt distinctae et insociabiles.

Itaque Status legiferabit de rebus suis, quin sollicitus sit de exigentiis socialibus Ecclesiae; iura *circa sacra,* sane, sibi non vindicabit, sed simul non permittet quominus, ob exigentias religiosas, coarctetur suum liberum ius agendi circa ea omnia quae quomodocumque civilem et politicum ordinem attingant. Status namque pari iure legiferabit, v. gr. de matrimonio christiano ac de ceteris iuridicis negotiis quae, sicut matrimonium, cum ordine civili connectuntur. Vicissim, si quod sit habens merum characterem religiosum, Status incompetentem circa illud se declarabit et idipsum penitus relinquet Ecclesiae, reservata sibi sociali functione tuendae libertatis et iuris cuiusvis civis profitendi et exercendi suam religionem.

[1] In Italia solemniter proclamata fuit a comite Cavour, in comitiis subalpinis die 27 martii 1861; sed in Statibus Foed. Amer. Septentr. viget inde a die 17 sept. 1787; in Belgio a die 7 febr. 1871; cfr. FRIEDBERG-RUFFINI, *Trattato di diritto ecclesiastico,* Torino, 1893, § 29, n. 18, p. 159 ss.



**182.** 1° In practica autem applicatione horum principiorum plurimum discrepant separatistae. Nam difficultas et quaestio maxima est praecise in hoc: videlicet in determinatione iurium quae sub nomine *libertatis religionis et Ecclesiae* venire debeant. Plures autumant esse applicandum ius commune: in quo erit singulis personis cautio (garanzia) iuris individualis circa religionem, ipsisque erit cautio iuris socialis seu libertatis associationis religiosae, in quantum frui poterunt, in religiosis communitatibus ineundis, iisdem iuribus quae a Statu conceduntur ceteris cuiusvis generis societatibus.

2° Id tamen quidam putant non satis consulere societatis civilis securitati et incolumitati; hinc praetextu « cavendi » speciale ius condendum esse censent, iuri communi additum, quo dum libera relinquuntur religionis professio et exercitium cultus, praeventivae normae tamen statuuntur, ac sanctiones speciales determinantur ad praecavenda quaevis molimina, aut damna quae praetextu religionis inferri possunt ordini sociali, itemque compescuntur quilibet abusus in exercitio sacri ministerii.[1]

3° Neque desunt qui separationem Ecclesiae a Statu ita instaurare intendunt ut civilem sovranitatem, imo etiam *exclusivam suprematiam,* censeant ita tuendam, ut influxum politicum Status in ipsis rebus religiosis *positive* inducere velint, pro utilitate nationis, ideoque nonnulla principia iurisdictionalismi cum ipsa separatione hibride miscere studeant.

**183. Separatio Ecclesiae a Statu: *B*) quibus argumentis defendatur.** – Fundamentalis error quo innititur aedificium

[1] Ita MINGHETTI, *Chiesa e Stato,* Milano, 1878, p. 199. Aliis verbis *plenam libertatem* Ecclesiae dare nolunt, fruendi ipso iure communi, pro constitutione personarum iuridicarum, ne familiae et ordines religiosi efformentur aut publice organizentur (BONGHI, *Le associazioni religiose e lo Stato, Nuova Antologia,* XIX, 1872, p. 48 ss.) ne augeatur sic dicta *manusmortua* (RUFFINI, in nota cit.). Item nolunt Ecclesiam libere ad regimen suum procedere vi suarum normarum, quas ius commune deberet recognoscere pro relationibus socialibus internis Ecclesiae (SCADUTO, *Le Guarentigie pontificie,* Torino, 1889, p. 552). Igitur considerant potius Ecclesiam ut hostilem Statui, sub speciali vigilantia et specialibus normis et sanctionibus premendam (HINSCHIUS, *Kirchenrecht,* Berlin, 1857, § 40; PIOLA, *La libertà della Chiesa,* Milano, 1874, p. 31).

http://www.obrascatolicas.com

iuridicum separationis Ecclesiae a Statu est in perverso modo quo intelligitur *libertas conscientiae* (n. 172). Cum enim ponatur in Statu assertum officium verendi ac iuridice tuendi quamlibet civium opinionem, etiam erroneam, et relinquendi liberam subditis facultatem loquendi et docendi quidquid magis libuerit, et colendi Deum ritibus etiam falsis, logice ponitur etiam in Statu officium vitandi quidquid considerari possit, in opinionum et religionum luctis, violatio illius neutralitatis quam Status servare debet ne uni civium classi magis faveat quam alteri, cum *omnes repraesentet*.

Iamvero per publicam seu officialem susceptionem unius aut plurium religionum, et per agnitionem specialium iurium et praerogativarum quae unaquaelibet Ecclesia sibi vindicat, quaeque privilegia unius classis civium constituerent, Status conscientiam aliorum qui aliter credunt vel omnino athei sunt offenderet, et aequalitatem inter omnes cives non servaret.

Cum his principiis connectuntur omnes particulares rationes ad corroborandum systema separationis adductae. Ex his enumeramus praecipuas:

**184.** 1. Primo quidem dicunt rationem ineundarum relationum iuridicarum inter Ecclesiam et Statum nullam adesse, cum utriusque societatis *diversus sit finis*, omninoque distinctus existat circumscriptus orbis activitatis: Status agit in ordine externo, iuridico, temporali; Ecclesia vero in ordine conscientiae, religioso, spirituali; atqui religio est *res privata*, singulos respiciens, non communitatem civilem.

2. Quod si Status, inquiunt, vellet cum Ecclesia iuridicas relationes instaurare, illa utique esset Ecclesia ab eo seligenda quae veram religionem promovet; atqui, omnes ecclesiae sibi vindicant monopolium veritatis religiosae: ergo Status deberet se iudicem constituere. Iamvero in rebus religiosis ipse est *incompetens*, et ridiculum esset ipsum inter pugnantes ritus et diversa dogmata theologum agere.



3. Ceterum, instant, neque aequum est exigere ut ipse maioris partis civium religionem publice suscipiat: id enim esset offensioni ceteris civibus. Insuper cum tali principo posset praecludi via verae religioni. Susceptio autem simultanea omnium cultuum, saltem eos cives offendit qui *laicum* volunt Statum.

4. Contrarium autem argumentum, a catholicis allatum in favorem unionis et concordiae Ecclesiae cum Statu, deductum ex iugi et efficacissimo influxu religionis et Ecclesiae in provehenda moralitate, pace et prosperitate publica, liberales extenuare conantur denegato omnino quolibet necessario nexu inter religionem et publicam moralitatem, vel asserta sufficientia vinculi moralis inter Statum et *religionem*, cum exclusione omnis vinculi iuridici inter Ecclesiam et ipsum Statum.

5. Addunt denique separationem requiri pro bono et utilitate practica utriusque societatis: permixta Ecclesiae et Status iura, inquiunt, minora fiunt atque incertiora, seiuncta, vero, liberiora fient et validiora. Et adducunt exemplum luctarum inter sacerdotium et imperium, medio aevo et in ipso regimine concordatorum. Ecclesiam autem pingunt velut inhiantem iuribus civilis potestatis et anxiam sibi devinciendi Statum ut eum sibi reddat instrumentum cuiusdam nequissimae Inquisitionis.

**185. Catholicis liberales** certe non his utuntur argumentis; ipsi quidem rei sacrae a re civili distractionem non probant, sed tamen faciendam censent, ut Ecclesia obsequatur tempori, et flectat se atque accommodet ad ea quae, in administrandis imperiis, hodierna prudentia desideret.

Ipsorum doctrina praescindit, ut dicunt, a principiis abstractis; in concreto, habita ratione recentis progressus aut saltem attenta actuali plurium civitatum condicione, putant nostri temporis prudentiam, sicut et maiorem Ecclesiae utilitatem, expostulare ut ipsa ex integro separetur a Statu. Ad id confirmandum supra modum exaggerant damna quae nonnulli principes christiani, praetextu eam protegendi, Ecclesiae intulerunt. Extollunt denique fecundam Ecclesiae activitatem et propriam ac ingenitam virtutem sese propagandi



http://www.obrascatolicas.com

ac prospere gerendi absque humanae societatis praesidiis, ut evincant eidem optimum esse uti illa libertate quae, vi principiorum liberalismi, ex iure communi etiam Ecclesiae veniet; et adducunt exemplum prosperitatis Ecclesiae in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, ubi viget plena separatio.

**186. Separatio Ecclesiae a Statu est omnino reprobanda.** – Huiusmodi namque systema in ordine *theoretico* cum erroneis principiis ita cohaeret ut in suis praesuppositis, in suis consequentiis et in integro suo complexu falsissimum evadat; in ordine vero *practico,* cum vera et genuina libertate Ecclesiae per se componi nequit. Summi Pontifices sane solidissimis argumentis separationem Ecclesiae a Statu, ut systema doctrinale, reprobarunt tamquam *impium, irrationale et iniustum;* ac ut systema practicum tunc tantum tolerarunt cum, in determinatis adiunctis, *maiora mala* secus Ecclesiae imminerent; et in tali hypothesi, ne tolerandum quidem docuerunt, si criteria libertatis plene ac sincere non applicentur quoad omnia Ecclesiae catholicae negotia; re enim plerumque idem systema cedit in foedam Ecclesiae oppressionem.

Ceterum, etiam quando criteria libertatis plene applicantur, tamen minimum incommodi quod sequitur illud est, quod videlicet Status desit pluribus officiis suis erga religionem, neque illa iura Ecclesiae recognoscantur quibus eadem frui debet coram fidelibus etiam qua collectis in civili societate: neque sane vera et plena libertate gaudere dicendus est ille cuius non *omnia* iura recognoscuntur.[1]

[1] In hac quaestione, meliorem exponendae veritatis catholicae modum non dari duximus quam arctissime sequi RR. Pontificum documenta quae de eadem re agunt: sunt praesertim Litterae Encyclicae Leonis XIII, *Libertas, Immortale Dei* (v. *Acta Leonis XIII,* vol. VIII et vol. V), et Pii X, *Vehementer Nos,* 11 febr. 1906 (*Acta Pii X,* vol. III). Hinc saepius in hoc articulo invenies relata ipsorum verba, studio ad id collecta.



**187.** 1. **Impium** dicitur hoc systema: *a*) est enim eius fundamentum in illis ipsis principiis quae sunt velut cardines indifferentismi et atheismi statalis (n. 170 sq.); et alienam prorsus facit civilem societatem ab illa pietate qua, et ipsa, Deum publice colere debet, vero adhibito cultu veraeque Ecclesiae sacro ministerio (nn. 170, 171).

« Revera humani generis societas, ad quam sumus natura facti, a Deo constituta est naturae parente; ab Eoque tamquam a principio et fonte tota vis et perennitas manat innumerabilium, quibus illa abundat, bonorum. Igitur, quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonentur, propterea quod vitam et bona quae comitantur vitae a Deo accepimus, sic eandem ob causam populi et civitates. Idcirco qui solutam omnis religionis officio civilem communitatem volunt, perspicuum est non iniuste solum sed etiam indocte absurdeque facere ».[1]

Hinc etiam Pius X primam hanc affert rationem reprobandi ac damnandi legem gallicam separationis: « quod maxima afficit iniuria Deum, quem sollemniter eiurat, principio declarans rempublicam cuiusvis religiosi cultus expertem ».[2]

*b*) Est insuper *impium* quia contradicit Dei sapientissimae dispositioni; si enim ambae societates a Deo sunt, ab ipso certe ordinatae sunt ac sapientissima lege concordi colligatione consociatae, eodem sane modo ac cetera omnia *quae sunt, a Deo ordinata sunt;*[3] hinc non magis erit in Principum facultate Ecclesiam a Statu divellere, quam ceteras ordinis naturalis vel supernaturalis leges infringere, ac ordinem a Deo statutum pervertere. Quare, merito hac quoque de re illud iterari debet quod alio super negotio a Iesu dictum est « Quod Deus coniunxit homo non separet ».[4]

[1] Leonis XIII, Enc. *Humanum genus,* 20 apr. 1884 (*Acta Leonis XIII,* vol. IV, p. 60); cfr. Enc. *Immortale Dei,* §§ 12, Spernere et 13, Hac ratione.

[2] *Vehementer Nos,* § 12, *Itaque* (*Acta Pii X,* vol. III, p. 35); Enc. *Dilectissima Nobis, De iniusta rei catholicae condicione in Hispania,* 3 iun. 1933 (*A. A. S.,* 1933, vol. XXV, n. 10).

[3] *Rom.,* XIII, 1.

[4] Matth., XIX, 6.

http://www.obrascatolicas.com

Equidem systema separationis « descriptionem pervertit rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quae profecto utriusque societatis, religiosae et civilis, concordiam requirit. Nam, quoniam ambae, tametsi in suo quaeque genere, in eosdem tamen imperium exercent, necessitate fit, ut causae inter eas saepe existant eiusmodi, quarum cognitio et diiudicatio utriusque sit. Iamvero, nisi civitas cum Ecclesia cohaereat, facile ex illis ipsis causis concertationum oritura sunt semina, utrinque acerbissimarum; quae iudicium veri, magna cum animorum anxietate, perturbent ».[1]

2. **Irrationale** autem et absurdum dicitur systema separationis Ecclesiae a Statu: *a*) primo quidem quia naturae et destinationis hominum inadaequatam habet rationem, separando bonum cuiusque *civis* a bono eiusdem *qua fidelis*. Sane, verum civium bonum non intelligitur nisi illud quod cum eorumdem suprema destinatione congruit; ideoque nequit Status, civium bonum prosequendo, ab eorumdem bono qua fidelium praescindere; quo fit ut non possit pariter praescindere ab ea societate cui bonum civium spirituale procurare directe commissum est.

*b*) Praeterea est irrationale quia impedit quominus ipsum civitatis bonum temporale in sua plenitudine obtineatur, imo etiam maximum importat civili societati detrimentum. Haec enim florere aut stare diu, posthabita religione, quae summa dux ac magistra adest homini ad iura et officia sancte custodienda, non potest.[2]

*c*) Est denique irrationale quia dum utriusque societatis *independentiam* ab invicem et libertatem asserit, simul tamen *dependentiam Ecclesiae a Statu* praesupponit. Formula « Ecclesia libera in libero Statu » adstruit quidem ius libertatis Ecclesiae coram Statu, sed determinationem sphaerae activitatis Ecclesiae, intra quam haec libere agere valeat, Statui reservat; at vero, ius libere agendi Ecclesiae competens commetiri debemus ex eius

[1] *Vehementer Nos*, § 3 (*Acta Pii X*, vol. III, p. 27).

[2] Leonis XIII, Enc. *Annum ingressi*, 19 martii 1902 (*Acta Leonis XIII*, vol. XXII, p. 59 ss.). Cfr. quae supra (n. 164) retulimus de influxu Ecclesiae catholicae in bonum Status. Hinc Benedictus XV, Alloc. Cons. *In hac quidem*, 21 nov. 1921: « Nullus enim negaverit *rei civilis religiosaeque consensionem* ad tranquillitatem publici ordinis, quod bonum est fundamentum ceterorum, non parum conferre » (*A. A. S.*, vol. XIII, p. 522).



fine, circa quem Status se incompetentem declarat; igitur legibus civilibus non potest determinari intra quos limites agere Ecclesia debeat pro fine suo ne exorbitet a sua potestate. Quod si Status, spreto infallibili magisterio Ecclesiae, nolit hac super re exclusivum eiusdem iudicium admittere, ex altera parte saltem sibi nequit addicere facultatem iudicium suum unilaterale imponendi.

Logica itaque et rationabilis consequentia formulae « Ecclesia libera in libero Statu », esset haec tantum: quod videlicet ubi Status acquiescere nolit infallibili Ecclesiae magisterio de eius iuribus, communi et concordi consilio, vel etiam conventionibus, utriusque societatis simultanea et libera coëxistentia et activitas sit coordinanda.[1]

Neque *ius commune* pro omnibus associationibus conditum, si Ecclesiae quoque applicetur, tuetur veram eius libertatem: non potest enim finis religiosus aequiparari finibus profanis aliarum communitatum; neque recta norma iuridica est habenda illa qua pari modo tractantur exigentiae humanae prorsus diversae, quarum una est prae ceteris excellentissima, tum ratione necessitatis, tum ratione influxus in ordinem publicum, necnon in ipsum civilis societatis bonum.

3. **Iniustum** denique diximus systema separationis Ecclesiae a Statu quia, ut libertati conscientiae aliorum consulat, credentium conscientiam offendit.

Quae iniustitia magis evidens est in Statu catholico ubi, ut laicistarum assertis iuribus deferatur, *maioris civium partis iura laeduntur*.

Equidem mos geritur impiorum placitis qui nullum publicum cultum Deo exhibendum nullamque Ecclesiam a Statu suscipiendam esse contendunt, at simul hoc modo illorum fidelium laedunt conscientiam qui iuxta propriae religionis propriaeque persuasionis dictamina, vellent satisfacere officio sanctissimo, quo ligantur, *publice* quoque et *socialiter* colendi Deum qua auctorem et supre-

[1] Merito igitur Filomusi-Guelfi, *Enciclopedia giuridica*, Napoli, 1917, § 124, p. 565, excludit possibilitatem concrete actuandi formulam tritam libertatis Ecclesiae in libero Statu hac animadversione: « Se il diritto determina nella sua forma positiva (legge) fin dove la libertà della Chiesa non invade la sua sfera, è evidente che in questa determinazione trovasi il punto necessario d'incontro ».

http://www.obrascatolicas.com

mum moderatorem omnium rerum publicarum, atque praebendi Ecclesiae illa auxilia quae dumtaxat socialiter, prout in Statu sunt collecti, valent impertiri, v. gr. auxilium vis coactivae pro executione sententiarum ecclesiasticarum.[1]

4. **Practice** autem systema separationis *in damnum cedit animarum et in limitationem Ecclesiae iurium.*

Et quidem heic ab illis separationis systematibus praescindimus, quae plerumque in votis sunt laicistarum Europae, quaeque non sunt nisi formae oppressionis Ecclesiae. Exempla sunt in legibus quibus rationes Ecclesiae a rationibus Status dissociatae fuerunt in Gallia, in Lusitania et postea in Mexico atque in Hispania:[2] negatur Ecclesiae, qua tali, eiusque corporationibus, etiam ad normam iuris communis erectis, ius docendi, possidendi bona temporalia, exercendi publice plurimos actus cultus, etc.

Sed etiam ubi ius commune, sine specialibus restrictionibus, pro Ecclesia applicatur, nequit eadem dici plene libera.

In tali Statu enim Ecclesiae non permittitur invigilare educationi publicae, sicut ei ius est vi suae spiritualis missionis pro tutela fidei et morum; non potest exigere cautiones necessarias quoad magistrorum selectionem vel quoad tutelam indissolubilitatis matrimonii christianorum; non permittitur executionem coactivam omnibus suis sententiis dare, saltem quatenus Status non praebet necessariam adsistentiam vis armatae; item Ecclesia non protegitur a Statu sicut huius esset officium sanctissimum.[3]

---

[1] Hoc quidem praesertim si consideretur officium principum catholicorum brachium saeculare praestandi, ut demonstrabitur infra (n. 213, sq.).

[2] Cfr. lex gall. separationis 9 dec. 1905: decretum lusitan. de separatione, 20 apr. 1911; Const. Hisp., 9 dec. 1931 sub socialistico regimine edita; vid. Badii, *Ius canonicum comparatum*, Romae, 1925, p. 284 ss.; p. 471 sq. De condicione vero Ecclesiae in his Rebuspublicis, vid. Ottaviani, *Institutiones*, Romae, 1948, vol. II, nn. 413, 416, 421; quoad Mexicum et Russiam, ibid., nn. 422, 425.

Quod vero attinet ad Lusitaniam, felix concordia Status et Ecclesiae remedium posuit praecedentibus laicismi erroribus, stipulatione Concordati initi die 7 maii 1940 (*A. A. S.*, vol. XXXII, n. 7, p. 217 et sq.); item triumphalis restauratio ordinis in Hispania, contra communistarum ausos et vastationes, attulit reditum ad legislationem christianam qualem traditiones catholicae illius nationis exigebant.

[3] Iis qui exemplum adducunt ex condicione Ecclesiae in Statibus Foed. Amer. Sept. haec respondenda sunt, quae Leo XIII in ep. *Longinqua Oceani*, 6 iunii 1895 ad episcopos americanos scribebat: « Quod enim incolumis apud vos res est catholica, quod prosperis etiam auctibus crescit, id omnino fecunditati tribuendum qua divinitus pollet Ecclesia, quaeque, si nullus adversetur, si nulla res impedimento sit, se sponte effert atque effundit; longe tamen uberiores ditura fructus, si, praeter libertatem, gratia legum fruatur patrocinioque publicae potestatis » (*Acta Leonis XIII*, vol. XV, p. 7).



Sed denique maximum incommodum, quod venit etiam in damnum animarum, procedit ex frequenti possibilitate conflictus inter legislationem unius et alterius societatis, si seorsim, absque ulla amicabili concordia, utraque legiferet; semper enim prae oculis habendum est utrique societati eosdem subiectos esse subditos plurimasque res esse in quibus utraque societas competens sit, quare usuvenire potest ut, circa eandem rem iisdem subditis diversae et oppositae obligationes imponantur. Iamvero quoniam in legum conflictu liberales contendunt omnino praevalere debere legem Status et, ceterum, cum in manu Status sit vis physica qua fideles poena mulctari possunt si legem civilem infringant, sequitur vel iniuste subeundum esse damnum huiusmodi poenae, vel legem Ecclesiae esse infringendam cum discrimine propriae salutis spiritualis.

188. Nihil mirum est igitur si separationis systema ab omnibus Romanis Pontificibus qui inde a Gregorio XVI gubernacula Ecclesiae susceperunt damnatum et reprobatum est, tamquam impudentissimae libertatis commentum et *discordiae principium*, item tamquam systema *penitus erroneum, absurdum* et *perniciosum*.

De rationibus rei sacrae reique civilis distrahendis, iam Gregorius XVI scribebat: « Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab *impudentissimae libertatis* amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta exstitit et salutaris ».[1]

---

[1] Enc. *Mirari*, 15 aug. 1832. Denz., *Enchiridion*, n. 1615.

http://www.obrascatolicas.com

Pius IX damnavit sequentem propositionem « Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est ». [1]

Et Leo XIII, describens systema separationis, quod a principio libertatis conscientiae deducitur : « Ex quo *perniciosum* illud gignitur consectarium civitatis Ecclesiaeque rationes dissociari oportere. Sed haec quam *absurde* dicantur, haud difficulter intelligitur ». [2]

Pius X vero : « Civitatis rationes a rationibus Ecclesiae segregari oportere, profecto *falsissima, maximeque perniciosa sententia est* ». [3]

**189.** Ex dictis patet quid sit respondendum liberalium argumentis supra (n. 184) allatis.

1. Ad primum respondetur aliud esse distinctionem finium et societatum, aliud vero separationem; etiam ex religione et auctoritate Ecclesiae officia oriuntur pro hominibus vere *iuridica* : profecto saltem ex eo quod utriusque societatis sit imperium in eosdem, sequitur requiri utriusque potestatis consensionem et colligationem, non vero discessum (n. 187, 1° *b* ; et 3°).

Falsum autem est religionem rem esse mere *privatam* : sicut enim Deus humanae societatis, non minus quam hominum singulorum, conditor est et conservator, sic non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice (n. 187, 1° *a* ; cfr. etiam n. 170 ss.).

2. Quod vero dicunt (art. 2° et 3°) Statum incompetentem esse in rebus religiosis, nec posse religionem ecclesiamque unam ceteris praeferre, rem asserunt aequivocationibus plenam : Status quidem non debet dogmatizare, at vero adsunt naturalia criteria

[1] *Syll.*, prop. 55. Denz., n. 1755. Cfr. eiusdem Pontificis Alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852.

[2] Litt. Enc. *Libertas* (*Acta Leonis XIII*, vol. VIII, p. 228).

[3] Litt. Enc. *Vehementer Nos*, 11 febr. 1906 (*Acta Pii X*, vol. III, p. 26) ; apud Denz., sub n. 1995 refertur pars conclusiva epistolae, in qua legis Gallicae separationis reprobatio et damnatio pronunciatur. — Huc spectant etiam omnia documenta *Patrum* ac *RR. PP.* quibus evincitur a Statu esse protegendam Ecclesiam.



quibus facile dignosci potest vera religio quaenam sit, praesertim ubi agitur de Statu catholico (n. 171).

Cum autem civibus persuasum sit religionem catholicam veram esse, immerito a laicistis vel ab heterodoxae fidei asseclis exigitur ut, pro ipsorum opinione, laedatur catholicorum conscientia, et insuper laedantur iura veritatis (n. 187, 3° ; item, n. 172).

3. Neque illud verum est, quod quarto loco asseritur, posse videlicet Statum bona fovere ex moralitate et pietate populorum secutura, promovendo subditorum religiositatem et cultuum liberum exercitium, sine relationibus iuridicis cum Ecclesia vel cum ecclesiis. Sane in Statu separato iura religiosa facillime violantur (n. 187, 4°), insuper indifferentismus propagatur (n. 170) et ipsa libertate cultuum dissidia religiosa et progressus falsitatis promoventur. Quae certe moralitatem, tranquillitatem et bonum populi non iuvant.

4. Egregia autem hypocrisis est eorum qui asserunt bonum ipsius Ecclesiae ex separatione esse secuturum, eo quod iura Ecclesiae sic non permisceantur nec a Statu usurpentur.

Nec mixta nec permiscenda dicimus Ecclesiae iura : distincta illa sunt, ut animae corporisque officia, non tamen seiungenda vel distrahenda, ne intereat societatis vita.

Quod vero inhians sit Ecclesia iuribus Status, falsum omnino est ; immo contrarium obtinet, ut facile ostenditur ex doctrina non unius tantum vel alterius legulei caesarei, necnon ex gestis plurimorum imperatorum, vel etiam ex modo quo plerumque separatistae in hac ipsa aetate nostra Ecclesiam tractant. [1]

**190. Ad liberalium catholicorum** argumenta quod spectat, notamus praeprimis ambiguam esse ipsorum assertionem debere videlicet Ecclesiam accommodare se temporum exigentiis, seu flectere se ad ea quae in administrandis imperiis hodierna prudentia desiderat.

Huiusmodi sane est honesta sententia, « si de quadam intelligatur aequa ratione, *quae consistere cum veritate iustitiaque possit* : nimirum ut explorata spe magni alicuius boni,

[1] De his vid., ubi de erroribus deque abusibus laicalium potestatum contra Ecclesiae iura.

http://www.obrascatolicas.com

indulgentem Ecclesia sese impertiat, idque temporibus largiatur, quod salva officii sanctitate potest. Verum secus est de rebus ac doctrinis quas demutatio morum ac fallax iudicium contra fas invexerint. Nullum tempus vacare religione, veritate, iustitia potest: quas res maximas et sanctissimas cum Deus in tutela Ecclesiae esse iusserit, nihil est tam alienum quam velle, ut ipsa, quod vel *falsum est vel iniustum dissimulanter ferat aut in iis quae sunt religioni noxia conniveat*».[1]

Iamvero accommodatio quam catholicismus liberalis postularet, videtur esse potius huius secundi generis a Leone XIII reprobati: equidem deberet Ecclesia sese accommodare distinctioni illi a liberalibus conclamatae, vi cuius catholici duplicem personam agere deberent, alteram quidem *privatam* subiectam utique religiosis obligationibus, alteram vero *publicam* seu socialem omni expertem religioso officio aut ligamine erga Ecclesiam.

Item deberet Ecclesia acquiescere persuasioni cui innititur separatismus, non posse videlicet conciliari principia iuris publici ecclesiastici cum progressu et cum vera notione condicionis iuridicae Status; aliis verbis deberet admitti quod practice progressus scientiae iuris pugnat cum principiis divinis de Ecclesiae constitutione et potestate, quae poterant conformari tantum cum defectibus temporum antiquorum.[2]

Demum deberet Ecclesia, ut gauderet libertate, accommodare se tali praxi quae est, in se et generaliter sumpta, non expers maximis periculis: non solum enim hac via incolumia minime manent omnia Ecclesiae iura, sed illa quae servantur,

[1] Litt. Enc. *Libertas* (*Acta Leonis XIII*, vol. VIII, p. 244).

[2] De Luca, *Institutiones iuris ecclesiastici publici*, Romae, 1901, vol. I, p. 243 ss. — Hunc pertinet propositio sequens, a Pio IX damnata: «Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo, et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere». *Syll.*, prop. 80. Denz., n. 1780.



praetio aequiparationis cum ceteris cultibus, essent emenda: igitur libertas erroris esset habenda necessaria, ut libertate gaudeat veritas.

**191.** Verum instant liberales catholici: sin minus absolute, saltem comparative systema separationis et bonum in se est et forte melius reliquis quae in hodierna societate haberi possent. Hodie namque Status vel sunt supernationalismo addicti, ideoque *iurisdictionalismi* principiis infecti, quibus Ecclesia in servitutem redigitur et instrumentum regni consideratur; vel sunt principiis ultrademocraticis devicti, ideoque Ecclesia in eis oppugnaretur si, iure communi non contenta, vellet protegi et superiori haberi: quam calumniarentur quasi volentem in Statum dominari et privilegia sibi captare, ipsaque odio plebium exponeretur et *persecutionibus*, cum magno animarum discrimine.

At vero **hypothesis mali maioris**, quod tolerando separationem vitari posset, etiam ab Ecclesia aequo animo consideratur. Verum *hypothesis* haec differt omnino a *thesi* liberalium catholicorum quae systema generale constituit.

Liberales dicunt: hodie ex temporum adiunctis, bonum est si Ecclesia a Statu ubique separetur, et contenta sit illa libertate quam ius commune omnibus consociationibus et cultibus largitur. Hypothesis catholica e contra haec est: si in aliquo Statu talia sint adiuncta in quibus tolerantia separationis esset minus malum quod Ecclesiae obvenire potest, puta tamquam unica via practica ad vitandam existentem vel imminentem persecutionem, catholici tunc acquiescere possunt separationi.[1]

Liberales catholici ergo separationem ut systema ordinarium et bonum nostris temporibus habent; catholici vero pure et sim-

[1] Dummodo tamen, ut infra videbimus (n. seq.) separatio ita instauretur, ut ex iure communi Ecclesia *vera gaudeat libertate*. «Cette situation se produit dans certains pays. C'est une manière d'être qui, si elle a ses nombreux et graves inconvénients, offre aussi quelques avantages, surtout quand le législateur, par une heureuse inconséquence, ne laisse pas de s'inspirer des principes chrétiens; et ces avantages bien qu'ils ne puissent justifier le faux principe de la séparation, ni autoriser à le défendre, rendent cependant *digne de tolérance* un état de choses qui, pratiquement, *n'est pas le pire de tous*». Leonis XIII, Litt. Enc. *Au milieu*, 16 febr. 1892 (*Acta Leonis XIII*, vol. XII, p. 39) et ea quae exposimus p. 295 ss.

http://www.obrascatolicas.com

pliciter *catholici,* separationem habent ut malum minus, tunc tantum tolerandum cum nulla alia via practice experienda maneat ad iura et libertatem Ecclesiae proficue vindicanda.

Ex omnibus autem hucusque dictis satis constat cur etiam systema catholicorum liberalium sit ab Ecclesia damnatum.[1] Quod sane systema theorice et practice nostra ipsa aetate refutatum est, cum operosa ac prudenti iurium Ecclesiae defensione contra liberalismi, supernationalismi et democraticismi placita, possibiles contigerunt plures conventiones, post immane bellum,[2] ad rationes Ecclesiae cum rationibus civitatis amice componendas, ex quibus pactionibus socialis pacificationis et moralis instaurationis fructus profecti sunt, uberiores in posterum auspicato manaturi.

## ARTICULUS II

### Catholici in Statu separato

**192. Condiciones quibus separatio tolerari potest.** – Ut catholici separationi acquiescere possint, non solum requiritur ut haec sit reapse remedium contra Ecclesiae oppressionem, sed etiam ut a civitatum rectoribus separatio sincero animo dandi libertatem Ecclesiae non minus quam ceteris licitis consociationibus instituatur.

Debent videlicet veritatis iustitiaeque iura incolumia servari: quod si separatio ita instituatur ut nec salva sit naturalis iustitia nec immunia sint iura Ecclesiae existendi et

[1] Praeter documenta supra allata (nn. 170 et 188), vid. etiam PII X, Litt. ad Card. Ferrari archiep. Mediolan., *Le siamo grati,* 27 febr. 1906 (*Acta Pii X,* vol. III, p. 48). Iam autem Pius IX: «Ast practici liberales catholici adhuc existunt qui, cum de hac peccaminosa atque toti religioni iniuriosa praxi eos arguimus, in responsis ad se tuendos, in eadem damnata principia aut in horum consectaria relabuntur». Enc. *Quanta cura,* 8 dec. 1864. Cfr. etiam Alloc. *Acerbissimum,* 27 sept. 1852.

[2] Has quidem in volumine collegit cl. PERUGINI, *Concordata vigentia,* Romae, 1934, ubi praeter Concordata post bellum inita, etiam Conventiones referuntur ante bellum stipulatae et adhuc vigentes. V. etiam novam editionem MERCATI, *Raccolta di Concordati,* Tip. Vat., 1954.



agendi iuxta exigentias sui finis et suae constitutionis, saltem intra aequos limites iuris communis civilis, tunc ne toleranda quidem est talis separatio.

Quare ubi quaestio movetur de dissociandis rationibus Ecclesiae a rationibus Status, catholici, si nulla alia via manet ad vindicanda plene iura Ecclesiae, omni studio contendere debent ut praevie legibus caveatur ne status separationis aequivaleat statui oppositionis, idest curare omnino debent ut Ecclesiae eam libertatem vindicent quae consentanea sit saltem ipsis principiis Status indifferentis et separati.[1]

*Cautiones* autem hae sunt:

1° ut Ecclesia habeatur collegium licitum, eique competant iura ceterarum corporationum personalitatem iuridicam obtinentium;

2° ut libera sit eidem facultas exercendi propriam potestatem pro directione animarum, quin eius acta submittantur specialibus vinculis (v. gr. regio placito vel aliis «iuris cavendi» formulis);

3° pariter ut libera sit facultas catholicum cultum privatim et publice exercendi;

4° ut ius sit catholicis scholas confessionales celebrandi, cum agnitione publicae instructionis in eis impertitae, ne iidem cogantur scholas atheas sustentare et etiam frequentare;

5° ut Ecclesiae liberum sit ius acquirendi, possidendi et administrandi bona temporalia, tum per se tum per personas morales sibi subditas, etiam religiosas, saltem sicut ceteris honestis civium consociationibus;

6° ut professio religionis in sua forma perfectiore, seu per nuncupationem votorum, libere fieri possit quin membra ordinum religiosorum, qua talia, morti civili addicantur.[2]

[1] Cfr. AICHNER, *Compendium iuris ecclesiastici,* Brixiniae, 1915, § 40, p. 122 sq.

[2] SOLIERI, *Elementa iuris ecclesiastici,* Romae, 1921, n. 296, p. 218; BACHOFEN, *Summa iuris ecclesiastici publici,* Romae, 1910, n. 131; DE ANGELIS, *Praelectiones iuris canonici,* Romae, 1877, vol. I, p. 177 ss., ubi iura

http://www.obrascatolicas.com

**193. Catholicorum officia.** – Notandum est insuper talem Ecclesiae condicionem a catholicis *tolerandam* esse *ad tempus*, scilicet quousque res eo adduci possint ut legitima relationum inter utramque societatem ratio vindicari et in praxim iterum adduci proficue possit; hinc patet *maiora esse officia catholicorum* pro tuendis Ecclesiae iuribus et acrius eos decertare debere in Statu separato, quam ubi viget relatio normalis concordiae inter utramque potestatem. Quam autem sint catholicorum officia tam in opinionibus, quam in factis, tam etiam in vita privata quam in vita publica, sive operam conferendo ad rerum urbanarum administrationem sive etiam ad munerum politicorum exercitium, accurate a Leone XIII descripta et definita sunt in Encyclicis litteris *Immortale Dei*.[1]

## TITULUS III

### SYSTEMA IURIDICUM RELATIONUM INTER ECCLESIAM ET STATUM

Exclusa legitimitate systematis *negativi*, seu separatismi, sequitur *positivum* quoddam systema relationum iuridicarum existere debere, quo inter utramque societatem necessaria colligatio ordinetur: priusquam vero rectum exponamus systema, erroneas *hierocratismi, iurisdictionalismi* ac *totalitarismi statalis* doctrinas expungemus.

---

in Statu indifferenti Ecclesiae vindicanda, vi iuris naturalis socialis, singillatim exponuntur. Patet igitur quare Ecclesia, dum separationem gallicam et hispanicam damnavit, belgicam et americanam toleravit.

[1] In §§ 60-66, quarum en argumenta: 1° sentire cum Ecclesia; 2° vitam degere christianis moribus conformem; 3° dare operam ut ad christianam similitudinem et formam omnis respublica traducatur: « catholicos quidem, quotquot digni sunt eo nomine, *primum omnium* necesse est amantissimos Ecclesiae filios et esse et videri velle ». Cfr. etiam quae infra habentur de *Actione Catholica*, n. 290.



## ARTICULUS I

### Systema hierocraticum

**194. Assertores directae potestatis Ecclesiae in temporalibus.** – Hanc potestatem Ecclesia numquam sibi vindicavit: calumniantur enim eam qui systema iuridicae dominationis Ecclesiae in Statum, etiam in rebus mere civilibus et politicis, fuisse doctrinam Pontificum contendunt, ac sententiam catholicam talem fuisse conantur demonstrare etiam ex factis illis historicis in quibus aliqualis RR. PP. interventus elucet in negotiis politicis medii aevi. Hinc vocant, ut diximus, hoc systema *pontificium purum, papale, curialisticum*.

Contra, Ecclesia haud semel mentem suam hac super re aperuit, recte delimitans finem suae potestatis.

*S. Gelasius I* scribebat ad imperatorem Anastasium: « Duo sunt, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacra pontificum et regalis potestas »;[1] itemque: « Quantum ad ordinem pertinet publicae disciplinae, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites ».[2]

*Gregorius II* rem urgebat his verbis: « quemadmodum pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias conferendi, sic nec imperator Ecclesias introspiciendi, etc. »:[3] quam comparationem iam instituerat Hosius Cordu-

---

[1] Apud MIGNE, M. L., 59, col. 42.

[2] In ep. cit. l. c.; cfr. etiam *Nicolai I, ep.* (8) *ad Michael. imp.* DENZ., n. 333: « ... cum ad verum ventum est eundem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator iura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit. Quoniam idem "mediator Dei et hominum homo Christus Iesus" (*I Tim.*, II, 5) sic actibus propriis et dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque decrevit... ut et christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur: quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incursibus ».

[3] Cfr. supra n. 63, p. 112 ss. ubi alia plurima ex Gregorio Magno, Ioanne Chrysostomo, Ambrosio, etc. Vid. etiam CAVAGNIS, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. I, n. 222, p. 124.

http://www.obrascatolicas.com

bensis: « Tibi Deus — inquit ad imperatorem Constantium — imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum, qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue ne, si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias ». [1]

Neque desunt documenta auctoritatum Medii Aevi: duo sufficiat e praecipuis referre.

*Innocentius III* cap. *Novit* [2] cum intervenire debuerit in controversia agitata inter reges Galliae et Angliae, propter correptionem ratione peccati, aperte declarat: « Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum (regem Galliae) spectat iudicium... sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura ».

*Concil. Later. IV* cap. 42: « Sicut volumus ut iura clericorum non usurpent laici, ita velle debemus, ne clerici iura sibi vindicent laicorum. Quocirca universis clericis interdicimus, ne quis praetextu ecclesiasticae libertatis suam de ceteri iurisdictionem extendat in praeiudicium iustitiae saecularis, sed contentus existat constitutionibus, scriptis et consuetudinibus hactenus approbatis, ut quae sunt Caesaris reddantur Caesaris et quae sunt Dei Deo recta distributione reddantur ».

**195.** Verum non est negandum tempore medii aevi nonnullos extitisse viros doctos qui argumentis sane valde infirmis susciperent patrocinium sententiae de potestate Ecclesiae *in civilibus* qua talibus (seu de potestate directa Ecclesiae in temporalibus). Inter hos accensentur: Aegidius Romanus, doctor fundatissimus appellatus, [3] Alexander a S. Elpidio, Iacobus Viterbiensis, Alvarez Pelagius, Augustinus Triumphus, quibus addendi sunt Henricus de Cremona, Ioannes Saresberiensis ep. Carnut., [1] et alii pauci.

Ii namque, praesertim qui saec. XIV scripserunt ut refutarent errores Marsilii Patavini, in propugnandis praerogativis Sedis Apostolicae iustos excesserunt limites: qua in re suam partem certe habuit tum aestus luctarum factionum, tum audacia adversariorum in extollendis iuribus caesareis cum detrimento libertatum ecclesiasticarum. [2]

I. Itaque in Romano Pontifice, « in quo — iuxta ipsorum mentem — omnes potestates aggregantur, et ad quem reducuntur et ad quem tamquam in simplicissimum terminantur », talem unitatem substantialem potestatis spiritualis et civilis constituebant ut civiles magistratus vel in ipso ordino politico haberent tamquam *vicarios* pontificis, quibus, dumtaxat qua vicariis, usum tantum vel executionem sive administrationem potestatis a R. P. concessae agnoscebant; hinc etiam deducebant ipsius Romani Pontificis esse « iudicare de temporalibus imperatorum et principum, vacantibus imperio et regnis » et principes suo principatu privare. Quas doctrinas iidem conabantur probare « scripturis divinis, expositionibus sanctorum, sacris constitutionibus, argumentis, rationibus et exemplis ». [3]

II. Ut autem explicetur ratio tam arduae amplificationis ecclesticae potestatis, prae oculis haberi debent temporum adiuncta, audax adversariorum Ecclesiae impetus. Prae oculis habeantur luctae inter Philippum Galliae Regem et Bonifacium VIII et collateralis contentio inter scholasticos et doctores utriusque partis, cuius extremae tendentiae testes haberi possunt tractatus hinc *De eccle-*

[1] E. Athanasii, *Hist. arian. ad monachos*, edit. maur. n. 44 (M. G. 25, col. 746).

[2] C. 13, X, *de iud.* II, 1.

[3] Aegidius Colonna, Romae natus anno 1247, supremum diem obiit anno 1316. Notum est eius opus *De ecclesiastica potestate*, in cuius secunda parte (praesertim in capitibus V, IX) principia illimitatae potestatis Ecclesiae in temporalibus ponuntur.



[1] *Polycratius, sive de nuptiis curialium.* Eadem sentiebant Henricus de Segusia card. Ostiensis († 1217), et posteriore tempore (saec. XV et XVI) Nicolaus archiep. Panormitanus et Navarrus. Cfr. de his Suarez, *Defensio fidei*, III, 6; S. Bellarminus, *De Romano Pontifice*, V, 1.

[2] Acres exarserant luctae « guelphos » inter et « gibilinos »: controversiae inter sacerdotium et imperium postea ortum dabant doctrinis Marsilii Patavini, quae si comparentur, longe dicendae sunt audaciores, quam opiniones auctorum quorum nomina supra recensuimus.

[3] Scholz Richard, *Die Publizistik zur Zeit Philipps des Schönen und Bonifaz VIII*, in *Kirchenrecht Abhandlungen* 6/8, Stuttgart, 1903, p. 469-474.



http://www.obrascatolicas.com

*siastica potestate* Aegidii Colonna, illinc *Defensor pacis* Marsilii Patavini: ita ut pervenerint adversarii Ecclesiae usque ad denegandum ius Ecclesiae possidendi propria bona temporalia, ut v. g. legitur in « Quaestio de Potestate Papae » Petri Dubois: « Non sunt (clerici) domini rerum ecclesiasticarum, sed dispensatores tantum », unde et ipse Dantes Alighierius, in Tract. *De Monarchia,* in aestu denegationis donationis Constantinianae, ex Evangelio (Matth., X, 9, 10) deducit prohibitionem possidendi saltem *aurum* et *argentum,* cum non inveniatur in ceteris Sacris Textibus « licentiata Ecclesia post prohibitionem illam ».

Igitur iuxta rectam doctrinam catholicam, sequens ponimus principium:

**196. Principium I.** – *Ecclesiae non competit potestas directa in res temporales*: hoc est de rebus mere temporalibus, quousque effectus mere civiles producunt, Status disponit independenter ab Ecclesia.

Equidem, si Sacras Scripturas,[1] canones conciliorum, constitutiones Summorum Pontificum et sententias Patrum diligenter scruteris, omnia habes in eo consentientia, nihil potestatis civilis et politicae Ecclesiae praesulibus competere, nisi illa consideres iura quae titulo quodam historico humano et adventicio ipsis acquisita fuerint. Accedit autem aperta et valde simplex ratio cur Ecclesiae non sit adscribenda directa potestas in temporalibus: « nam quidquid fit in rebus temporalibus, sub respectu finis temporalis, est praeter finem Ecclesiae. Atqui generalis regula est, societates nihil posse in iis quae sunt extra finem proprium ».[2]

Ceterum nec magni facienda est contraria sententia ratio-

[1] Ex locis evangelicis vid. Ioan., XVIII, 36: *Regnum meum non est de hoc mundo* (cfr. Matth., XVI, 19: *Tibi dabo claves regni caelorum*); Matth., XXII, 21: *Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo.*

[2] Tarquini, *Institutiones iuris publici ecclesiastici,* Romae, 1887, p. 35; recolantur quae exposuimus supra, n. 15 ss.



ne auctoritatis eorum qui eam defenderunt. Iam sunt auctores haud certe magni nominis, qui nec aliquem influxum habuerunt in directione disciplinae et praxis iuridicae Ecclesiae.

Sane sententia illa, orta saeculo XII, iam penitus derelicta erat saeculo XVI: post Concilium Tridentinum namque nonnisi raros nacta est patronos, nostraque aetate vix ab ullo viro docto defenditur. Contra, *Suarez* et *S. Bellarminus* eam argumentis invictis definitive ex agmine rerum disputabilium extulerunt.

**197.** Sunt tamen qui obiiciunt extare doctrinam nonnullorum Pontificum, praesertim doctrinam Bonifacii VIII in Bulla *Unam Sanctam* expositam, qua mens Ecclesiae tempore medii aevi auctoritative in eundem sensum potestatis directae manifestata sit.[1] Imo non desunt qui dicunt hanc doctrinam a Bonifacio VIII fuisse definitam.

Adducunt insuper facta historica plurima quibus eueretur intromissio potestatis ecclesiasticae in rebus civilibus praesertim per regum depositionem.

Hinc concludunt errasse supremam Ecclesiae potestatem tum doctrinaliter, tum practice exorbitantem potestatem sibi vindicando et exercendo.

Iamvero, 1° si agimus de definitione dogmatica, certissime haec numquam est data de potestate directa in temporalibus; 2° imo vel ipsa mens aut tendentia Romanorum Pontificum adscribendi sibi iura politica et mere civilia *vi supremi*

[1] Fiunt nomina Gregorii IX, Innocenti III, Innocentii IV, Nicolai III, Bonifacii VIII, etc. et adducuntur sequentes textus: c. 34, X, I, 6; c. 2 et 13, X, IV, 17; c. 2, II, 14, in VI; c. un. de iur., II, 9, in Clem. Inter catholicos, cfr. Bachofen, *Summa iuris ecclesiastici publici,* Romae, 1910, p. 128: « Hanc fuisse tendentiam Pontificum, praesertim Bonifacii VIII, nemo negabit, quamvis ex altera parte asserere hanc doctrinam fuisse de fide definitam a veritate alienum est ».

http://www.obrascatolicas.com

*principatus ecclesiastici* sibi collati est pariter excludenda; 3° Romanorum autem Pontificum res gestae in ordine civili explicationem suam habent tum ex potestate indirecta Ecclesiae in temporalibus, tum ex titulis quibusdam, adventiciis quidem, at non minus legitimis quam certis.

1. Ad definitionem dogmaticam quod spectat, quae tribuitur Bonifacio VIII, notamus: Litterae *Ausculta fili* nullam continent definitionem dogmaticam; Const. vero *Unam Sanctam* habet partem, omnibus notam, quae est de fide, at illa non tangit potestatem directam, sed solummodo indirectam in temporalibus. Praemittit namque Summus Pontifex ius exigendi ut gladius temporalis pro Ecclesia exerceatur, videlicet pro finibus spiritualibus Ecclesiae, itemque facultatem iudicandi quamlibet potestatem, « si deviat » idest ratione peccati, additque nullum hominem excipi a subiectione et correptione Ecclesiae pro fine spirituali; et concludit « Porro subesse Romano Pontifici *omni humanae creaturae* declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis », quam definitionem plane similem quilibet invenit illi quam de potestate primatus dedit Concilium Vaticanum ultimis temporibus.

2. Profecto nullum serium argumentum adduci potest quo probetur tendentia RR. PP. adscribendi sibi potestatem in temporalibus directam, *titulo spiritualis suae suprematiae;* documenta quae afferuntur potestatem indirectam respiciunt; contra, non desunt Pontificum acta quibus iidem tendentiam istam a se alienam fuisse aperte manifestarunt.[1]

3. Facta historica quae adducuntur suam explicationem habent his rationibus:

*a*) Plurima ex eis speciem referunt, evidentissime, exercitii potestatis indirectae in temporalibus: habebant enim connexionem cum fine spirituali Ecclesiae; ideoque optime iustificatur interventus auctoritatis RR. PP., sicut explicabitur suo loco.

*b*) Alia, vero, rationem sui habent in iuribus adventiciis quibus aliquando dominium aliquod politicum Ecclesia acquisivit. Nempe loquimur de illis historicis et naturalibus titulis quibus legitima fuit etiam in subiecto auctoritatis ecclesiasticae cumulatio potestatis civilis. V. g. Romani Pontifices legitimis factis humanis nedum principatum romanum obtinuerunt, sed etiam, ex dominio feudali sibi oblato et acceptato, nonnulla iura super quaedam regna exercere potuerunt.

*c*) Conceptus autem *etnarchiae christianae* maxime contulit ad augendam RR. PP. potestatem in ipsos principes. Sublimis namque idea tunc temporis mentem populorum occupabat, quae etsi ex fundatione et indole Ecclesiae haud necessario profluat, tamen cum missione eiusdem bene congruit. Considerabantur quidem populi christiani ut membra universalis familiae religiosae seu unicae confoederationis gentium christianarum. Societas civilis veluti in domo Ecclesiae recepta, divisa erat quidem in diversas nationes, sed praesertim ratione foederis religiosi communionem quandam gentium praeseferebat sub quadam supremi pastoris Ecclesiae tutela ac maiestate.

Accedebat agnitio praeclarae condicionis Romani Pontificatus, tamquam praecipui principatus Europae. Ad id sane conferebat etiam influxus bonorum quae ex spirituali regimine in ordinem civilem profluebant, et sacra eminensque activitas Summorum quorundam Pontificum in rei civilis emolumentum.

**198.** Ex dictis ergo patet Ecclesiae non competere potestatem in temporalibus sub respectu temporali, exceptis utique iuribus a RR. PP. legitime *acquisitis.*

Quae doctrina clare exponitur in litteris encyclicis Leonis XIII: « Quae civile et politicum genus complectitur, — inquit — rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, *quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei Deo* ».[1] Et rursus: « Qua posita iurium et officiorum termi-

[1] Cfr. supra, n. 194. Ipse Bonifacius VIII in Consistorio an. 1302, alloc. *Quod Deus coniunxit,* postquam notavit se, 40 annos in iure versatum, optime novisse distinctionem duarum potestatum, adiunxit « protestari se quod in nullo vellet usurpare iurisdictionem. Regem tamen negare non posse quin esset Pontifici subiectus ratione peccati ». Ampliora de hac quaestione vid. in Ottaviani, *Institutiones,* ed. III, Romae, 1948, vol. II, n. 297, p. 116 ss., n. 315, p. 163 ss.

[1] Litt. Enc. *Immortale Dei,* § 27, Quidquid igitur.



http://www.obrascatolicas.com

natione, omnino liquet esse liberos ad res suas gerendas rectores Civitatum : idque non modo non invita, sed plane adiuvante Ecclesia : quae quoniam maxime praecipit ut colatur pietas, quae est iustitia adversus Deum, hoc ipso ad iustitiam vocat erga principes ». [1]

## Articulus II

### Systema regalisticum et iurisdictionale

**199. Complexus systematum.** – Anteactis temporibus qui plus aequo iura Status extulerunt in detrimentum libertatum ecclesiasticarum, duplici gressu procedebant : vel directe, *ius in sacra,* aut *ius circa sacra* tribuendo principibus ; vel indirecte, minuendo nativam Ecclesiae potestatem, quod praesertim nitebantur consequi tum impediendo auctoritatem Romani Pontificis in negotiis temporalibus cum spiritualibus connexis, tum etiam denegando plenitudinem potestatis RR. PP. in negotiis ecclesiasticis singularum nationum, quasi haec plenitudo potestatis laederet iura episcoporum.

Quare mirum non est si in unum possint colligi systemata antiqui *caesarismi* a Marsilio Patavino et Ioanne de Ianduno propugnati et systemata *gallicanismi, iosephinismi* et *iurisdictionalismi,* quae omnia communi nomine audiunt regalistarum. Nam semel diminuta et labefactata Summi Pontificis auctoritate, gubernia civilia sperabant se facilius posse suae voluntati subiicere superiores ecclesiasticos intra proprii regni limites existentes ; difficilius namque praepotentiae Status possunt resistere praelati inferiores, qui sunt ei subditi in civilibus.

[1] Litt. Enc. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890 (v. *Acta Leonis XIII,* vol. X, p. 27).



**200. Ius in sacra, ius circa sacra.** – *Ius in sacra* tamquam ius civilis imperantis proprium, ante Christi adventum, communiter apud gentes obtinuit. Romae praesertim, permixtis sacerdotali et regali dignitatibus, Caesares corporibus animabusque dominabantur.

Apud christianos populos talia iura iterum in principibus restituere conati sunt primum omnium quidam iuristae aulici qui, in luctis inter sacerdotium et imperium, iura imperii ultra iustos limites extenderunt, sicut quidam theologi pro more advocatorum, ut ait Wernz, iura partis cuius patrocinium susceperant exaggerantium (n. 195), tunc extenderunt plus aequo iura Ecclesiae.

Eminet inter hos Marsilius Patavinus cuius doctrinae specimen refertur in sequentibus propositionibus a Ioanne XXII damnatis : « Quod omnia temporalia Ecclesiae subsunt imperatori, et ea potest accipere velut sua... quod ad imperatorem spectat Papam corrigere, instituere et destituere ac punire... quod tota Ecclesia simul iuncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc imperator ».

Protestantes plerumque non minus quam acerrimi regalistae in principem iura sacra transferre solebant variis titulis, secundum quod varia systemata sequebantur.

Nec minus addicti principibus civilibus fuerunt schismatici ecclesiarum orientalium, qui Ecclesiae independentiae coram civili auctoritate prorsus valedixerunt, interventum regiminis politici in res sacras amplissimum permittendo. [1]

Qui vero non audebant loqui de iure in sacra, euphemisticam expressionem adhibebant iuris *circa sacra ;* quam hypocrisim adhibuerunt Febronianismi et Iosephinismi patrocinatores. Fingebatur namque in imperante ius quoddam eminens in omnia bona et iura privatorum, a quo Ecclesia quoque non esset subducta. Arbitraria quidem inducebatur distinctio inter essentialia et accidentalia religionis : et circa haec ultima (circa sacra) quae civi-

[1] Prae oculis habeatur ex. gr. condicio Ecclesiae sic dictae « orthodoxae » in Romania. Cfr. Ottaviani, *Institutiones* vol. II, n. 424, p. 403 ss.

http://www.obrascatolicas.com

tates proprius attingunt, iura quaedam ponebantur in principe, quorum talis erat series ut ius circa sacra nihil plane differret a iure in sacra.

Rationes autem iuridicae quibus insuper cohonestare conabantur interventum laicarum potestatum circa sacra erant sequentes:

1. **Ius cavendi et inspiciendi.** Equidem ut minor appareret contradictio exurgens ex eo quod constituitur ius in sacra vel circa *sacra* in *civili* imperante, protestantes et regalistae, praetextum iuris cavendi et inspiciendi invexerunt. Istud ius Status exercet propter ordinem civilem, inquiunt, in quo certe versatur competentia civilium potestatum, quarum est providere de omnibus quae ad bonum communitatis civilis conducere vel ab eo avertere possunt.

Haec ratio cavendi est hodie praecipua qua iustificantur abusus iurisdictionalistici plurimorum Statuum liberalium. [1]

Ius cavendi autem diversa includit iura, inter quae enumerantur v. g. placitum regium, ius exclusivae, ius reformandi, ius impediendi sic dictos abusus, quo iure processiones, peregrinationes, confraternitatum congressus potuerunt restringi, regularium constitutiones reformari etc. Nunc tamen quaedam dumtaxat in usu adhuc manent, praesertim *placitum* ac normae *speciales* praeventivae ac repressivae.

2. **Ius advocatiae** (*Ius protegendi*): hoc nomine, quo offi-

[1] Pro Statibus italicis, ab initio saeculi elapsi, cfr. FRIEDBERG-RUFFINI, *Trattato di diritto ecclesiastico*, Torino, 1893, p. 128 ss. Quoad aliorum auctorum opiniones cfr. PIOLA, *La libertà della Chiesa*, Milano, 1874, p. 86 ss.; SCADUTO, *Guarentigie pontificie*, p. 539 ss.; PADELLETTI, *La politica ecclesiastica in Italia*, p. 196 ss. Nec alienus est FILOMUSI-GUELFI, quamvis respectu aliorum moderatus dici debeat in pluribus: «Lo Stato di fronte alla potenza dell'organismo ecclesiastico che è derivato dalla natura dello stesso scopo religioso, ed in ispecie per la Chiesa cattolica dalla posizione storica da essa assunta, ha un supremo *ius cavendi* contro quanto minacci la sua esistenza fisica e morale. Tale *ius cavendi* è conseguenza del supremo diritto dello Stato di adempiere al suo fine»: *Enciclopedia giuridica*, Napoli, 1917, p. 565.



cium principis significandum esset Ecclesiam eiusque libertates, necnon religionis propagationem fovendi ac protegendi, revera illa tutela intellĭgebatur, qua negotia ecclesiastica ad utilitatem reipublicae converterentur ac dirigerentur; hac via obliqua facile principes in sacrarium intrudebantur. Ius enim advocatiae viam aperiebat ad dísponendum de rebus sacris fere per totum ambitum ecclesiasticae legislationis. Ex. gr. ius cognoscendi et tuendi essentialia religionis, ut rite docerentur, convocandi concilia, libros perniciosos prohibendi, alienationes bonorum ecclesiasticorum interdicendi, de iisque disponendi «ad salutem animarum»: Ecclesia coram Statu tutore gerere partem pupilli et viduae debebat.

**201. Principium II.** – *In spiritualibus potestatem nullam exercere valet societas civilis, cum circa eadem Ecclesia exclusive et independenter competens sit.*

Hoc principium facile probatur. 1° Equidem, ante omnia, evidenter constat ipsum esse corollarium eorum quae dicta sunt de perfectione iuridica Ecclesiae; ideoque argumenta omnia iam ad perfectionem Ecclesiae probandam adducta, huc quoque spectant (n. 57 ss.). 2° Idem principium descendit insuper, ut conclusio immediata et necessaria, ex principiis iuridicis quibus determinatur competentia societatum ex fine (n. 15 ss.). 3° Denique id cohaeret cum ipsa dispositione divĭnae voluntatis qua Ecclesia condita est omnino a civitate formaliter distincta. Utrique enim societati plane diversum finem constituendo, diversa media conferendo, et in Ecclesia hierarchiam propriam instaurando Christus diversam sphaeram actionis et competentiae statuit pro utraque societate.

Accedit testimonium unanimis et constantis traditionis, necnon docentis Ecclesiae infallibile magisterium. Qua super re recolenda sunt ea quae attulimus sub nn. 63 ss.

http://www.obrascatolicas.com

« Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos eosque sua cuiusque natura causaque proxime definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur ».[1] Dux ergo hominibus esse ad coelestia, non civitas sed Ecclesia debet: eidemque dumtaxat munus competit de iis quae religionem attingunt videre ac statuere: quod si ita non esset magnum redundaret in religionem detrimentum, et ad maius discrimen vocaretur animarum salus.

Ubi enim princeps civilis negotiis ecclesiasticis se immiscet, religio habetur ut *instrumentum regni*: criteria humana et politica praevalent criteriis spiritualibus, et tunc caelestia humanis inserviunt. Quod nemo non videt quam indignum sit et quam perniciosum.

**202.** Quid autem de iure cavendi? – 1° Ius istud relate ad Ecclesiam *est iniuriosum,* quia supponit ipsam in damnum Status molimina et machinationes struere ad modum sectarum aut certe tenebrosarum consociationum, quae sunt inimicae ordinis socialis legitime constituti, pacis et prosperitatis nationis; aut etiam nititur praeconcepta et falsa opinione Ecclesiam ipsam ineluctabiliter, fines suos prosequendo, obstaculo futuram Statui.

Filios sibi subditos Ecclesia, si plene libera relinquatur, non alienat a *caritate patriae,* sed potius ad officia bonorum civium explenda eorum animos suaviter conformat.[2] *Imperii praesidium*

[1] Litt. Enc. *Immortale Dei,* § 21, Itaque Deus.

[2] « Supernaturalis amor Ecclesiae patriaeque caritas naturalis, geminae sunt ab eodem sempiterno principio perfectae caritatis, cum ipse sit utriusque auctor et causa Deus: ex quo consequitur, non posse alterum officium pugnare cum altero. Utique utrumque possumus et debemus diligere nosmetipsos, benevolentes esse cum proximis, amare rempublicam potestatemque quae reipublicae praesit, eodemque tempore Ecclesiam colere uti parentem, et maxima, qua fieri potest, caritate complecti Deum ». Enc. *Sapientiae christianae,* 10 ianuarii 1890 (v. *Acta Leonis XIII,* vol. X, p. 14).



est: potestas rectorum civitatis ab Ecclesia commendatur ut quaedam divinae potestatis communicatio. *Libertatum honestarum fautrix* esse semper eadem consuevit, quod testantur civitates prosperitatem, opes, gloriam consecutae, quo tempore salutaris Ecclesiae virtus in omnes Reipublicae partes, nemine repugnante, pervaserat. Omnium denique civilium ac *domesticarum virtutum profectum,* instituto suo, nata est gignere Ecclesia, ita ut quaelibet suspicio de eius activitate pro religiosa individuorum, familiarum ac populorum institutione, non est nisi putidum commentum eorum qui ignorant quanta virtutis et honestatis incrementa religio catholica attulerit simul ac in mores et instituta civitatum penetravit.

2° Sed ius cavendi, nedum iniuriosum, est etiam *absurdum iuridicum,* si relate ad Ecclesiam urgeatur. Supponit enim eam esse habendam ad instar collegiorum quae ambitu Status continentur et sub directo dominio Status vitam degunt (cfr. infra, p. 366).

## Articulus III

### Ecclesia in Statu totalitario

**203. Praenotamina.** – 1. Recolenda sunt principia totalitarismi, quibus hodierni statolatrae iura Civitatis coram individui, familiae religionisque iuribus ultra omnem mensuram extollunt (nn. 159-161 ss.).

2. Hic sermo non est de totalitario systemate in re publica socialismo vel communismo addicta, quia ibi nulla relatio (nec etiam dependentiae Ecclesiae a Statu) concipitur, sed solum ad Ecclesiam religionemque omnem penitus evertendam et destruendam rei publicae vis ultrapotens adhibetur (n. 164).

3. Ea quae in hoc et in sequenti articulo exponemus, cum maxime in revelatis veritatibus fundentur, convincent quidem eos qui Deum colere sine politica fictione intendunt, animasque ad supernaturales fines esse perducendas agnoscunt: plu-

http://www.obrascatolicas.com

rimis autem politicis hodiernis, vera sinceraque in Deum et in ordinem supernaturalem fide expertibus, scandalo et admirationi erit, quasi doctrina quae Medii Aevi et non aetatis nostrae placitis aptari possit. Quare prae oculis habeantur, quae sub n. 55 et 170 notabamus.

**204.** Cum, iuxta totalitarismi assertores Status sit omnium iurium fons et origo (n. 159) omnisque eius ratio sit ordinata ad nationis aut stirpis bonum, [1] tamquam *unicum* et *absolute supremum* (n. 163), nullum agnoscitur in Ecclesia ius agendi et essendi quam quod Status recognoscit civibus suis subditis in quadam corporatione religiosa infra reipublicae limites collectis. Et quia omnia debent esse propter reipublicae bonum, hinc Ecclesiae tantum libertatis et iurium impertitur quantum opportunum videtur ut ad bonum Nationis et stirpis conferre possit: [2] in omnibus ergo quae vitam externam et socialem quovis modo attingunt, Ecclesia subest Statui, quia in Statu sunt fideles, paroeciae, aliaque religiosa collegia vel corpora.

Quae cum ita sint, quidquid civilem potestatem effugit, quidquid eam praeterit, quidquid modum ac limitem ei adsignat, caligo et fumus est imperitantium oculis. Haec principia, quum relationes cum ecclesiastica potestate attingunt,

[1] « Del resto le posizioni in Italia sono nette così come dovevano essere. La Chiesa conosce la dottrina fascista dello Stato ed è del 1925 la mia formula: Tutto nello Stato, niente al di fuori dello Stato, niente contro lo Stato » (*Scritti e discorsi di B. Mussolini*, vol. VII, p. 132, Milano, 1935).

[2] « L'Etat et la politique totalitaire veulent tout absorber, régir, dominer, et souvent supplanter. La famille, la profession, sont entièrement soumises à l'Etat. Pour la religion, surtout lorsqu'il s'agit du catholicisme, on n'ose pas trop le dire, on fait une exception qui ne cadre pas très bien avec l'ensemble du système. Puis, emporté par la logique et le poids de la mentalité nationaliste, on fait quand même des incursions et l'on commet des empiètements dans le domaine religieux. Le catholicisme doit se défendre avec la dernière énergie ». PICARD LOUIS, *La doctrine catholique de l'Etat*, Louvain, 1934, p. 13.



tria consectaria gignunt, quae ita enucleari possunt: 1° religiosa potestas, quantum fieri potest, comprimenda est, ne iura sibi arroget in iis, in quibus, sine ulla rerum seu materiae distinctione aut limitatione, dominatum seu absolutam suprematiam Status omnino obtineat necesse est; 2° postulata cuiuslibet generis, etiam religiosi, cedere debent postulatis rei civilis (exempli gratia pro institutione militari et totalitaria iuvenum); [1] 3° Status in omnes socialis vitae formas, in omnes adsociationes, etiam religiosas, curas convertit nedum vigilando, ne contra se aliquid agant, sed et connitendo, ut stirpis et nationis finibus primo et absolute deserviant. [2] Quodsi igitur Ecclesia vellet placidam et tranquillam vitam cum Statu totalitario agere, deberet pati a Statu se comprimi, utpote ipsi inferior in ordine finium, invigilari quasi famula, adhiberi ut instrumentum regiminis.

**205.** I. Prima igitur ratio oppugnandi totalitarismum, habetur in defensione iurium naturalium, ex meris principiis philosophiae naturalis, quibus evincitur falsitas illius dogmatis secundum quod Status dicitur omnium iurium fons et origo ipsaque Natio aut Stirps sibi ipsa norma suprema supremumque bonum habetur (nn. 150 ss., 166 ss.).

II. Altera via est in defensione iuris socialis Ecclesiae, secundum divinam eius constitutionem, cum essentiali charactere « iuridicae perfectionis » et cum notis « unitatis atque catholicitatis » (nn. 57 ss., 60 ss.).

Sic enim totalitarii agunt cum Ecclesia ut non eius personam integram, sui iuris, et ultra territorii confinia sese protendentem, supra terrenos seu temporales fines scopum suum

[1] HITLER, op. cit., p. 454.

[2] Prae oculis habeantur dispositiones tempore nationalsocialismi in Germania lata circa ecclesiam unitariam germanicam, itemque eius conatus contra Ecclesiam Catholicam.

http://www.obrascatolicas.com

altissimum habentem respiciant, verum eam in singulis fidelibus, entibus, collegiis unice considerent: dicunt *Ecclesiam esse in Statu* et concipiunt catholicos, in quacumque civitate degentes, seorsim ab Ecclesia universali, *quasi constituant Ecclesiam quandam particularem,* quae tamquam persona moralis ad instar ceterarum societatum in territorio Status formatur et iure Status regitur.

Sed patet falsum esse talem conceptum de Ecclesia: una est Ecclesia, quae videlicet per universum orbem est diffusa et sub uno supremo capite Romano Pontifice regitur: ubicumque igitur sunt catholici et instituta catholica, qua talia sunt membra dependentia a societate religiosa universali *independenti et suprema*[1] (nn. 60 ss.).

Sed alii *dicunt*: sub Civitate est saltem talis numerus catholicorum civium, licet religiosis vinculis collectus; itemque intra Status limites sunt collegia et instituta ecclesiastica particularia. Iamvero nullus individuus, nullumque institutum quod sit in reipublicae territorio, praetextu religionis subduci potest a sovranitate Civitatis, quae in toto territorio independenter exercenda est, dum nulla alia suprema potestas in eodem territorio concipi potest praeter sovranitatem Status. *Respondemus* tamen *rempublicam* suam sovranitatem exercere, utique in territorio, sed in rebus humanis, cum in spiritualibus personae et instituta catholica oboediant legitimae potestati spirituali. Utrumque simul bene potest conciliari, esse videlicet Ecclesiam diffusam in singulis Statibus et ibidem exercere posse potestatem supremam in rebus divinis, cum bene distincta sit sphaera competentiae utriusque potestatis.

[1] « Anche nel Concordato sono in presenza, se non due Stati, certissimamente due sovranità pienamente tali, cioè pienamente perfette, ciascuna nel suo ordine... Che la Santa Sede è organo supremo della Chiesa Cattolica universale e quindi è legittimo rappresentante della organizzazione della Chiesa in Italia, non si può dire se non come direbbesi che il capo è l'organo supremo del corpo umano, e che il potere centrale e sovrano di un paese è il rappresentante legittimo di ciascuna provincia del paese stesso. È sempre il Sommo Pontefice che interviene e tratta *nella pienezza della sovranità della Chiesa Cattolica* che Egli, esattamente parlando, non rappresenta, ma impersona ed esercita per diretto mandato divino ». Pius XI in Ep. ad Card. Gasparri, 30 maii 1929 (*A. A. S.*, vol. XXI, p. 300).



Sed instant quidam: si in eodem territorio duae supremae et independentes potestates possibiles fingantur, *Status in Statu* ponitur.

Verum Status in Statu supponit duplicem potestatem in eodem territorio circa eadem negotia civilia et politica; e contra Civitas et Ecclesia coëxistentes duae societates sunt, quarum una pertractandas sibi vindicat causas civitatis pro fine temporali, alia vero de negotiis dumtaxat ordinis supernaturalis sollicita est, ac sphaeram principibus concessam prorsus intactam relinquit.

III. Directe autem expungitur totalitarismus exponendo ac vindicando iura animae supra corpus, seu praestantiam ordinis supernaturalis coram ordine et rebus naturalibus, ac indirectam subordinationem societatis quae ad supernaturalia non ducit (art. seq.).

## Articulus IV

### Subordinatio indirecta Status ad Ecclesiam

**206. Principium III.** – *Licet Ecclesia et Status duae societates sint in suo ordine supremae et independentes, excellentior tamen et ordine praestantior seu superior est Ecclesia.*

Descendit haec veritas ex consideratione finis utriusque societatis: Ecclesia supernaturale bonum prosequitur et procurat fidelibus, cum finis eius sit cultus supremi Dei, sanctificatio animarum et fidelium superna beatitudo; Status vero naturalia commoda praestat, videlicet iurium tuitionem, naturalis vitae sufficientiam ac terrenam aliqualem beatitatem (n. 152).

Quanto igitur antecellunt spiritualia temporalibus, tanto Ecclesia praestantiorem finem prosequitur; ideoque tanto maioribus intervallis ab invicem distant utriusque societatis media, iura ac potestas.

http://www.obrascatolicas.com

Quae omnia cum in dubium, supposita existentia ordinis supernaturalis, vocari nequeant, a nobis demonstranda non sunt, praestat autem heic omnia recolere quae ex Traditione iam supra (nn. 63 ss.) relata sunt quibus huiusmodi veritates perspicue declarantur.[1]

Plura enim habentur Patrum argumenta quibus, dum Ecclesia cum Civitate comparatur, et utriusque potestatis ponderatur relatio, Ecclesiae vindicatur praestantia ita ut concludant Patres oportere ut in iis quae ad finem Ecclesiae pertinent, eidem subiiciantur supremi quoque magistratus civiles.

Equidem, *Leo XIII* coniunctionem inter utramque societatem colligationi comparat « per quam anima et corpus in homine copulantur » ac mutuam relationem dimetiendam dicit ex excellentia et nobilitate causarum, seu ex ordine rerum utrique commissarum.[2]

**207. Subordinatio indirecta finis temporalis ad finem spiritualem.** – Atqui si tale est discrimen inter finem Ecclesiae et finem Status, quaedam relatio subordinationis inter eos existere necesse est.

Certe quidem non est subordinatio directa; ipsa namque excellentia finis spiritualis supra terrenum et temporalem tanta est, ut inferioritas boni temporalis dicat prorsus i m p r o p o r t i o n e m respectu spiritualis boni; ideoque temporalia nequeunt dici media ad directe consequendum supremum spirituale bonum; quae relatio *medii* sane omnino requiritur ut detur subordinatio directa.[3]

[1] Cfr. insuper Bianchi, *Della potestà e della polizia della Chiesa*, Torino, 1854, vol. I, p. 578 ss. Billot, *De habitudine Ecclesiae ad civilem societatem*, Romae, 1922, p. 66 ss.

[2] Litt. Enc. *Immortale Dei*, § 26, I t a q u e.

[3] Billot, *De habitudine Ecclesiae ad civilem societatem*, Romae, 1922, p. 67. Vid. etiam supra, n. 9 et 11.



Quoniam autem aliqua subordinatio certe adesse debet temporalium ad spiritualia, sicut omnia inferiora si non directe saltem indirecte ad superiora ordinantur, sequitur esse ponendam dependentiam indirectam.

Est enim secundum rectum rerum ordinem et secundum ipsum naturalis luminis dictamen quod usus inferiorum rerum saltem n o n s i t i m p e d i t i v u s superiorum, sed potius eis p r o s i t, in quantum licet non sint causa proportionata et directa, possunt tamen esse praedispositiva et velut *causa indirecta*,[1] scilicet per remotionem impedimentorum.

Sed praecise in his duobus condicionibus diximus consistere dependentiam indirectam (p. 22, III).

Finis temporalis — explicat Billot — etsi sit alius ordinis ac spiritualis, in alia sphaera existens et ab aliis principiis pendens, adhuc tamen sic disponendus est: ut primo, *non sit impedimento fini spirituali*, et sicubi in oppositionem veniat, debeat omnino cedere, et detrimentum potius subire: ut secundo, *non solum non sit impedimento, sed sit etiam adminiculo*, idque per modum auferentis impedimenta seu apponentis exteriores conditiones pacis, quietis, tranquillitatis et sufficientis prosperitatis, sub quibus expedita atque imperturbata esse valeat, quantum status huius nostrae mortalitatis patitur operatio salutis aeternae ».[2] Paucis verbis, dicimus saluti animae omnia quae tum directe tum indirecte inserviunt certe esse a Statu praestanda, ideoque etiam r e m o t i o n e m temporalium quae nocent, et praedispositionem eorum quae eidem favent.

Unde, propter influxum quem debent habere ipsa vitae temporalis commoda in bonum animae, docebat Paulus orandum esse

[1] *Causa indirecta* dicitur dupliciter: 1° quae non impedit, cum impedire possit; 2° magis proprie, quae removet impedimenta « seu apponit conditiones sub quibus causa per se, ex virtute suae formae effectum ponens, liberum atque expeditum habet sui exercitium, sicut qui complanat seu aequat viam causa indirecta dicitur et est ambulationis per eam ». Billot, op. cit., p. 69.

[2] Billot, loc. cit., p. 69.



http://www.obrascatolicas.com

quousque mere temporalem ordinem respicit, omnino veretur, dum solummodo respectu spiritualium, idest propter res alterius ordinis, constituitur dependentia; quae ideo, cum sit propter aliud, et non propter se, dicitur indirecta [1] sicut recte explicat Suarez: « Quamvis temporalis princeps, eiusque potestas, in suis actibus directe non pendeat ab alia potestate eiusdem ordinis, et quae eundem finem tantum respiciat, nihilominus fieri potest ut necesse sit ipsum dirigi, adiuvari, corrigi in sua materia a superiori potestate gubernante homines ad excellentiorem finem et aeternum. Et tunc illa dependentia vocatur *indirecta*, quia illa superior potestas circa temporalia *non per se aut propter se*, sed quasi indirecte et *propter aliud* interdum versatur ». [2]

**209.** Hanc doctrinam, quam unice veram esse constat attentis natura Status et natura ac destinatione Ecclesiae, prout ex rationis et revelationis lumine manifestantur, sub formulis doctrinalibus concinne redigere studuerunt S. Bellarminus et Suarez; sed quoad substantiam expressa est iam in actis Pontificum et Conciliorum oecumenicorum, in scriptis Patrum, in tractatibus Doctorum Ecclesiae; itemque in praxi vitae catholicae constanter firmata est, ita ut merito dixerit iam Suarez: « est ergo conclusio haec *certa et communis apud catholicos* ». [3]

---

[1] Quidam appellant accidentalem hanc subordinationem; cfr. JOURNET, *La juridiction de l'Eglise sur la Cité*, Paris, 1931, p. 71 ss.

[2] *Def. fid.*, lib., 3, c. 5; eadem conceptuum claritas apud BELLARMINUM, *De Romano Pontifice*, V, c. 6; cfr. S. TH., II, II, q. 60, art. 6.

[3] *De legibus*, lib. IV, c. 9, n. 2. Cfr. BIANCHI, *Della potestà e della polizia della Chiesa*, Torino, 1854, vol. I, p. 214, qui frequentissimos auctores citat, doctrinam catholicam prosecutos: « Quare — concludit Wernz (l. c.) — illi scriptores catholici errant, qui theoriam de potestate indirecta Ecclesiae tractant ad instar liberae cuiusdam opinionis plus minusve probabilis », vel neglectis principiis, antiquam praxim ex factis contingentibus, et vigenti iure publico etc. unice explicant.



**210.** *Corollarium*: **theoriae potestatis mere directivae et coordinatismi sunt erroneae.** – Nam, concludit Wernz, « ex doctrina unice vera et certa de potestate Ecclesiae in Statum sponte sequitur, duo alia systemata quandoque etiam a catholicis, praesertim ultra Alpes, propugnata, scil. de potestate mere directiva Ecclesiae in Statum aut de absoluta coordinatione Ecclesiae et Status solido fundamento carere atque vix effugere notam theologicam *saltem falsitatis* ». [1]

I. *Potestatis mere directivae* fautores asserunt: 1° se non videre rationem ullam asserendi potestatem indirectam Ecclesiae in temporalibus; 2° hanc vero dicunt re non differre a potestate directa: « Siquidem respiciendo singula, quae deducit Bellarminus... ista *effectu* tendunt in potestatem directam ». [2] 3° Ex alia parte sufficere autumant potestatem mere directivam, quia Summus Pontifex suo munere supremi pastoris et magistri fungi potest supposita dumtaxat facultate quadam docendi, monendi, consulendi, rogandi, ut civitatum rectores bene se gerant pro bono civium et Ecclesiae; sed sine ulla vi cogendi seu obligandi auctoritative, seu sine ullo in eosdem verae iurisdictionis directae vel indirectae exercitio.

Hoc systema primi propugnarunt Fénelon, Bossuet, [3] Fleury [4] et Gosselin, [5] quos postea secuti sunt Van Gils, Moechler, Beidtel, Scherer et Bachofen. [6]

Verum ex dictis (n. 208 sq.) patet quam falso ratiocinentur ii qui asserunt potestatem indirectam re seu essentialiter confundi cum potestate directa; quod vero dicunt potestatem mere directivam sufficientem esse ad munus universalis pastoris exercendum, id omnino incongrue dicunt: si enim Romano Pontifici concederetur monita et consilia dumtaxat aut increpationes princi-

---

[1] Op. cit., vol. I, p. 20.

[2] Ita BACHOFEN, *Summa iuris ecclesiastici publici*, Romae, 1910, n. 117.

[3] Cfr. art. I *Declarationis cleri gallicani*, anno 1682, et *Defensio declarationis*, p. I, l. II, c. 5.

[4] *Hist. Eccl.*, IV, l. 19, n. 21.

[5] *Le pouvoir du Pape sur les souverains au Moyen âge*, Paris, 1845.

[6] WERNZ, l. c., p. 20, not. 35; CONTE A CORONATA, *Ius publicum ecclesiasticum*, ed. 2ª 1934, p. 101 cum not.

http://www.obrascatolicas.com

pibus impertire eorumque dubia solvere, ad modum cuiusdam directoris spiritualis principis seu Status, sine ullo iure cogendi, hoc modo, data infirmitate humana, non satis consuleretur supremo hominum fini.[1] Ceterum systema illud pugnat nedum cum argumentis et rationibus certissimis quae supra adduximus (n. 207 sq.), sed etiam cum evidentibus documentis pontificiis. Demum opinio potestatis directivae apprime cohaeret cum propositione prima cleri gallicani, qua declarabantur reges et principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subiici, neque auctoritate clavium directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos a fide et oboedientia eximi posse.[2]

Nec videmus quomodo assertores huius doctrinae, si qui adhuc sint, possint se expedire a censura qua afficitur propositio 24 Syllabi.[3]

II. *Systema coordinationis* autem et ipsum negat dependentiam indirectam Status ab Ecclesia, imo vix admittit quamlibet superioritatem Ecclesiae; urget tamen exigentiam concordiae ac mutuae necessitudinis. Itaque dum patroni huius sententiae instant in conceptu distinctionis et perfectae independentiae utriusque potestatis, propter finium correlationem tamen statuunt concordatorum et mutuarum relationum fovendarum opportunitatem.

Haec docrina quae habuit patrocinatores Görres, Schulte, Vering, Kober, Reichenspenger, etc., hodie placeret multis liberalibus qui catholicos se esse profitentur, sed scandalizantur si quidquam audiant loqui de superioritate Ecclesiae.

Atqui vel ipsum nomen coordinationis apprime denunciat falsum huius doctrinae fundamentum. Coordinatio secundum proprium et obvium sensum per se applicari posset solum iis correlationibus significandis quae inter illas societates perfectas intercedunt quae in eodem genere versantur et eundem prosequuntur finem supremum, ut sunt, in genere politico duo Status.

---

[1] Et sane ipsi fautores potestatis directivae eam ita describunt ut penitus inefficacem praebeant. V. gr. BACHOFEN, op. cit., p. 136: « Poterit ergo civilis auctoritas respuere monita et consilia oblata a Summo Pontifice — utrum impune necne non refert — quia iudicium de opportunitate acceptandi talia sane competit civili potestati ».

[2] DENZ., n. 1322.

[3] DENZ., n. 1724: « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet neque potestatem ullam temporalem directam vel *indirectam* ».



At Ecclesia et Status in diverso genere versantur, circa diversum finem supremum operantur; fines vero isti ita se habent ut unus eorum indirecte subordinetur alteri (n. 207). Quare et contra hanc ipsam doctrinam, et quidem a fortiori, eadem ipsa argumenta obstant quae contra theoriam potestatis mere directivae adducuntur.

## TITULUS IV

## MUTUA STATUS ET ECCLESIAE OFFICIA ET VICES

### ARTICULUS I

### Officia Status vi subordinationis indirectae

**211. Extensio potestatis indirectae Ecclesiae.** – Adversarii Ecclesiae saepe, oppugnantes catholicam assertionem subordinationis indirectae Status, seu potestatis indirectae Ecclesiae in temporalibus, aiunt se non posse admittere talem potestatem eo vel magis quod difficile esset praevidere quousque pertingerent Ecclesiae exigentiae mediante hac « indefinita » potestate.[1] Atqui, ex iam dictis patet quam nitide definiantur legitima, ex hoc potestatis titulo, Ecclesiae requisita (n. 207 s.). Id melius patebit circumscribendo orbem officiorum Status vi subordinationis indirectae.

Ostensum est quidem (p. 353) dependentiam indirectam duo potissimum secumferre: 1° quod inferior non impediat superiorem; 2° imo quod adiuvet superiorem in quantum haec, ad perfectiorem consecutionem sui finis, alterius societatis auxilio indigeat; ex his duobus est ratio officiorum Status, vi subordinationis indirectae.

---

[1] « ... quanto più presto si smetterà d'avanzare la tesi del "Potere indiretto" della Chiesa, tesi che noi nella maniera più categorica respingiamo, in quanto non ci è dato conoscere dove questo potere cominci e dove finisce e di quali mezzi si giovi e per quali scopi » (*Scritti e discorsi di B. Mussolini*, vol. VII, pp. 132-133, Milano, 1935).

http://www.obrascatolicas.com

*Praenotamina.* – I. Supponitur, in iis quae sequuntur, Status constans hominibus christianis; infidelium enim ad Ecclesiam nulla est subordinatio.

Imo *Statum catholicum* dumtaxat considerabimus, i. e. constantem catholicis, quia « etsi in haereticos Ecclesia habeat eadem iura ac in suos, tamen respectu Status heterodoxi nulla est via qua ius possit in usum et praxim deduci, ut constat ». [1]

II. Principia damus, praescindendo a practicis difficultatibus quibus fieri possit ut civitatum rectores excusentur ab implendis omnibus quae doctrina secumfert. Quid practice possibile faciendum sit aestimari poterit prudenti iudicio, attentis circumstantiis, auditis etiam Ecclesiae rectoribus. Sed difficultates practicae non officiunt doctrinae neque laedunt veritatem principiorum.

**212. Officium Status non impediendi Ecclesiam. — Principium IV.** – *Cura finis spiritualis et Ecclesiae missio nequit impediri intuitu cuiuslibet incommodi temporalis exinde derivantis.* [2]

Hoc quidem directe consequitur ex subordinatione finis temporalis ad finem spiritualem, necnon ex absoluta necessitate finis spiritualis, qua fit ut bonum temporale tunc tantum sit appetibile cum non avertat homines a fine absolute supremo, ad quem omnes facti et destinati sumus.

Haec veritas pluribus Sacrae Scripturae locis directe comprobatur: nam doctrina de curando bono spirituali praescindendo a quocumque damno temporali, immo hoc etiam subeundo, pluries traditur in sacris litteris. [3] Quam rem exem-

[1] BILLOT, *De habitudine Ecclesiae ad civilem societatem*, Romae, 1922, p. 83.

[2] CAVAGNIS, *Institutiones iur. pub. ecclesiastici*, Roma, 1906, n. 405, p. 269. Id autem non secumferre verum Civitatis detrimentum ostendimus iam (nn. 47, 2° et 50).

[3] MATTH., XVI, 26: « Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? ». MATTH., X, 37: « Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus ». MATTH., V, 29-30: « Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te; etc... ». Cfr. Lc., XIV, 26 ss.; Io., XII, 25, etc.



plo confirmarunt Apostoli, qui cum disseminare evangelium prohiberentur (quod timerentur ex praedicatione apostolica magna civitati incommoda) responderunt constanter et unanimiter: *Oportet oboedire Deo magis quam hominibus.* [1]

Sequitur ergo. 1° quod legislatio civilis ita est condenda et conformanda ut non contradicat legislationi canonicae; secus leges civiles opponerentur bono civium spirituali; et si Status eas urgeret, tyrannice ageret et princeps se suo iure privaret.

Cavere igitur debent civitatum rectores in condendis legibus *a*) ne ius naturale aut divinum laedant, *b*) ne de materiis spiritualibus vel spiritualibus inseparabiliter adnexis agant, quia in his non sunt competentes (n. 201), *c*) ne ius positivum Ecclesiae, conditum circa temporalia quae separabiliter adnexa sunt spiritualibus vel ad finem spiritualem habent indirectam colligationem, quomodocumque laedant.

Sequitur 2° quod in conflictu inter legem civilem et ecclesiasticam, *haec* praevalere debet. Est applicatio principii iam alibi declarati (n. 50), necnon doctrinae subordinationis indirectae ordinis temporalis ad ordinem spiritualem.

Quare si leges civiles impedimento fiant observationi legum ecclesiasticarum vel quomodocumque obstaculo fiant bono spirituali, et Status ad invitationem Ecclesiae nolit eas abrogare aut reformare, poterit Ecclesia non solum declarare subditos ab omni obligatione servandi huiusmodi leges solutos, sed etiam poenis cogere principes aut civitatum rectores ut leges suas reforment aut alias condant.

Quod sane secumfert etiam iudicium in casu conflictus inter bonum spirituale et temporale, vel circa necessitatem temporalium quae praestanda sunt a societate civili (cfr. infra n. seq.) pro fine spirituali ad Ecclesiam spectare, ut fert principium generale iam declaratum (supra, n. 50). Et quoniam Ecclesia infallibilis est circa iudicia doctrinalia et facta dogmatica, heic locum non habet exceptio considerata (p. 86, B, n. 2) in casu auctoritatis fallibilis.

[1] *Act.*, V, 20.

http://www.obrascatolicas.com

**213. Officium protegendi Ecclesiam eique subministrandi in temporalibus necessaria. — Principium V.** – *Societas civilis tenetur in necessariis adiuvare ecclesiasticam, ideoque temporalia seu media sui ordinis eidem subministrare.*

Est applicatio principii generalis relationum inter societates formaliter tantum distinctas (n. 49), et subordinationis indirectae ordinis temporalis ad ordinem spiritualem. Non solum igitur id suadet ipsum interesse Status (plenum enim societatis civilis bonum sine morum probitate et religionis ac cultus prosperitate obtineri nullimode potest: [1] cfr. n. 170), sed etiam deducitur ex ipsa origine, destinatione et iuridica condicione reipublicae.

His enim officiis tenetur civitas primo *erga Deum,* quo auctore coaluit et cuius nutu conservatur ac bonis augetur (n. 170). Quemadmodum igitur universa creata glorificationi Dei inservire debent, ita etiam civitas; id sane praestabit fovendo publicum cultum ac religionem tuendo.

Insuper idem debent civitatum rectores *ipsis subditis suis.* Horum enim bonum temporale non qualecumque debet procurare civitas, sed quod maxime proprium est et aptum homini; atque vera hominis bona inservire debent saltem indirecte ad ultimam eius felicitatem; ideoque ad bonum animae et religionis conducere debent. [2]

Profecto, si Status debet adiuvare subditos, id praesertim praestare debet in iis officiis erga Ecclesiam ad quae in tantum hi sunt pares in quantum sunt socialiter collecti; hinc patet officio subditorum satisfieri a Statu oportere.

Quare, si reges et principes in S. Scripturis vocantur a Deo *ministri regni sui,* qui custodire debent legem iustitiae et

[1] « Res autem humanae aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad divinam confessionem pertinent et regia et sacerdotalis defendat auctoritas ». S. Leo M., *Ep. 29 ad Pulcher.* (M. L., 35, col. 1483).

[2] Billot, op. cit., p. 91: vid. etiam supra n. 152, 2°.



*secundum voluntatem Dei ambulare,* [1] primum ipsorum officium erit *facere iudicium et iustitiam* et esse *ultores irae Dei* [2] in favorem dilectae a Deo Ecclesiae, propter quam Christus tradidit semetipsum.

Unde etiam praedixerat Spiritus Sanctus, loquens ad Ecclesiam: « Et erunt reges nutritii tui et reginae nutrices tuae: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent »; et iterum: « Et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis, et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Iacob ». [3]

Porro Patres et Doctores Ecclesiae, itemque Pontifices et Concilia, uno ore fuerunt semper in monendis principibus de hoc ipsorum gravissimo officio tuendi ac protegendi Ecclesiam eidemque praestandi necessarias vires ac facultates temporales.

Principum autem catholicorum, eorum praesertim quorum praeclara ac decora praedicantur facinora in bonum reipublicae, magna fuit laus decusque insigne omni ope et contentione adniti ut pacatam et prosperam matri suae Ecclesiae procurarent vitam. [4]

**214.** 1. **De auxilio vis armatae seu de brachio saeculari.** – Quod sit in Statu officium materialis vis adhibendae ad compescendos eos qui perturbent liberum exercitium religionis et praedicationis, nempe ad impediendum ne adversariorum violentias patiantur qui catholicam tuentur veritatem et cultum divinum promovent, nullum esse potest dubium; imo propter ipsam functionem tuitionis iurium et libertatum quam in Statu recognoscunt liberales,

[1] Cfr. *Sap.*, VI, 4 ss.; *Prov.*, VIII, 15 ss.; *Rom.*, XIII, 4. Profecto si ministri Dei sunt, ad iustitiam, pacem et ordinem tuendum in omnibus quae homines directe tangunt, quanto magis in his quae sunt ad Deum?

[2] Hieronym., *In Herem.*, c. 22, vid. c. 23, C. XXIII, q. V. Cfr. etiam cap. 33 eiusdem quaest.

[3] Isaias, XLIX, 23 et LX, 16.

[4] Augustin., *Epist. 185 ad Bonifacium comit.*, n. 25 (M. L., 33, col. 804).

http://www.obrascatolicas.com

praescindendo etiam a legitimis Ecclesiae exigentiis iure publico ecclesiastico fundatis, constitutiones hodiernae Civitatum generatim spondent tuitionem cuiusque ecclesiae (ideoque catholicae quoque) pro libertate et cultus exercitio. [1]

Verum, *in Statu catholico* aliud quoque Ecclesia exigit: quod videlicet vis materialis publica adhibeatur quotiescumque necessaria sit ad removenda multiplicis generis impedimenta, quae ipsam Ecclesiae vitam internam afficere possunt, idest et quae pacem, disciplinam et securitatem eius internam atque rectam et ordinatam ipsorum fidelium directionem in bonum salutis aeternae praepedire possunt.

Iamvero dicimus in hoc esse vere *officium* Status, quia vis materialis utique potest esse necessaria Ecclesiae; quandoque enim nedum poenarum temporalium ecclesiasticarum irrogatio sed et spiritualium poenarum nonnulli effectus possunt requirere auxilium vis armatae, quam Ecclesia non habet. Iamvero Deus Ecclesiam a se conditam omnibus mediis necessariis instructam esse certe voluit; si igitur immediate non dedit vim armatam, quae aliquando ipsi necessaria esse potest, debuit certe eidem saltem *ius* contulisse *exigendi* auxilium brachii saecularis. [2]

2. **De rebus temporalibus necessariis Ecclesiae subministrandis.** – Quoniam inter media quibus Ecclesia indiget sunt etiam res temporales, has Ecclesia ius habet exigendi a subditis suis; iamvero hi tenentur huic officio satisfacere vel per se, immediate, vel indirecte, mediis temporalibus quibus pollent prout sunt socialiter collecti in civitate.

Sane Ecclesia utilius ducere potest sibi necessaria procurare ea immediate a Statu repetendo, ideoque mediate a fidelibus, quia respublica tributa civibus imponendo illud etiam prae oculis habebit ut sibi ea procuret unde succurrat Ecclesiae. Ceterum Status ad id saepe tenetur etiam titulo *restitutionis*, aut etiam ex obligatione *concordataria*.

Profecto, tributa omnibus *communia* afficiunt societatem per modum unius, quia ab omnibus exigit eam quantitatem quae suis

[1] Cfr. V. MEYZTOWICS, *La Religion dans les Constitutions des Etats modernes*, Roma, 1938, p. 18.

[2] AUGUSTIN., *Epist. 185 ad Bonifat. Comit.* (M. L., 33, col. 792 ss.); *Epist. 93 ad Vincent. donatist.* (M. L., 33, col. 321 ss.). S. TH., II, II, q. 10, art. 8 c. (qui totus legendus est).



oneribus sustinendis sufficiens est. Inter onera autem merito ponuntur expensae pro religione Status, ex qua multa bona in ipsam communitatem redundant. Sectae autem toleratae nequeunt aequale ius exigere cum, ex hypothesi, sint mere toleratae. Quod si agatur de Statu in quo viget paritas cultuum melius est si Status nulli Ecclesiae succurrat, potius quam positive contributiones det falsis sectis, [1] dummodo Ecclesiae catholicae assistat ut iuxta proprios canones a suis fidelibus quae sibi sunt necessaria exigere valeat.

Ceterum non ideo quia Status protegit Ecclesiam eidemque temporalia subministrat, debet protectionem in dominationem vertere, aut Ecclesiam, nisi rei publicae pareat, in angustias deducere negatis subsidiis. Id sane praeter quam quod esset indecorum expediens, constitueret veram depravationem conceptus protectionis quam Status debet Ecclesiae impertire. [2]

**215. Natura protectionis Status erga Ecclesiam.** – Profecto ex eis quae hucusque explicavimus omnino patent sequentes conclusiones, quas illustrat Cavagnis, [3] circa naturam protectionis Status erga Ecclesiam.

*a*) Protectio Status erga Ecclesiam cum sit ministerialis et non auctoritativa, nullam importat iurisdictionem circa materiam seu obiectum societatis protectae. [4]

*b*) Neque societas protegens potest disponere de negotiis protectae societatis vel cum ea aeque principaliter concurrere; sed ei relicta dispositione rerum suarum, debet eam fideliter comitari. [5]

[1] CAVAGNIS, op. cit., vol. III, n. 420, p. 321; item vol. I, n. 608, p. 386.

[2] *Conc. Trid.*, sess. 25, c. 20, *de ref.*

[3] Eaedem desumptae sunt ex vol. I, op. cit., n. 550 ss., p. 352.

[4] Alia est protectio *auctoritativa* alia *ministerialis*: « Prima est quam superior praestat inferiori sibi subdito; altera, quam inferior, sive ratione materiae sive saltem finis ultimi, praestat sibi superiori ». CAVAGNIS, l. c. Primae speciei est protectoratus qui a Statu exercetur *in coloniis;* JELLINEK, *Allgemeine Staatslehre*, p. 181 ss.; PASQUAZI, *Ius internationale publicum*, Romae, 1935, vol. I, p. 68, n. 119.

[5] Unde FÉNELON, in opusc. *Plans du gouvernement*, etc.: « Les rois protecteurs des canons. Protection ne dit ni décision, ni autorité sur

http://www.obrascatolicas.com

*c*) Protectio vero importat ut auctoritas protegens dirigat media legalia, ordini suo respondentia, ad defensionem et evolutionem iurium auctoritatis protectae. Uno verbo docebat Ioannes VIII [1] publicum auxilium in Ecclesiae bonum conferendum esse, non ad praeiudicandum sed potius ad ea, quae Deo sunt placita, prosequenda.

## Articulus II

### Quaestiones speciales de potestate indirecta

**216. Negotia socialia et politica cum missione Ecclesiae aut cum pace christiana connexa.** – Pluries sane declaratum est nullam Ecclesiae competere potestatem sive directam sive indirectam circa ea negotia civilia et politica quae in genere rerum mere temporalium consistunt, seu nullimode ordinem spiritualem attingunt. Verum sunt negotia quaedam, licet profana, civilis aut politici ordinis, quae propter specialia adiuncta possunt directe vel indirecte connecti cum ordine spirituali. [2] Equidem haud raro quaestiones sociales et politicae agitantur quae tantam animarum perturbationem atque dissensionem inter fideles gignunt, ut caritas christiana et ipsa animarum salus haud parum periclitentur. Ob hanc rationem itaque explicatur legitimus interventus auctoritativus Romanorum Pontificum etiam in huiusmodi negotiis.

Enim vero Ecclesia homines dirigere debet non solum doctrinaliter, asserendo ac docendo *veritatis, iustitiae et aequitatis principia,* sed etiam auctoritative, in privata publicaque vita curando ut catholicorum toto orbe terrarum *securitati et libertati* consulatur, et *pacis christianae* ideoque salutis animarum tuitioni aut restaurationi provideatur.

Hinc ut serventur evangelica praescripta, evenire potest ut Summus Pontifex debeat eas attingere causas quae de societate domestica, de actione sociali, de auctoritatis civilis exercitio, de iure et proprietate, de officiis inter principes aut inter nationes exstiterint, praesertim ut perturbatos ordines aut populos ad christianam aequalitatem iterum componere valeat.

Cum autem nostra aetate spiritus *laicismi* hac super re inter catholicos quoque diffusus sit, opportunum ducimus ex integro haec referre quae Summus Pontifex Pius XII Alloc. *Magnificate Dominum,* die 2 novembris 1954 sollemniter ad coetum Cardinalium et Episcoporum in Aedibus Vaticanis habita, hanc doctrinam expresse docuit, quae constans semper fuit in RR. PP. Magisterio :

« At Nobis, dum ad vos, Venerabiles Fratres, gregum vestrorum pastores, nunc verba facimus, in animo non est hic eximiam Sancti Pontificis atque Pastoris imaginem et speciem perfectam iterum depingere; memorare potius volumus — quemadmodum iam egimus ad Episcoporum magisterium et sacerdotium quod attinet — nonnulla, quae singulariter hisce nostris temporibus sacri pastoris exigunt nutum, vocem, operam.

Et primo sane nunc animadvertuntur habitus mentis et propensiones, quae *potestatem Episcoporum* — (Romano Pontifice haud excepto) —, prout ipsi pastores sunt gregis sibi concrediti, cohibere et circumscribere praesumunt. Eorum auctoritatem, curam et vigilantiam intra certos fines coarctant, qui spectant res

---

l'Eglise. C'est seulement un appui pour elle contre ses ennemis et contre ses enfants rebelles. Protection est seulement un secours prêté pour suivre ses décisions, non pour les prévenir jamais : nul jugement, nulle autorité ».

[1] Cap. I, X, *de off. iud. ord.* I, 31.

[2] V. gr. res, quae civilem iuventutis institutionem respiciunt, *directe* connexae sunt cum ordine spirituali, in quantum necessario connectitur civilis institutio iuventutis cum morali et religiosa educatione; socialia negotia vero quae relationem habent cum pace et tranquillitate publica, *indirecte* connecti possunt etiam cum pace et salute animarum ideoque cum ordine religioso.



http://www.obrascatolicas.com

*stricte* religiosas, veritates fidei nuntiandas, pietatis exercitationes moderandas, Ecclesiae sacramenta administranda et liturgicorum munerum functiones peragendas. Arcere autem volunt Ecclesiam ab omnibus inceptis et negotiis, quae *veram,* ut agitur, vitam, « la realtà della vita », quemadmodum ipsi aiunt, attingunt, cum haec posita sint extra eorum facultatem. Breviter, hic cogitandi habitus in publicis sermonibus nonnullorum laicorum catholicorum, etiam qui celso munere funguntur, interdum significatur, cum dicunt: « Episcopos et sacerdotes, libenter videmus, audimus, adimus in Templis, in iurisdictionibus eorum; at in *foris publicis et in publicis aedibus,* in quibus res huius vitae et terrae aguntur et decernuntur, eos videre et eorum vocem audire nolumus. Inibi enim nos laici, — nequaquam autem clerici, cuiusvis dignitatis et gradus — sumus legitimi iudices-».

Contra ergo huiusmodi errores aperte firmiterque tenendum est: Ecclesiae, potestas *nequaquam* « *rerum stricte religiosarum* », uti loqui solent, finibus continetur, sed *tota* quoque legis naturalis materia, institutio, interpretatio, applicatio, quatenus moralis earum ratio attenditur, in eius sunt potestate. Observatio enim legis naturae ex Dei ordinatione spectat ad viam, qua homo ad finem suum supra naturam tendere debet. Iam vero Ecclesia est hac in via, ad finem quod attinet supra naturam, hominum dux et custos. Hunc modum agendi iam Apostoli, et postea, inde a primis temporibus, Ecclesia semper tenuit et etiam hodie tenet, et quidem non instar ducis et consiliarii privati, sed ex mandato et auctoritate Domini. Quare, cum agitur de praescriptis et sententiis, quas legitimi Pastores (scilicet Romanus Pontifex pro universa Ecclesia, Episcopi vero pro fidelibus suis curis commissis) in rebus legis naturae edunt, fideles non debent provocare ad effatum, (quod in sententiis privatorum adhiberi solet): « tantum valet auctoritas, quantum valent rationes ». Hinc, etsi cui argumentis allatis ordinatio quaedam Ecclesiae non evinci videtur, tamen, permanet obligatio oboedientiae. Haec fuit mens, haec sunt verba Sancti Pii X in eius Epistola Encyclica *Singulari quadam* diei 24 septembris 1912: [1] « Quidquid homo christianus agat, etiam in ordine rerum terrenarum, non ei licere bona negligere

[1] *Acta Ap. Sedis*, vol. IV, p. 658.



quae sunt supra naturam, immo oportere, ad summum bonum, tamquam ad ultimum finem, ex christianae sapientiae praescriptis, omnia dirigat: *omnes autem actiones* eius, quatenus bonae aut malae sunt in genere morum, id est cum *iure naturali et divino congruunt aut discrepant,* iudicio et iurisdictioni Ecclesiae subesse ». Et statim communem hanc regulam in materiam socialem transfert: « Causam socialem controversiasque ei causae subiectas... non mere oeconomicae esse naturae, proptereaque eiusmodi, quae componi, posthabita Ecclesiae autoritate, possint, quum contra verissimum sit eam (quaestionem socialem) moralem in primis et religiosam esse, ob eamque rem ex lege morum potissimum et religionis iudicio dirimendam ». [1]

Et in re sociali non una tantum, sed plures etiam eaeque gravissimae sunt quaestiones, sive mere sociales, sive sociales-politicae, quae ordinem ethicum, conscientias, salutem animorum spectant, ideoque minime dici possunt versari extra auctoritatem curamque Ecclesiae. Quin immo, etiam extra ordinem socialem occurrunt quaestiones, non stricte « religiosae », de rebus politicis sive ad singulas sive ad omnes nationes pertinentibus, quae ordinem ethicum attingunt, conscientias gravant, adeptionem finis ultimi haud levi periculo exponere possunt et persaepe exponunt. Ita quaestio de fine ac terminis potestatis civilis; de rationibus inter singulos homines et societatem; de « Statibus totalitariis », quos vocant, ex quovis principio ortis et deductis; de « totali laicisatione Status », uti dicitur, et vitae publicae; de plane efficienda scholae « laicisatione »; de natura ethica belli, de legitimo vel non legitimo bello, quae nostris temporibus geritur, et de viri religiosae conscientiae in eo adiutrici opera permittenda vel deneganda; de vinculis et rationibus ethicis, quibus Nationes mutue reguntur et tenentur.

Veritati rerum, quin etiam ipsi rectae rationi contradicit qui asserit haec, quae memoravimus, aliaque permulta eiusdem generis esse extra ordinem ethicum, ideoque esse, vel saltem esse posse extra potestatem Auctoritatis a Deo statutae, ut provideat iusto ordini, ut ducat et dirigat conscientias et actiones hominum recta via ad eorum finem ultimum; non sane « in abscondito » solum, intra parietes Templi et sacrarii, sed etiam, et multo magis,

[1] *L. c.*, p. 658-59.



http://www.obrascatolicas.com

palam, nuntians « super tecta » (ut verbis Domini utamur[1]), in ipsa acie, in media pugna saeviente inter veritatem et errorem, inter virtutem et vitium, inter « mundum » et regnum Dei, inter principem huius mundi et mundi Salvatorem Christum.[2]

1. Innocentius III docebat[3] ad officium Ecclesiae spectare de quocumque mortali peccato corripere quemlibet christianum, etiam dignitate regia auctum, *praecipue cum contra pacem peccatur quae est vinculum caritatis*, vel cum inter principes violantur pacis foedera; a pari, potest R. P. instare auctoritate sua, cum ea quae ad pacem sunt et ad populorum concordiam omittuntur propter passiones politicas, spretis evangelicae caritatis monitis aut etiam naturalis iustitiae praeceptis.

Haec ut serventur curat Ecclesia, non solum docendo reges ut prospiciant populis, et gentes gentibus fraternitate coniungant; ostendendo « quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus charitas et nulli debeatur iniuria »;[4] sed etiam exigendo, vel ab ipsis regibus christianis, suae doctrinae et suorum monitorum ac praeceptorum debitam observantiam.

2. Leo XIII, Litteris Encyclicis *De opificum conditione*[5] quaestionem socialem attingens, monitis ac praeceptis, hanc interventus sui rationem proponebat: « Confidenter ad argumentum aggredimur ac plane *iure Nostro*, propterea quod causa agitur ea, cuius exitus probabilis quidem nullus, nisi advocata religione Ecclesiaque, reperietur. Cum vero et religionis custodia, et earum rerum, quae in Ecclesiae potestate sunt, penes Nos potissimum dispensatio sit, neglexisse officium taciturnitate videremur ». Enim vero, « Ecclesia est, quae promit ex Evangelio doctrinas, quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta asperitate, mollius: eademque est, quae *non instruere* mentem *tantummodo, sed regere vitam et mores singulorum praeceptis suis contendit:* quae statum ipsum proletariorum ad meliora pro-

[1] Cfr. MATTH., X, 27.

[2] *L'Osservatore Romano*, 4 nov. 1954. Ad has quaestiones quod attinet cfr. nostrum opusculum: *Doveri dello Stato cattolico verso la religione*, Roma, 1953.

[3] Cap. *Novit ille*, 13, X, *de iud.*, II, 1.

[4] AUGUSTIN., *De moribus Eccl. Cath.*, cap. 30, n. 63 (M. L., 32, col. 1337); cfr. LEONIS XIII, Litt. Enc. *Immortale Dei*, § 30, Similiter.

[5] Litt. Enc. *Rerum novarum*, 15 maii 1891 (*Acta Leonis XIII*, vol. XI; textus qui infra citantur, ex eadem epist., invenies in p. 110 ss.).



movet pluribus utilissime institutis, quae vult atque expetit omnium ordinum consilia viresque in id consociari, ut opificum rationibus, quam commodissime potest, consulatur; ad eamque rem adhiberi leges ipsas auctoritatem reipublicae, utique ratione ac modo, putat oportere ».

Item Pius XI, Litt. Enc. *Quadragesimo anno*, 15 maii 1931, ius officiumque sibi inesse de rebus socialibus et oeconomicis suprema auctoritate iudicandi expresse docuit,[1] quatenus oeconomicae res et moralis disciplina, licet in suo quaeque ambitu suis utantur principiis, tamen ex morali ordine oeconomicus pendet; ipsaque ratio ex rerum et hominis individuali socialique natura finem rei oeconomicae universae a Deo Creatore praescriptum aperte manifestat; quia fines peculiares, cum individuales tum sociales, in re oeconomica quaesiti, in universo finium ordine apte inserendi sunt, ut nos per eos, quasi per gradus, ascendentes, finem omnium rerum ultimum, Deum scilicet assequamur.

Quare Ecclesia in his et aliis similibus negotiis omnino spectat ut animos pervadet ac voluntates flectat, ut divinorum disciplina praeceptorum[2] regi se gubernarique patiantur propter ipsorum fidelium spirituale bonum; unde etiam patet quam falso hodie politici conquerantur quod Romanus Pontifex vel Actio Catholica se immisceant negotiis, quae immerito censentur mere politica.[3]

3. Recentiora exempla praebet interventus ultimorum Summorum Pontificum in nonnullas quaestiones civiles et politicas propter bonum spirituale fidelium, v. g. iussa data catholicis italicis circa ipsorum participationem electionibus politicis: Pius IX et Leo XIII posuerunt celebre *Non expedit*, quod Pius X et

[1] Litt. Enc. *Quadragesimo anno* (*A. A. S.*, vol. XXIII, p. 190).

[2] Est enim solutio quaestionum socialium monitis et praeceptis evangelicis ligata, quorum custos et vindex est Ecclesia; horum vero specimen est illud MATTH., 23-24, de ratione qua existimandae sunt divitiae, illudque MATTH., V, 3, de existimatione paupertatis; item MATTH., XI, 28, de solatio in eo quaerendo. De officiis divitum cfr. MATTH., XXV, 40; LC., XI, 41; *Act.*, XX, 35; de insuetis minis in divites, LC., VI, 24-25. Cfr. Alloc. radioph. PII XII, 1 iun. 1941 (*A. A. S.*, vol. XXXIII, p. 195).

[3] « L'attività dell'Azione Cattolica si estende a tutto il campo religioso e sociale, fin dove, cioè, giunge la missione e l'opera della Chiesa » (Alloc. Pii XII ad Delegatos Actionis Catholicae Italicae, die 3 aprilis 1951, *A. A. S.*, vol. XLIII, p. 377).

http://www.obrascatolicas.com

Benedictus XV ob mutatas circumstantias abstulerunt.[1] Demum Pius XI Litt. Enc. *Nova impendet,* 11 octobris 1931, de asperrimo rei oeconomicae discrimine, de lamentabili apud multos operum vacatione, deque increscente apparatus militaris studio agit[2] vindicato sibi officio complectendi peculiari caritate tenuiorem gregis partem; quae omnia, ut evidens est, indirectam provocant potestatem in temporalibus. Pius XII vero allocutione natalicia 24 dec. 1939, irruentibus malis novi belli, principia verae pacis, in charitate et iustitia fundandae, diserte docuit, ut magister, custos et vindex iurium omnis plebis christianae, aggressionibus, iniustitiis et machinationibus regiminum violenter undequaque bello vexatae.[3]

## Articulus III

### Officia Ecclesiae erga Statum

**217. De libero iurium exercitio.** – Primum officium quod ligat societates perfectas inter se, etiam superiorem erga inferiorem, est negativum officium iustitiae, ut videlicet neutra impedimentum afferat alteri (cfr. n. 48). Primum autem impedimentum et maxima ratio seu fons discidii est si alterutra societas iura alterius non vereatur, sed indebita intromissione se immisceat in negotiis alterius ordinis, de iisque iudicare et disponere praesumat. Hinc etiam Ecclesia hoc officio ligatur ideoque, nisi ratio sufficiens adsit quae locum det legitimo potestatis indirectae exercitio, a negotiis temporalibus, seu *mere civilibus et politicis,* omnino aliena esse debet.

Quare in Statu liberum et expeditum ius est res suas agendi, v. gr. res oeconomicas civilium communitatum ordinandi, leges condendi pro publica prosperitate et tranquillitate, necnon omnia

[1] Notissimum est exemplum eorum quae in insula Melitensi facta sunt: Episcopi insulae interdixerunt suffragia ferre pro Strickland. *Esposizione documentata della questione maltese,* Tipografia Vaticana, 1930, p. 152.

[2] *A. A. S.*, vol. XXIII, p. 393 ss.

[3] Pii XII, Alloc. natalitia: *In questo giorno* (*A. A. S.*, vol. XXXII, p. 5). Cfr. etiam Alloc. *Grazie, Venerabili Fratelli,* 24 dec. 1940 (*A. A. S.*, vol. XXXIII, p. 5 ss.).



promovendi quae nationis internam et externam tuitionem, civitatum decorem, civium relationes mutuas et gentium consortium respiciunt, modo nihil constituatur quod aut legi divinae aut Ecclesiae iuribus aut animarum bono opponatur, iuxta principia supra exposita de fine et potestate utriusque societatis.

Consulto diximus Ecclesiam non habere partem in negotiis *mere politicis et civilibus;* non enim indebita est Ecclesiae intromissio quandocumque, civilia vel politica negotia connexa sunt cum salute animarum quemadmodum supra explicavimus (p. 367 ss.).[1]

Sed insuper officium negativum respicit etiam obligationem vitandi legum conflictum. Hinc Ecclesia quoque tenetur, quousque possibile est, legislatione suas res ita regere ut, praesertim in rebus mixtis, cum Statu concorditer procedat, ne videlicet absque necessitate detrimentum afferat civilibus ordinationibus.[2]

**218. De eligenda regiminis forma,** quae melius societati conveniat, Ecclesia pariter eiusque pastores verebuntur civitatum ius, plene liberum et independens; neque fas est catholicis, qua talibus, aut animarum pastoribus, religionis nomine unam prae ceteris rationem praeferendam dicere aut vindicare. Sed ius Status supponit non laedi quomodocumque normas iustitiae, ac servari, in constituenda regiminis forma officia quibus societas ligatur Deo.

Hac super re plura extant documenta clare exhibentia doctrinam Ecclesiae. Excellit inter alia[3] Epist. Encycl. Leonis XIII

[1] Cfr. etiam ea quae retulimus supra, p. 355, not. 2, ex Pii XI, Litt. Enc. *Ubi arcano Dei* (*A. A. S.*, vol. XIV, p. 698).

[2] Equidem si dicimus quod Ecclesia condendo leges suas non tenetur respicere ad praeexistentes leges Status, sicut e contra ad id tenetur Status erga Ecclesiam (v. Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici,* Romae, 1906, vol. I, n. 413, p. 274 ss.), illud dicimus de *iure,* sed praeter ius est etiam *aequitas* et *prudentia;* non enim aequum esset illud principium applicare quando Ecclesia potest et aliis mediis finem suum assequi, et contra Status difficiliter aut vix aliud invenire posset, saltem aeque efficax. Hinc videmus Ecclesiam, ne absque necessitate duplicet legislationem v. gr. de contractibus, recipere eas leges quae vi iuris civilis in singulis locis vigent. Can. 1529.

[3] Cfr. v. gr. Enc. *Libertas*: « Ex variis reipublicae generibus... nullum

http://www.obrascatolicas.com

*Au milieu,* in qua Summus Pontifex, varias regiminis formas commemorans, integrum omnino esse ait catholicis, aeque ac ceteris civibus, in iis quaestionibus, quae in doctrina versantur, alteram alteri praeferre imperii formam; at quoniam quaelibet per se bona est, cives omnes ideoque et catholici vigentem formam ut bonam admittere debent et in actione ei se conformare. Neque ex religione petere debent causam immutandi imperii formam. Quare sua luce clarescit sapientia Ecclesiae in retinenda consuetudine negotia agendi cum multiplici genere potestatum civilium;[1] ceterum distinguendum est inter potestates constitutas et latas leges: adeo leges distant a politicis potestatibus earumque forma, ut eo sub imperio, cuius forma habeatur praestantissima, possint condi leges, itemque contra.

**219. Ecclesiae rationes cum rationibus factionum politicarum non sunt permiscendae.** – Hoc officium maxime adstringit pastores animarum necnon organa *Actionis Catholicae.*

Imo oportet ut catholici *omnes* fugiant illorum opinionem praeposteram « qui religionem cum aliqua parte civili permiscent ac velut in unum confundunt, usque adeo, ut eos, qui sint ex altera parte, prope descivisse a catholico nomine decernant. Hoc quidem est factiones politicas in augustum religionis campum perperam compellere, fraternam concordiam velle dirimere, funestaeque incommodorum multitudini aditum ianuamque patefacere ».[2]

Sed in hac re nonnulla bene notanda sunt:

1. Contra factiones, quae religionem aut christianos mores impetunt, pugnare, afferendo motiva ex bono spirituali deducta, omnino legitimum est; imo etiam id quandoque pro debita fide-

quidem Ecclesia respuit » (*Acta Leonis XIII,* vol. VIII, p. 245); Enc. *Diuturnum* (*Acta Leonis XIII,* vol. II); Enc. *Sapientiae christianae* (*Acta Leonis XIII,* vol. X); vide supra, n. 158.

[1] Enc. *Au milieu,* 16 febr. 1892 (*Acta Leonis XIII,* vol. XII, p. 28 ss.); cfr. Pii XI, Enc. *Dilectissima Nobis,* 3 iun. 1933 (*A. A. S.,* vol. XXV, p. 262).

[2] Leonis XIII, Enc. *Cum multa,* 8 dec. 1882 (*Acta Leonis XIII,* vol. III, p. 173).



lium instructione vere necessarium evadere potest.[1] Sed hoc est aliquid negativum dumtaxat.

2. Catholici singulariter sumpti, pro conscientia sui officii, certe in exercitio civilium et politicorum iurium, quae hodie plerumque nonnisi mediante organizatione factionum suam efficacem explicationem habent, motiva religiosa et moralia prae oculis omnino habere debent.[2]

Item clerici, religiosi, etiam parochi, per hoc quod muneribus sacris vacant, non amittunt facultatem et officium exercendi iura civilia et politica: iniuria igitur ab aliis, praeter quam a legitimis superioribus, propter specialia adiuncta, si prohiberentur quominus, qua privati cives, publicos conventus politicos adeant vel uni factioni nomen dent. Heic loquimur ut patet de *iure,* non de ipsorum clericorum officiis, *prudentiae* causa sancte servandis.

3. Equidem *pastores animarum* plerumque abstinere debent a qualibet publica manifestatione suae opinionis politica; *semper* autem abstinere debent a propagandis rationibus politicis alicuius determinatae factionis, ne confundatur id quod ad dignitatem et auctoritatem ministerii sacri pertinet, cum iis quae in libera civium disputatione permissa sunt quoad politica negotia. Ceterum periculum maximum est ne civitatum rectorum et ipsorum fidelium politice dissidentium animi ita excitentur, ut odium politicum refundatur in odium adversus ea quae religionis sunt, quorum curam et speciem gerunt animarum pastores.[3]

Quae quidem prudentiae argumenta non prohibent quominus

[1] Cfr. v. g. Pius XI, alloc. consist. *Nostis,* 5 dec. 1924, contra socialismum et communismum (*A. A. S.,* vol. XVI, p. 495); vid. etiam Leonis XIII, Enc. *Rerum novarum,* 15 maii 1891 (*Acta Leonis XIII,* vol. XI).

[2] Enc. *Immortale Dei,* § 64, Item. Cfr. quae his in rebus — attentis etiam stipulationibus concordatariis — habet Restrepo, *Concordata,* Romae, 1934, p. 588 ss.

[3] Leonis XIII, Litt. Enc. *Cum multa,* 8 dec. 1882, ubi cavendum sacerdotibus commendat ne « se penitus tradant partium studiis, ut plus humana, quam caelestia curare videantur, nec prodeant extra gravitatem et modum » (*Acta Leonis XIII,* vol. III, p. 196). Cfr. Litt. *Paternae providaeque,* 18 sept. 1899, ubi normae pro clero sic breviter ad modum conclusionis perstringuntur: « Modeste igitur utendum iure suffragii; vitanda omnis suspicio ambitionis; reipublicae munia capessenda prudenter; a supremae vero auctoritatis obsequio desciscendum numquam » (*Acta Leonis XIII,* vol. XIX, p. 196); cfr. instr. S. Officii, 17 febr. 1877 (*Collect. Prop. Fid.,* n. 1665).

http://www.obrascatolicas.com

Ecclesiae pastores contra factiones politicas, quae religionem impetunt vel moralem christianam pessundant, animadvertant, ac fideles suos ab eisdem arceant, etiam in electionibus politicis. « L'esercizio del diritto di voto — monuit Summus Pontifex Pius XII — è un atto di grave responsabilità morale, per lo meno quando si tratta di eleggere coloro che sono chiamati a dare al Paese la sua Costituzione e le sue leggi, quelle in particolare che toccano per es. la santificazione della festa, il matrimonio, la famiglia, la scuola, il regolamento secondo equità delle molteplici condizioni sociali. Spetta perciò alla Chiesa di spiegare ai fedeli i doveri morali, che da quel diritto elettorale derivano ».[1]

De « *Actione Catholica* » autem speciatim erit agendum infra (v. n. 289 ss.).

**220. Officium positivum** quo tenetur Ecclesia erga Statum, *adiuvandi* videlicet rempublicam, potest procedere non solum ex charitate sed etiam ex iustitia, sicut contingit generatim quando societas ordine superior tenetur adesse inferiori in necessariis quae exiguntur etiam ob finem superiorem (n. 49).

1. Profecto Ecclesia modo quodam necessario et connaturali, iam vi suae actionis spiritualis maxima affert auxilia Statui: « quamquam enim ea, divino iussu, recta spiritualibus nec perituris bonis intendit, tamen ut omnia sunt apta inter se ac nexa cohaerent, prosperitati etiam terrenae tum singulorum hominum tum ipsius humanae societatis sic favet ut plus favere minime possit si iisdem omnino provehendis instituta esse videretur ».[2]

Sed praeter ea quae per se influunt in bonum felicitatis temporalis simul et spiritualis, prout illa quae respiciunt publicam moralitatem et tranquillitatem, sunt etiam ea quae per accidens involvunt securitatem nedum Status sed etiam Ecclesiae, v. gr. si oppugnandi sint infideles (hodie tamen magis infensi et immi-

[1] Oratio Pii XII ad Parochos Romae, die 16 martii 1946 (*A. A. S.*, vol. XXXVIII, p. 187). Cfr. etiam nostrum opusculum *Doveri dello Stato Cattolico verso la religione*, Roma, 1953.

[2] Litt. Enc. Pii XI, *Ubi arcano Dei* (*A. A. S.*, vol. XIV, p. 697); cfr. supra, n. 169.



tes[1] communistae) qui Status catholici et ipsius religionis ruinas minantur. Tunc etiam exurgit officium Ecclesiae adiuvandi Statum *ratione finis sui*.

In his omnibus igitur verum officium iustitiae ligat Ecclesiam, cuius interest non minus quam Status, quod vigeat floreatque honestas morum externa, publica tranquillitas, pax christianae societatis eiusdemque securitas ab hostibus externis et internis.

2. Plerumque tamen Ecclesia Statum adiuvat ex caritate, in iis videlicet quae nullo modo vel nimis remote connectuntur cum fine societatis spiritualis: ex gr. cum indiget Status auxiliis specialibus ad vias publicas, portus, etc.; vel in annonae penuria, vel etiam in bello cum aliis rebuspublicis diuturno, cum impotens est civitas suis viribus ad levandas omnes infirmitates civium durante ipso bello. Hinc aliquando concessit Ecclesia in iis adiunctis decimas vel ius percipiendi fructus beneficiorum vacantium; ultimis vero temporibus impensae sollicitudines et studia Sanctae Sedis in promovendis quibuslibet caritatis operibus, ad levandas aerumnas orphanorum, captivorum militum, vulneratorum, necnon plebium fame, morbis ac bello acerrime vexatarum, maxime enituerunt, ut aedes vaticanae vere dici possent aedes caritatis universalis. Nec minus ardens et efficax durante et post recens bellum fuit et est Pii XII charitas.

**221.** Aliud officium denique, quo ligatur Ecclesia, respicit ea iura Status circa sacra, quae legitime eidem acquisita fuerant: v. g. Concordatis, iurepatronatus, etc. Saepe enim contingit duas potestates, amicabili foedere coniunctas, ad concordiae statum servandum, officiorum speciali permutatione invicem magis devinci etiam pactis conventis; tunc Ecclesia, ad officiorum beneficiorumque vicem exolvendam, quaedam iura solet largiri quae ad civile forum proprie non spectarent; v. gr. privilegia honorifica imperatoribus christianis concessa, privilegia circa nominationes, etc.

[1] Pii XI, Alloc. *Ad clerum ex Hispania profugum*, 14 sept. 1936, (*A. A. S.*, vol. XXVIII, p. 373 ss.).

http://www.obrascatolicas.com

Iamvero, licet haec largitionum indolem semper habeant ab Ecclesia, quousque proportionata ratio in contrarium non obstet, sancte servanda sunt, tum quia beneficium principis decet esse mansurum, tum quia, si intercessit pactorum sollemnitas, iustum debitum etiam Romanus Pontifex reddere debet. Sed de his speciatim ubi de Concordatis (nn. 277 ss.).

## Articulus IV

### Ecclesia et Status heterodoxi

222. Hucusque egimus de Statu catholico; verum Ecclesiae habitudo iuridica ad respublicas, quarum cives a vera religione alieni sunt, influxum talis condicionis facti summopere persentit, ideoque componenda sunt iura Ecclesiae, salvis utique principiis, cum diversis condicionibus facti in quibus versantur Status, pro diversitate religionum. Equidem impossibile est postulare a Statu heterodoxo ut omnia Ecclesiae praestet quae essent praestanda; siquidem hoc contradiceret suae professioni.

Consideramus autem: 1° Statum heterodoxum christianum, sive haereticum sive simpliciter schismaticum; 2° dein vero Statum infidelem.

1. **In Statu christiano acatholico.** – Haeretici et schismatici, per se, cum sint baptizati, subiiciuntur Ecclesiae legibus; quare, summo iure, etiam in eorum societate civili Ecclesia omnia sibi vindicare posset quae in societate civili catholica. Practice tamen aliter se habet res.

Iamvero Status haereticus vel schismaticus potest considerari vel in actu rebellionis, quae adhuc non sit plene consummata, vel in stadio perfectae et consummatae apostasiae a catholica fide vel unitate. In primo casu Ecclesia adhuc urget iura sua ad vitandum plenum catholicae disciplinae collapsum, seu ad avertendam generalem populi perversionem. Hinc



haereticos punit, et exigit ut a potestate civili compescantur; quod si officio suo Civitas desit, sed potius rebellionem foveat aut quomodocumque rebellibus conniveat,[1] excitabit legitimum rigorem ecclesiasticae disciplinae quae exercebitur in ipsos civitatum rectores, quos correctione, punitione, aliisque remediis efficacibus Ecclesia coërcere valet, ut factum est anteactis temporibus.

Quando autem defectio completa est et stabiliter firmata, ita ut principes et populi inveniantur ab Ecclesia separati, non vi proditionis ab ipsis peractae, sed ob lugendam hereditatem quae a patrum apostasia originem ducit, tunc prudentiae et caritatis causa, praesertim ne mala maiora sequantur, Ecclesia practice coarctat limites exercitii suorum iurium quantum id sanctitas sui officii permittit et temporum condicio exigit.

Sunt tamen quaedam quae omnino ab eadem exiguntur sive arguendo « ad hominem » ex ipsis principiis Status heterodoxi, sive ex principiis iuris naturalis socialis, sive etiam ex pactis conventis.

*a*) Saltem *ex ipsis principiis Status haeretici vel schismatici,* catholicis, qui in eo existunt, agnoscendum est primum omnium ius exercendi proprium cultum quin molestiis aut restrictionibus afficiantur. In hypothesi enim Status prosequitur religionem quae infallibilitatem non profitetur; igitur non potest rationabiliter excludere possibilitatem veritatis religionis catholicae, ideoque legitimum eius ius existendi; aut saltem debet admittere eos qui catholicae Ecclesiae adhaerent in bona fide versari posse et ideo non esse inquietandos, cum iidem nullimode sint detrimento publicae tranquillitati.[2]

---

[1] Heic opportune recolenda erunt quae de tolerantia politica sub n. 174-177 exposuimus; item quae de paritate cultuum sub n. 178.

[2] Cavagnis, op. cit., vol. I, n. 567, p. 362. Ceterum vel ipsae Constitutiones plerumque id tuentur. Quoad Concordata vero cfr. art. 1 fere omnium Concordatorum.

http://www.obrascatolicas.com

*b*) *Vi ipsius iuris naturalis* Ecclesia agnoscenda est insuper tamquam persona moralis, gaudens omnibus iuribus cuiuslibet licitae societatis, seu praedita iure possidendi, et utendi ministerio publicae auctoritatis adversus hostes tum externos tum internos qui regulas in hac societate acceptas violant; insuper liberum Ecclesiae ius est agnoscendum praedicandi religionem catholicam ut sese propaget, alios convertendo. Hoc primo consentaneum est cum principiis libertatis conscientiae quae Status heterodoxus profitetur. Item ex eo quod infallibilitas ecclesiae statalis ibidem non agnoscitur, Status vetare nequit ne Ecclesia catholica haereticos persuasione ad se convertat, quia qui ceteros curat veritatem docere, iure agit, et qui veritatem complectitur iuri obtemperat. Igitur leges quae puniunt amplectentes religionem catholicam sunt iniustae obiective, et sunt iniustae etiam subiective ubicumque non ea religio sit recepta quae profitetur suam unicitatem et infallibilitatem.

*c*) Sed insuper Ecclesia catholica utitur quoque ex *pactis conventis* quibus ligantur Status heterodoxi. Hodie praesertim varii tractatus, qui inter nationes initi sunt post diuturnum bellum Europaeum, cavent de iuribus Ecclesiae catholicae ubi fideles catholici minores numero sunt, propterea quod de omnibus minoritatibus ethnicis et religiosis iidem tractatus agunt, generali modo. [1] Sed insuper dari possunt conventiones directe initae inter ipsam Ecclesiam et Statum heterodoxum. [2]

[1] En v. g. cautiones impositae ad normam art. 93 Tractatus *de Versailles*, in peculiari conventione quae respiciebat Poloniam: « Art. 8. Les ressortissants polonais, appartenant à des minorités ethniques de religion ou de langue, jouiront du même traitement et des mêmes garanties en droit et en fait que les autres ressortissants polonais. Ils auront notamment un droit égal à créer, ériger et contrôler à leurs frais, des institutions charitables, religieuses ou sociales, des écoles et autres établissements d'éducation, avec le droit d'y faire librement usage de leur propre langue et d'y exercer librement leur religion ». Iamvero eiusdem generis dispositionibus poterant ante dominationem communisticam frui catholici in Romania, in Turchia, in Graecia, in Bulgaria, vi tractatuum de *Trianon*, de *Sèvres*, de *Saint-Germain*, de *Neuilly*. Cfr. supra p. 308, n. 1.

[2] Ita v. gr. in Lettonia vi Concordati anni 1922, in art. 1° edicitur: « La religion catholique sera librement et publiquement exercée en Lettonie, et la personnalité juridique avec tous les droits, que le Code civil de Lettonie reconnaît aux autres personnes civiles, lui sera reconnue ». Pariter in *Concordato cum Romania*, an. 1927, art. 1°; item in *Concordato cum Germania*, an. 1933, art. 1°. Cfr. etiam *Conc. cum Serbia*, an. 1914, ceterasque conventiones cum civitatibus heterodoxis initas saeculo elapso. MERCATI, *Raccolta di Concordati*, ed. II, Tipografia Vaticana, 1954.



**223. II. In Statu infideli.** – Nostrum non est de infidelibus qua privatis agere, sed de eisdem qua societatem civilem infidelium constituunt. Iamvero cum hac societate Ecclesia relationes potest habere, et iura quaedam vindicare valet, licet nullam iurisdictionis potestatem in eam vel eius subditos non baptizatos exercere possit, [1] ne indirecte quidem. [2]

Ratio praecipua iurium Ecclesiae est in eius legitimitate, etiam cum consideratur iis dumtaxat praedita facultatibus quae ex iure naturali sociali descendunt. [3] Sed praeterea specialia iura sibi vindicat pro sua missione specifica praedicandi religionem, ut sese in universum mundum propagare valeat qua societas religiosa et ut cultum exercere et neophitos libere regere sub aspectu religioso possit.

Ius praedicandi et sese propagandi, obiective consideratum, certissimum est, attento mandato recepto ab apostolis, et ab eorum successoribus, praedicandi evangelium omni creaturae, docendi omnes gentes, eundi in mundum universum christiani nominis propagandi causa.

Subiective vero infideles possunt ignorare originem divinam huius iuris ideoque illud denegare; at negare rationabiliter non possunt religionem christianam saltem probabiliter veritatem docere. Quare contra rationem ac ius naturae agit Status infidelis

[1] Can. 87. WERNZ, op. cit., n. 103, p. 124 ss.; AICHNER, op. cit., § 56, p. 176.

[2] Nisi tamen ratione connexionis, seu propter inscindibilem obligationem simul cum aliquo christiano ligetur infidelis, ut fit ratione individuitatis contractus matrimonialis.

[3] Cfr. ea quae supra exposuimus, p. 100. Exemplo sit lex civilis in Japonia anno 1939 lata (*Lois sur les corporations religieuses*), cum relativo Statuto iuridico pro Ecclesia Catholica (*Statuts de la Corporation Catholique au Japon*) lege anni 1941 sancito, ubi plura iura Ecclesiae agnoscuntur a Statu non christiano.

http://www.obrascatolicas.com

qui impedit illius praedicationem et propagationem.[1] Insuper evangelica praedicatio non tantum non est ipsis infidelium civitatibus quidquam mali allatura, sed potius maximas est utilitates productura tum in ordine morum et publicae tranquillitatis, tum etiam omne genus urbanitatis provehendo et subditorum pietatem et oboedientiam erga principes fovendo (n. 169).[2]

# TITULUS V

## POTESTAS CIRCA NEGOTIA MIXTA ECCLESIAE ET STATUS

## CAPUT I

### DE REBUS MIXTIS IN GENERE

### ARTICULUS I

### Notiones praeviae de rebus mixtis

**224. Res mixtae** illae dicuntur quae *directe* referuntur ad duplicem finem, spiritualem videlicet et temporalem, et secundum alterutrum respectum sub competentis societatis dispositione sunt: v. gr. iuventutis institutio.

Differunt ergo res mixtae a ceteris quae vel referuntur ad unum finem tantum, vel ad unum quidem directe, ad alterum vero indirecte; quia illae ad utrumque finem simul directe ordinantur.

Differt etiam notio rei mixtae a notione rei *mixti fori*. Notio rei mixti fori respicit competentiam iudicialem utriusque potestatis, et quidem super eodem obiecto secundum eundem respectum; hinc causae mixti fori sunt illae quae indiscriminatim in

[1] CAVAGNIS, op. cit., n. 573, p. 366. Ex iure naturali sociali, Ecclesiae ut consociationi licitae competit quoque libera facultas, etiam in Statu infideli, habendi loca sacra, acquirendi et possidendi bona temporalia eaque administrandi etc.

[2] Cfr. v. g. art. 75 Const. Reipublicae Turcarum, anni 1924.



foro sive ecclesiastico sive civili definiri possunt, et circa quas viget ius praeventionis. Notio rei mixtae e contra respicit competentiam utriusque societatis circa eadem negotia quidem sed diverso sub respectu. Itaque iure exclusivo (licet cum debita consensione) utraque societas legiferat, iudicat et administrat de illa re secundum respectum quem habet ad proprium societatis finem;[1] possunt tamen dari res mixtae quae simul mixti fori sint.

**225. Diversae species rerum mixtarum.** – Res mixtae vel tales sunt *natura sua*, vel tales sunt *ex facto contingenti*, unde primae sensu stricto dicuntur res mixtae, aliae vero sensu lato. Quaedam enim negotia de se, vi nativae suae indolis et destinationis, ad utrumque finem simul directe tendunt; aliae vero sunt quae, de se, directe respiciunt tantum unum finem, sed propter adiectam qualitatem ex pacto, vel ex consuetudine, vel alio facto historico in bonum alterius societatis quoque ordinatae sunt.[2]

Res mixtae sensu stricto rationes civitatis et Ecclesiae simul ita habent implicatas instituto suo, ut non possint concipi nisi cum suis relationibus ad utrumque ordinem. Huiusmodi sunt v. gr. matrimonium, adaequata (seu christiana et civilis) iuventutis institutio, publicae moralitatis tuitio, contractus cum iuramento, cura pauperum, repressio propagationis haereseos quae civitatis pacem turbat, determinatio kalendarii ecclesiastico-civilis, seu festorum ab utraque societate celebrandorum etc.

Res mixtae sensu lato rationes utriusque involvunt non natura sua sed hominum facto, in quantum character spiritualitatis

[1] Vid. supra, nn. 90 et 93; item, CAVAGNIS, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. I, n. 421, p. 279.

[2] AICHNER, *Compendium iuris ecclesiastici*, Brixinae, 1915, § 37, p. 111 ss. Sunt tamen quibus opportunum videtur res mixtas dividere in mixtas *stricto, lato et latissimo* sensu. BIEDERLAK, *Institutiones iuris ecclesiastici*, Romae, 1907, n. 54. Latissimo sensu dicitur mixtae res quae, licet directe referatur ad finem unius societatis, *interest tamen* etiam alterius, propter commoda utilitatesque quae indirecte afferre potest; v. gr. delimitatio dioecesis relate ad Statum, vel nominatio civilium magistratuum relate ad Ecclesiam. Ut patet huiusmodi res nonnisi sensu valde *improprio* vocantur mixtae.

http://www.obrascatolicas.com

rei accessit vel ex usu vel ex pacto, etc. Hinc sequuntur vicissitudines relationum utriusque societatis in diversis locis, nec semper aut ubique *eaedem* res mixtae habentur. Quare evidenter constat rerum mixtarum huius generis fixam et determinatam enumerationem numquam fieri posse. Exempla autem haec sunt: conscriptio matricularum paroecialium cui adnexi sint effectus nedum religiosi sed etiam civiles; administratio bonorum ecclesiasticorum in aliquo Fundo religionis ex consensu Ecclesiae constituto sub quadam vigilantia Status;[1] regimen urbanum, aedilitium, hygienicum relate ad loca extruendis Ecclesiis destinanda,[2] etc.

**226. Res mixtae naturales et supernaturales; effectus separabiles et inseparabiles.** – Res mixtae distingui solent in *naturales* et *supernaturales*, prout ipsarum essentia intra limites ordinis naturalis continetur aut e contra excedit fines naturae rerum. Rebus supernaturalibus accedunt supernaturalizatae, quae videlicet, per se spectata ipsarum nativa indole, in ordine rerum naturalium continerentur, sed actu positivo elevatae sunt ad ordinem superiorem, ita ut induant rationem rerum supernaturalium.[3]

Effectus vero rerum, quae supra naturam sunt aut elevatae fuerunt, duplicis generis sunt: *inseparabiles* et *separabiles* (qui ultimi, si sunt temporales, dicuntur mere civiles). Primi generis sunt illi qui necessario fluunt ex re supernatu-

[1] Cfr. v. gr. art. 31. *Conc. cum Austria*, anni 1855; vid. etiam eiusdem concordati art. 30 et 32. Recentius aliquid simile constitutum est per Conventionem circa sic dictum « Statum Catholicum Transilvaniensem », cum Romania, 30 maii 1932 (cfr. praesertim art. 4).

[2] CAVAGNIS, op. cit., vol. III, n. 217 ss., p. 124 ss. Equidem servandae sunt ab Ecclesia *iustae* aedilitatis leges, normae hygienicae etc. quia hae bonum civium tuentur et simul optime conciliantur cum libero religionis exercitio.

[3] Hinc patet superfluum esse in re nostra distinctum ordinem rerum mixtarum constituere, seu supernaturalizatarum, cum sive res supernaturales sive supernaturalizatae iisdem principiis iuridicis regantur, relate ad competentiam.



rali et cum ea ita cohaerent ut nullatenus ab eis seiungi queant: v. g. effectus spirituales et supernaturales gratiae et auxiliorum quae necessario ex matrimonio christiano profluunt, item naturalia iura et officia quae invicem ligant coniuges, ac demum ipsa condicio iuridica legitimitatis prolis. Alterius generis sunt effectus qui non necessario derivant ex substantia rei mixtae, neque cum ea indeclinabiliter cohaerent, sed potius pendent ex iuris positivi praescripto, ideoque ab ipsa re scindi possunt; de iis ergo tractari potest quin consequenter et necessario tangatur substantia rei cui adnexi sunt; v. g. determinata quantitas dotis, ratio administrandae dotis, ordo successionis inter coniuges et inter liberos, privilegia primogeniturae etc.

Iamvero quoniam absurdum est res supernaturales vel supernaturalizatas aeque esse in dispositione utriusque societatis, cum repugnet potestatem ordinis naturalis regere ea quae supernaturalia sunt, sequitur has res, respectu competentiae, dici posse mixtas solum ratione effectuum, cum ratione substantiae uni dumtaxat societati sint exclusive commissae.

Itaque, circa competentiam alterutrius societatis, attendi debet non solum directio alicuius rei in finem utriusque societatis simul, sed etiam natura rerum. Igitur quaerendum est de quibusnam rebus mixtis utraque societas leges ferre possit; et ulterius an circa eas res, de quibus tum Ecclesia tum Status legiferare possunt, utraque societas ita disponere valeat ut unice attendat ad finem suum et omnino praescindat a fine alterius.

## ARTICULUS II

### Principia iuridica de regimine rerum mixtarum

**227. Principium I.** – *In materiis mixtis, quaecumque hae sunt, civilis potestas nequit leges ferre praescindendo a relativa legislatione ecclesiastica; sed utriusque potestatis offi-*



http://www.obrascatolicas.com

*cium est mutua consensione procedere, salva superioritate Ecclesiae.*

Docet quidem Leo XIII « in negotiis autem mixti iuris, maxime esse secundum naturam, itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum caussis proximis congruentem, quae caussae utramque societatem genuerunt ».[1] Haec veritas autem non est nisi corollarium eorum quae contra systema separationis iam sunt exposita (n. 187 sq.).

Itaque — 1° debent mutua consensione leges condi. Cum enim agatur de rebus quae utrumque finem respiciunt, cumque leges relativae attingant *eosdem subditos,* facillime oriri posset conflictus legislationum, si hae seorsim ita conderentur ut una praescinderet ab altera. In casu autem conflictus, peior condicio iuridica est ex parte societatis inferioris, quia haec non posset id exigere a subditis suis quod esset contrarium legi superiori; hinc teneretur corrigere legem suam. Ne id igitur verificetur, oportet quod civiles legislatores continuo in suo munere explendo prae oculis habeant, quoad res mixtas, relativam legislationem societatis superioris, idest Ecclesiae. — 2° Ecclesia vero ratione officii negativi iustitiae (nn. 48 et 217 sq.) tenetur et ipsa prae oculis habere praecedentem et iustam legislationem civilem, ne absque necessitate eam impediat, licet Ecclesia, ratione suae superioritatis, liberam et in casu conflictus praevalentem habeat etiam in rebus mixtis potestatem.

Status autem in condendis legibus de rebus mixtis prae oculis habebit relativam legislationem canonicam *a*) ne aliquid prohibeat quod ab Ecclesia praecipiatur; *b*) ne aliquid praecipiat quod lege ecclesiastica sit prohibitum; *c*) ne talia onera imponat quae, licet directe non opponantur legibus ecclesiasticis, tamen impedirent quominus simultanee alia officia sacra implerentur.

[1] Enc. *Immortale Dei,* § 50, In negotiis.



**228. Principium II.** – *Quoad res mixtas naturales earumque effectus utraque societas leges ferre potest, in quantum eaedem ad proprium finem spectant.*

Equidem ipsa naturalis directio rerum huiusmodi in utrumque finem ponit easdem res, respective in quantum tangunt alterutrius societatis finem, sub dispositione relativae potestatis; ex necessitudine enim rei cum fine oritur potestas in societate (n. 18).

Nec difficultas aliqua per se oriri potest ex eo quod circa eandem rem duplex legislatio constituatur, attenta etiam superioritate unius prae altera; etenim semper supponitur servari principium superius explicatum, quo cavetur ne oppositae leges condantur, aut non satis ratio habeatur superioritatis Ecclesiae.

Ex alia parte res mixta naturalis, etsi directe influat etiam in finem spiritualem, per hoc non amittit indolem rei naturalis ad finem quoque temporalem ordinatae: v. g. ex eo quod iuvenum institutio in scholis primariis respicere debet etiam bonum ipsorum spirituale, non subtrahitur schola e suo ordine rerum naturalium, manetque eius ordinatio directa ad finem quoque civilis educationis puerorum.

**229. Principium III.** – *Societas civilis nihil potest disponere circa substantiam et effectus inseparabiles rei supernaturalis vel supernaturalizatae; ideoque solum circa harum rerum effectus temporales separabiles, seu mere civiles, eius potestas versatur.*

Quidquid enim est quoque modo sacrum, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae dumtaxat; equidem res, ad ordinem supernaturalem pertinentes sive natura sua sive positiva elevatione, effugiunt omnino competentiam potestatis civilis, quae naturalis est. Repugnat enim potestatem naturalem aliquid posse circa supernaturalia, quatenus sunt huiusmodi. Item, *propter causam ad quam necessario et inseparabiliter referuntur,* in potestate Ecclesiae dumtaxat sunt

http://www.obrascatolicas.com

etiam harum rerum effectus, inseparabiles, licet civiles: quia cuius est agnoscere de causa, eius est cognoscere et disponere de iis quae necessario cum eadem causa connectuntur,[1] cum omnis dispositio de istis attingat relationem qua ipsi colligantur cum causa, et consequenter attingat causam ipsam.

Hinc sequitur a Statu agnoscendos esse effectus inseparabiles rei mixtae supernaturalis vel supernaturalizatae de quibus Ecclesia disponit.[2] Qui enim tenetur agnoscere causam, tenetur agnoscere et effectus necessarios, et qui de illa iudicat, de his quoque disponit, dum e contra, qui nihil potest circa causam, nihil etiam potest de his quae in illa virtualiter continentur.[3]

*De effectibus vero mere civilibus,* seu temporalibus separabilibus, Status disponere potest, quia hi referuntur ad finem societatis civilis, non excedunt in sua substantia limites naturales intra quos est ipsa civilis potestas, neque necessario implicant rationes substantiales rei spiritualis cui contingenter adnexi sunt. Hinc nihil obstat, seu nulla est difficultas quominus potestas ordinis naturalis de his agere valeat, dummodo tamen servetur subordinatio legi ecclesiasticae, ne videlicet dispositiones civiles opponantur praescriptis ecclesiasticis, sicut dictum est supra (princ. I).

**230. De sanctionibus civilibus circa praescripta Status vel Ecclesiae in rebus mixtis.** – Quaeri primum potest an positio actus spiritualis in materia mixta, servatis tantum Ecclesiae legibus respicientibus substantiam rei et effectus spirituales vel temporales inseparabiles, omissis vero praescriptionibus civilibus pro effectibus temporalibus separabilibus, sit poenae obnoxia lege civili.

---

[1] Cfr. De Luca, *Institutiones iuris ecclesiastici publici,* Romae, 1901, vol. I, p. 201 ss.

[2] V. gr. legitimitas prolis, quae necessario consequitur ex matrimonio iuxta leges Ecclesiae inito.

[3] Cavagnis, op. cit., vol. I, n. 429, p. 282.



I. Iamvero quod Statui subest, legibusque civilibus ordinari potest, id certe sanctionibus quoque civilibus urgeri valet. Quare nullum dubium quin societas civilis omissionem praescriptionum suarum *circa res mixtas naturales* vel *circa effectus mere civiles* rerum spiritualium punire possit tum denegando eosdem effectus, tum etiam positivis poenis, quibus videlicet afficiantur cives qui legem civilem spreverunt, non autem ministri Ecclesiae qui actum sacri ministerii legitime posuerunt, quin providerent de effectibus mere civilibus.

1. Sanctio negativa igitur in hoc consistit quod effectus mere civiles non tribuantur actibus qui non servatis civilibus praescriptionibus ponuntur: aequum enim est eos privare beneficiis qui haec spernere videntur, cum non posuerint id quod necessarium est ad eadem consequenda. V. g. si celebrati matrimonii negligatur inscriptio in tabulis civilibus, praescripta pro effectibus temporalibus separabilibus, potest Status denegare hos effectus secuturos ex eadem inscriptione, ut puta quod filii primogeniti eximantur a servitio militari, vel aliis privilegiis fruantur. Sanctio positiva vero consistit in irrogatione alicuius poenae specialis, qua videlicet aliquod malum inferatur iis qui praescriptiones legitime latas circa rem mixtam, non servarunt: v. g. mulcta pecuniaria pro iis qui leges hygienicas non servarunt in scholis privatis moderandis. Equidem si Status contentus esset sola privatione effectuum civilium, possent hi sperni, ideoque lex civilis vacaret effectu practico; at vero potest interesse reipublicae supradictos effectus haberi, ideoque servari relativas praescriptiones.

2. Si vero agatur *de sacris ministris* qui in exercitio sui ministerii non providerunt de effectibus temporalibus rei mixtae, iidem non possent puniri propter talem omissionem. Equidem si in exercitio sacri sui muneris leges Ecclesiae rite observaverunt, actum sacrum legitime posuerunt; iamvero in quantum ponunt hos actus sacros omnino independentes sunt a Statu; qui, si urgeret observationem suarum legum ad ponendos actus sacri ministerii, coarctaret libertatem Ecclesiae, scilicet sacerdotes non essent plene liberi in suo spirituali ministerio, quod aliquando

http://www.obrascatolicas.com

exigere potest ut expleatur nullo habito respectu rerum temporalium separabilium de quibus providet Status.[1] Practice tamen Ecclesia, ratione convenientiae et publicae utilitatis, ipsa urget ut a suis ministris quae praescriptiones civiles iustae sint et bono publico respondentes serventur; itemque curandum edicit ut ab iis in quorum emolumentum actus sacri ministerii exercentur, pariter serventur.

II. Ulterius autem quaeritur an magistratus civiles punire possint violationem legum ecclesiasticarum quae respiciant ipsam substantiam rei mixtae supernaturalis vel supernaturalizatae vel etiam effectus inseparabiles.

Supponuntur semper rite observari debita erga Ecclesiam subordinatio necnon normae prudentiae et iusti moderaminis, quae adhibenda sunt ne rigor sanctionum potius in destructionem spiritualem quam in aedificationem cedat. Item distinguendum est inter omissionem vel culpam ministrorum sacrorum et culpam ipsorum fidelium.

1. Si agitur de sacris ministris, primum omnium habenda est ratio privilegii fori. At quandoque huic derogatum est; tunc autem Status *nomine Ecclesiae,* seu de eius consensu et quasi eam adiuvans potest sacros ministros punire, servatis de cetero servandis ad normam sacrorum canonum. Tunc enim Respublica nihil aliud praestat, quam illud auxilium seu adsistentiam brachii saecularis ad quam tenetur vi indirectae subordinationis (n. 214). Nullimode autem potest eosdem sacros ministros punire nomine proprio, quia ministri Ecclesiae omnino immunes sunt, iure divino, a civili potestate in exercitio sacri ministerii.

[1] Maxime autem esset laesiva libertatis Ecclesiae et boni spiritualis fidelium lex quae imponeret obligationem servandi quasdam formalitates civiles (v. gr. inscriptionem in publicis tabulis infantis antequam baptizetur; actum civilem in matrimonio christianorum, antequam coram parocho contrahentes sistant) priusquam minister sacer officio suo religioso fungatur. Quare nullimode tenentur sacerdotes cavere de observantia horum praescriptorum, praesertim quia aliquando urget necessitas baptismi vel obligatio assistendi matrimonio fidelium, pro bono animarum.



2. Laicos vero lex civilis punire potest *nomine Ecclesiae* propter transgressionem legum eiusdem Ecclesiae circa res spirituales. Tum quia non obstat in casu ratio personae puniendae, tum quia simul supponitur servare modum et devitare omnem deordinationem quae cederet in damnum spirituale; quibus rite consideratis, patet secundum rectam rationem esse ut Status tamquam societas indirecte subordinata, etiam hoc modo, scilicet puniendo transgressores legum ecclesiasticarum, secundum normas ab Ecclesia probatas, eam adiuvet. Imo laicos respublica punire potest de his culpis seu etiam omissionibus, *nomine proprio* quoque: nempe quando ex tali transgressione legis ecclesiasticae damnum sequitur in ipso ordine civili. Interest enim plerumque etiam ordinis publici seu boni socialis Status huiusmodi leges ecclesiasticas rite servari. Ex altera autem parte Status dum hoc modo sibi prospicit, simul adiuvat Ecclesiam: dummodo tamen, ut pluries monuimus, debitus modus ac subordinatio apprime servetur.

De iudicio autem meri facti spiritualis, vel de iudicio possessorio iuris spiritualis iam sunt exposita catholicae doctrinae principia, ubi de competentia potestatis iudicialis Ecclesiae.

## CAPUT II

### DE NONNULLIS REBUS MIXTIS IN SPECIE

#### ARTICULUS I

#### Legislatio Ecclesiae et Status circa matrimonium

**231. Praesupposita theologica.** – Fidei dogma est matrimonium a D. N. Iesu Christo ad sacramenti dignitatem evectum esse; in coniugiis christianorum igitur, contractus matrimonialis a sacramento nullimode est dissolubilis, adeo ut non possit esse verum coniugium inter baptizatos tamquam in naturae officio, quin simul consistat in ratione sacramenti; ipsum autem connubium quod in mundi exordio Deus ipse ad humanam speciem propagandam et conservandam instituit et *inseparabile decrevit,* non solum sanctius, sed et *firmius*

http://www.obrascatolicas.com

evasit per Christum qui etiam suae cum Ecclesia unionis formam voluit illud referre. Quare si numquam potuit, ipso iure naturae, propria humani legislatoris auctoritate sanciri repudium aut divortium proprie dictum, a fortiori id dicendum est de christianorum matrimonio.

« Christus igitur, — ita Leo XIII in cit. Enc. — cum ad talem ac tantam excellentiam matrimonia renovavisset, totam ipsorum disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit. Quae potestatem in coniugia christianorum omni cum tempore tum loco exercuit atque ita exercuit, ut illam propriam eius esse appareret, nec hominum concessu quaesitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam ». [1]

**232. Notiones de matrimonio civile.** – Nomine matrimonii civilis intelligitur a modernis legumlatoribus « *contractus nuptialis initus, tamquam necessarius et sufficiens ad validitatem matrimonii, iuxta normas codicis civilis, coram laicali magistratu* » relicta fidelibus libertate, si velint, petendi a sacerdote nuptialem benedictionem.

Quare leges civiles de matrimonio intendunt nedum registrationem curare contractus coram Ecclesia initi, pro effectibus civilibus, sed ordinare societatem vere coniugalem, tum quoad eius validam institutionem, declarationem nullitatis, legitimitatem prolis etc.

Matrimonium civile potest esse: *obligatorium* seu necessarium, *liberum* seu facultativum, et demum *subsidiarium*, seu succedaneum. [2]

Primum obtinet cum omnibus coniugium ineuntibus etiam christianis, praescribitur ut contractum matrimonialem

[1] Enc. *Arcanum*, 10 febr. 1880 (*Acta Leonis XIII*, vol. II, p. 25).

[2] Wernz, *Ius Decretalium*, Prati, 1914, vol. IV, p. I, n. 200, p. 327 ss.; Card. Gasparri, *Tractatus canonicus de matrimonio*, ed. 2ª, Romae, 1932.



ineant dumtaxat coram civili magistratu ad tramitem legum Status sub poena nullitatis actus in foro civili, denegationis effectuum civilium aliarumque sanctionum. Alterum vero instituitur cum lex civilis omnibus coniugium ineuntibus optionem relinquit aut coram parocho, civiliter ad id mandata habente, nuptias ineundi, servatis simul tum praescriptis canonicis tum etiam civilibus, aut coram laicali magistratu, servatis tantum legibus Status.

Tertium denique habetur cum Status iis facultatem facit matrimonium civile ineundi qui sunt extra quamlibet societatem religiosam constituti, vel qui repelluntur a respectivo ministro sacro, propter aliquod impedimentum.

**233. Principium I.** – *Ecclesiae ius competit plenum, exclusivum et proprium circa christianorum coniugia, tum quoad vinculi substantiam tum quoad effectus inseparabiles; hinc matrimonium baptizatorum regitur iure divino et canonico dumtaxat, salva competentia civilis potestatis circa effectus mere civiles eiusdem matrimonii.* [1]

Dicitur ius plenum ad indicandam liberam dispositionem et facultatem ordinandi tum validam tum licitam matrimonii christiani celebrationem, seu statuendi impedimenta et praescribendi rationabiles condiciones v. g. ritus, formam, solemnitates etc., itemque decernendi de effectibus cum matrimonio necessario connexis, etc. Dicitur proprium quia agitur de iure nativo ab ipso Christo Domino immediate, non ex conniventia principum saecularium, accepto, neque mera consuetudine aut usurpatione. Dicitur demum exclusivum quia uni dumtaxat Ecclesiae haec omnia ordinare competit,

[1] Can. 1013: Billot, *De Sacramentis*, Romae, 1908, vol. II, p. 446 ss.; Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. III, n. 192 ss.; Wernz, op. cit., vol. IV, p. I, p. 73 ss.

http://www.obrascatolicas.com

relicta civitati facultate disponendi circa effectus *civiles separabiles*.

Ratio est in praesuppositis theologicis iam supra enunciatis (n. 231), quia videlicet Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos, inter quos matrimonialis contractus validus nequit consistere quin sit eo ipso sacramentum.

Iamvero, si matrimonium iuxta catholicam doctrinam est sacramentum, eius dispositio et ordinatio sicut ceterarum rerum sacrarum, praesertim sacramentorum, spectat exclusive ad Ecclesiam, omnisque auctoritatis politicae interventus in ipsum matrimonialem contractum non est nisi abusus potestatis circa sacra.

Verum *solet obiici* matrimonium esse rem mixtam in finem utriusque societatis directe ordinatam, hinc utriusque societatis interesse eius regimen; porro bonam constitutionem societatis coniugalis esse maxime necessariam ad prosperitatem societatis politicae omnemque principatum habere auctoritatem ad determinandum ea quae suo fini deserviunt, et conferunt ad consecutionem eius; neque repugnare quod matrimonium, ut simplex naturae officium, respiciatur a Statu, et ordinetur in bonum hominum naturale.

Iamvero aliquam rem mixtam subesse potestati utriusque societatis, intelligitur in tantum in quantum nulla obstet ratio superior quae, salva manente ordinatione rei in bonum utriusque societatis, uni dumtaxat competentiam addicat circa eandem rem. Talis est casus matrimonii christianorum, quod, cum sit sacramentum, penitus est sublatum a competentia civilis societatis: omnis enim dispositio civilis circa contractum matrimonialem iam necessario tangeret sacramentum quod identificatur cum ipso contractu.

Imo, iam apud ethnicos res maxime sacra habita sunt sponsorum coniugia, praetereaque, non principum nutu aut praesentia, sed sacerdotum precatione et eorum invocatione ubique celebrata fuere; nec minore iure frui debet illa societas religiosa,



quae sola, legitime, positivo Dei mandato, sacris regendis instituto suo incumbit.

**234.** Profecto Ecclesia non ignorat neque diffitetur sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur: hinc competentiam Status quoad **effectus mere civiles** agnoscit.

Effectus matrimonii intelliguntur, in genere, omnia bona et privilegia, iura et officia coniugum et prolis, quae contractum et vinculum matrimoniale consequuntur.

Iamvero effectus *essentiales* seu qui necessario fluunt ex substantia matrimonii et inseparabiliter cohaerent cum eius validitate et honestate (ut puta effectus cum unitate et inseparabilitate prolis) sunt, sicut ipsa substantia rei, sub Ecclesiae dispositione. Effectus vero extrinsece et *separabiliter* adnexi matrimonio reguntur ab alterutra potestate, prout ex iure canonico vel civili accedunt, aut etiam ex iure naturali fluunt[1] sed quoad determinationem legislatione positiva sunt moderandi alterutrius ordinis, respective. V. g. effectus separabiles qui iure canonico reguntur sunt: irregularitas orta ex bigamia, ius patronatus patrisfamilias competens etc.; et de his unice Ecclesia diiudicat. Contra, *effectus illi separabiles qui unice ordinem civilem tangunt*, v. g. quantitas dotis debitae, iura successionis coniugum vel filiorum erga parentes, sive quoad nobilitatem sive quoad bona, item iura successionis coniugum reciproce, vel filiorum ipsorum, haec omnia, quae sub nomine effectuum mere civilium veniunt, iure civitatis disponuntur et reguntur.

---

[1] Insuper notandum est «effectus temporales mereque civiles nequaquam esse *indiscriminatim* a potestate civili *concessos* vel pro arbitrio *negandos*. Etenim sunt eiusmodi effectus qui nituntur ipso *iure naturali*, v. gr. successio filiorum ab intestato in bona parentum». Wernz, op. cit., vol. IV, p. I, p. 68 sq., not. 125. Hinc supra diximus societatis competere hos effectus ordinare et melius determinare, minime concedere vel generaliter tollere.

http://www.obrascatolicas.com

Status ergo praescribere etiam valet condiciones quibus matrimonium gaudere debet, ut hi effectus sequantur, dummodo in his legibus servetur subordinatio Ecclesiae, quatenus, nihil praecipiatur quod ipsa prohibet, aut matrimonialis contractus celebratio prohibeatur quae lege canonica valida et licita esset.

**235.** Insuper Status, cum habeat ius ordinandi effectus civiles, ut hi legitime tribui possint, praescribere potest ut coniuges matrimonium suum, coram Ecclesia iam valide et licite celebratum, *in publicis civitatis tabulis inscribant.* Haec inscriptio ergo supponit matrimonium iam formatum, ideoque ipsa supervenire debet, non autem antecedere matrimonialem contractum; item eadem inscriptio concedi debet omnibus et solis matrimoniis, quae sunt coram Ecclesia valida.

Quare non licet reipublicae huic inscriptioni condiciones imponere, quarum vi alicuius existentis matrimonii recusari valeat inscriptio in civilibus tabulis; nec vicissim possunt in eisdem tabulis inscribi matrimonia coram Ecclesia nulla seu quomodolibet non existentia.

Potest autem civitas praescribere ut matrimonii legitimi coram Ecclesia initi inscriptio in publicis tabulis curetur intra definitum tempus: quod si contrahentes (non minister Ecclesiae) neglexerint, poenis quoque convenientibus a magistratu civili multari possunt, dummodo tamen eaedem poenae numquam eo extendantur ut matrimonium nonnisi a tempore inscriptionis civilis in foro saeculari habeatur valide atque licite celebratum. In hoc casu id dumtaxat decerni potest, ut videlicet effectus mere civiles non tribuantur nisi a tempore peractae inscriptionis.[1]

Quae quidem sanctio iustificatur rationibus quas habet Status ut publice constet de matrimoniis legitime coram Ecclesia peractis: quod si occultarentur, maxima essent timenda bono publico incommoda; hoc tamen non usque adeo extendendum est aut

[1] In praxi expedit ut civitates conventionibus cum Ecclesia de hoc negotio simul disponant, ut factum est v. gr. in *Conc. cum Italia,* anni 1929, art. 34.



exaggerandum ut his sanctionibus poenalibus afficiatur quoque occultatio *matrimonii conscientiae,* ab Ecclesia ob iustas causas ad normam canonum permissi.[1]

**236. Principium II.** – *Matrimonium civile, quod dicitur, est religioni maxime iniuriosum, iura et conscientiam catholicorum laedit, atque moralitati publicae noxium existit.*

Equidem civiles nuptiae institutum matrimoniale demoliuntur dum supponunt negationem revelationis, quae manifeste docet matrimonium esse verum sacramentum, et rationem contractus a ratione sacramenti dissociari non posse; insuper laedunt iura Ecclesiae, quatenus id, quod est totaliter subtractum a saeculari auctoritate, Ecclesiae eripitur et civitati addicitur, cum scandalo et offensione fidelium: demum confusionem gignunt inter verum et suppositititium matrimonium, quasi duplex constituendo, et aditum praebendo deceptionibus; legalitate induunt inhonesta coniugia eorum qui, contra bonum suscepti sacramenti, ad alias nuptias civiliter convolant.

1. Equidem nuptiis civilibus everti genuinum institutum matrimoniale ex eo patet quod vero matrimonio substituunt humanum quoddam seu politicum figmentum. Atqui, matrimonium non est nisi illud quod Deus instituit et quod, in baptizatis, ad sacramenti dignitatem evexit: Status e contra, alium nuptialem contractum per se condens et instituens, rem distinctam a sacramento, ideoque a vero fidelium matrimonio constituit. Quod sane est contra divinam dispositionem. Nihil mirum igitur si homines nuptias a se introductas solvi posse autument; dictum quidem est: « quod Deus coniunxit homo non separet », verum quod *homo coniunxit,* homo separat.

2. Esse autem civiles nuptias catholicorum conscientiae iniuriosas patet ex eo quod Status, imponens necessitatem nuptiarum

[1] Vid. can. 1104-1107; Giobbio, *Lezioni di Diplomazia ecclesiastica,* Roma, 1901, vol. III, n. 128, p. 108.

http://www.obrascatolicas.com

civilium omnibus qui velint suum contractum matrimonialem ut validum haberi coram civitate, adstringit catholicos ad agendum contra dictamen propriae conscientiae, cum ipsis persuasum sit illum iam esse validum contractum matrimonialem qui coram Ecclesia legitime initus sit. Dum ergo affirmatur non agnosci matrimonium religiosum, ut tuta sit civium libertas conscientiae, adstringuntur fideles ad commenticium matrimonium quod de se implicat denegationem alicuius veritatis fidei.

3. Verum civiles nuptiae, ut sunt plenae irreligiositatis, falsitatis et iniustitiae, ita sunt etiam foecundae detrimentorum et calamitatum. Nemo enim non videt quantam profanata coniugia perniciem attulerint societati, quantam allatura sint universae hominum communitati. Lex enim protegit et legalitate cohonestat infandos concubinatus eorum qui nuptias religiosas iam initas spernunt, ac vinculo civili aliud ineunt matrimonium, morum integritatem publice offendentes. Quod si in se merum matrimonium civile spectetur, divinam gratiam ab humanis generationibus avertit, ut iam eaedem a brutorum generationibus non discriminentur. Hinc etiam societati civili damna haud parva gignuntur.

**237. Lex de praecedentia matrimonii civili.** – Licet Ecclesia reprobaverit leges instituentes matrimonium civile, tamen, ad vexationes poenasque vitandas, et ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, opportunum existimat ut fideles matrimonio legitime contracto coram Ecclesia, se sistant, actum lege decretum exsecuturi, quasi caerimoniam quamdam expleturi, coram civili officiali. Haec tamen civilis caerimonia sequi debet, iuxta mentem Ecclesiae, legitimam matrimonii celebrationem, non autem praecedere.[1] Lex autem quae obligat fideles ut, antequam coram ministro Ecclesiae se sistant matrimonium celebraturi, ritum civilem

[1] « Quod si opportunum est ac expedit ut fideles, sistentes se ad actum civilem peragendum, se probent legitimos coniuges coram lege, hunc autem actum, antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent ». *Instruct. S. Poenit.* 13 ian. 1866.



praemittant coram civitatis magistratu, seu lex de praecedentia matrimonii civilis, est prorsus habenda tamquam lex *impia, irrationabilis* et *perniciosa.*

1. Est *impia* quia coarctat libertatem Ecclesiae et fidelium in conficiendo aliquo sacramento, istud subiiciens condicionibus a lege civili praescriptis,[1] comminata poenae sanctione. Quandoque autem impedit ipsum sacramentum: si enim fideles matrimonium inire vellent iure canonico validum et licitum, lege autem civili non permissum, nuptias inire non possent, nisi saltem iidem et minister Ecclesiae vellent obire poenas ob violatam legem praecedentiae. Tunc ergo sacramenti celebratio puniretur ut res illicita: non enim punitur nisi id quod illicitum est. Lex illa est insuper impia quia offendit conscientiam catholicorum, ut evidens est.

2. Est *irrationabilis.* De conceptu legis est ut sit ordinatio rationis; talis autem nequit dici ea ordinatio quae de se nata est ponere in conflictu duas diversi gradus obligationes, atque ordinem sacrum postponit et subiicit exigentiis (ficticiis quidem) ordinis temporalis. Notandum enim est legem de praecedentia ex se eo tendere ut impediat ea matrimonia quae coram Ecclesia valide et licite celebrarentur, dum iuxta civilem legislationem matrimonialem non permitterentur. Insuper notandum est legem divinam et salutem animarum iubere quasdam uniones, non obstante quolibet vetito humano; immo quandoque esse quaedam matrimonia quae alto secreto celari debent. Haec omnia non permittuntur a lege praecedentiae matrimonii civilis.[2]

Est etiam irrationabilis haec lex, quia in peiori condicione ponit sacramentum matrimonii quam turpem concubinatum. Status enim, qui non punit eos qui in concubinatu vivunt, eosdem punit si, poenitentia ducti, coram parocho se sistant ad celebran-

[1] Exemplo sit praescriptio legis gallicae 8 apr. 1802, art. 54, vi cuius parochi « ne donneront la bénédiction nuptiale qu'à ceux qui justifieront, en bonne et due forme, avoir contracté mariage devant l'officier civil ». Postea codex poenalis aa. 199 e 200, sanctiones addidit contra ipsos parochos.

[2] Consideretur casus *matrimonii conscientiae,* et matrimonii *in extremis;* Giobbio, op. cit., vol. III, p. 360 ss.

http://www.obrascatolicas.com

dum matrimonium: ergo in ordine civili pro ipsis melius erat si mansissent in concubinatu!

Est demum irrationabilis, quia hac lege punitur id quod iuridice non existit: coram Statu enim matrimonium religiosum nihil producit, cum sit actus qui de se nullos effectus iuridicos in ordine civili habet: ergo in tantum punitur in quantum est celebratio alicuius ritus sacri. Actus sacramentalis in se essentialiter licitus, esto quod non consideretur iuridicus, sed quod habeatur ut reatus, hoc est abnorme.

3. Quod autem lex ista sit *perniciosa,* patet ex damnis quae sequuntur in ordine publicae moralitatis: in pluribus casibus enim cohonestat concubinatum. Ubi enim sponsi prohibentur legibus civilibus coram Statu matrimonium inire, hac lege prohibentur quoque contractum religiose celebrare: non remanet ergo iis, qui conscientia non continentur, nisi ut se committant concubinatui. Praeterea dari potest casus in quo, celebratis prius nuptiis civilibus cum pacto ineundi etiam religiosum matrimonium alter e contrahentibus renuat adimplere promissum. Tunc Status urgeret obligationes matrimonii civilis etiam si pars innocens recedere vellet: quod sane nemo non videt quantum laedat ipsius conscientiam.[1]

Nec loquimur de iis qui, post celebratas nuptias civiles, abeunt et alias nuptias conantur inire ritu religioso.

*Obiciunt* tamen: lex praecedentiae est necessaria ad praecavendas fraudes eorum qui effugere volunt, matrimonio religioso, dispositiones prohibitivas civiles. Verum si matrimonio religioso nulla vis iuridica agnoscitur, quomodo per illud existimantur fraudari leges Status? Res iuridice haud existens quomodo potest esse fraudis causa? Status tunc potest considerare esse violatam legem cum illi, qui ritu sacro coniuncti omittunt postea actum civilem, et poterit eos punire denegatione effectuum civilium, sed non poterit praecedentiam matrimonii civilis imponere.

[1] « Si comprendono da tutti le tristissime conseguenze che derivano da ciò, specialmente alla povera donna, la quale può essere, anzi spesso è la vittima di tale inadempimento. Essa sarà civilmente obbligata a convivere con un uomo che la coscienza le fa vedere come il suo seduttore, e la legge non solo non viene in suo soccorso, ma la costringe a reputarsi legittima moglie contro i dettami più intimi e più forti della coscienza ». Iannuzzi Stefano, *Studi giuridici,* Milano, 1900, p. 237 ss.; Giobbio, op. cit., n. 421 ss.



At, instant, praecedentia matrimonii civilis necessaria est ad impediendam in multis casibus instaurationem vitae coniugalis quae coram Statu caret legalitate, cum detrimento prolis inde orturae, cuius iura legitimitatis non agnoscuntur. Haec ratio autem, ut evidens est, evincit dumtaxat necessitatem et obligatorietatem inscriptionis civilis matrimoniorum coram Ecclesia initorum.[1]

Quod si legislatio civilis diversa sit et prohibeat quod Ecclesia permittit, hoc pendet ex illegitimitate legislationis civilis quae conformanda esset legislationi ecclesiasticae ne talia incommoda sequantur. At dicunt: dari potest casus in quo quis, celebrato matrimonio religioso, coniugem derelinquat et aliam personam seducat ut secum contrahat civiliter. Haec difficultas confirmat rationabilitatem oppositionis Ecclesiae contra institutionem matrimonii civilis: unum tantum debet esse matrimonium, *verum,* idest religiosum. Sed etiam si Status non posset practice recedere a praxi matrimonii civilis, tamen, ex illa difficultate tantum hoc sequeretur: quod Status tueri deberet iura partis innocentis et impedire quominus seductor aliud matrimonium civiliter ineat.

**238. De impedimentis deque causis matrimonialibus.** – Ex dictis de iure exclusivo Ecclesiae circa substantiam matrimonii et effectus inseparabiles, patet: 1° Statum non posse constituere impedimenta cuiusvis generis circa christianorum matrimonia, aut a legitimis impedimentis dispensare; 2° causas matrimoniales omnes quae attingunt tum vinculum ipsum, tum effectus omnes inseparabiles, ad tribunal ecclesiasticum exclusive pertinere.

I. Quoad primum punctum nullum dubium esse potest, attenta elevatione matrimonialis contractus ad dignitatem sacramenti. Quod autem regalistae dixerunt esse videlicet civitati ius consti-

[1] Ceterum omnino exaggerant adversarii affirmantes frequentes esse casus in quibus actus civilis negligatur a fidelibus; insuper semper est habendum prae oculis incommoda illa sequi non celebrationem matrimonii religiosi, sed novam introductionem sic dicti matrimonii civilis.



http://www.obrascatolicas.com

tuendi impedimenta, saltem in communi cum Ecclesia exercendum, nititur falso supposito separabilitatis contractus a sacramento.[1]

Solet quidem adduci in contrarium ius principis procurandi prosperitatem temporalem civium, quae multum pendet ex ordinata vitae coniugalis instauratione; exinde tamen consequitur tantum ius ad illa media quae non excedunt capacitatem potestatis temporalis; illegitime ergo deduceretur etiam competentia civilium potestatum quidquam statuendi de valida et licita susceptione *sacramenti*, secus ex eadem ratione civitas fere totum regimen rerum religiosarum sibi vindicare posset.

Animadvertendum tamen est in praxi honestas (idest iuri naturali et divino positivo non contrarias) prohibitiones et praescriptiones civiles esse servandas; non quidem vi legum civilium, quae de se invalidae sunt, sed propter ordinatam legem caritatis avertendi a se et a prole gravia damna; qua in re Ecclesiae instructiones sequendae sunt et episcoporum dictamina quoad singulas leges civiles.

Est insuper notandum incompetentiam Status versari tantum circa baptizatorum matrimonia; de *infidelium* enim coniugiis nullum dubium est quin valeat potestas saecularis ea honestis normis ordinare et praescriptis suis moderari, tum prohibentibus tum etiam dirimentibus impedimentis;[2] quod tamen, probabilius, iure dumtaxat *devolutivo*, attento scilicet defectu auctoritatis religiosae quae inter infideles rem istam naturaliter sacram regere valeat, Statui adscribi potest.

II. Quoad secundum, idest quoad *causas matrimoniales*, pronum est competentiam iudicialem Ecclesiae cum eiusdem competentia legislativa convenire, tum respectu extensionis, tum respectu exclusivitatis. Igitur omnes causae matrimo-

[1] Exemplo sint argumenta adducta ab OLLIVIER, *L'Eglise et l'Etat au Concile Vatican*, Paris, vol. I, p. 143-145.

[2] Fere ab omnibus canonistis et theologis id admittitur. Cfr. GASPARRI, op. cit., vol. I, p. 146, n. 240 ss.; WERNZ, op. cit., vol. IV, p. I, n. 75, p. 102 ss.; ubi etiam (not. 214) DD. opiniones exponit circa modum explicandi hanc principum facultatem. Quae sane admissa est a Suarez, Bellarmino, Sanchez, S. Alphonso, Schmalzgrüber, Lehmkuhl, Cavagnis, etc. Ceterum sunt acta quaedam S. Sedis quae non relinquunt ambigendi locum (De iis cfr. OTTAVIANI, *Institutiones*, ed. III, Romae, 1948, vol. II, p. 222 ss.



niales baptizatorum, illae videlicet quae quomodocumque attingunt sacramentum tum propter substantiam vinculi, tum propter effectus inseparabiles, ad solos iudices ecclesiasticos pertinent.

Haec veritas, quae evidenter deducitur ex consideratione naturae sacrae matrimonii christianorum, eruitur quoque ex magisterio ecclesiastico et ex perpetua Ecclesiae praxi.

1. *Concilium Tridentinum* definivit: « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit »:[1] *Pius IX* vero damnavit in Syllabo sequentem propositionem: « Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent »;[2] demum in *Codice* iuris canonici, can. 1690, edicitur: « Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant ».

Praxis autem Ecclesiae talis fuit quae plane convenerit cum enunciatis doctrinis, ita quidem ut ad eadem principia sese conformaverint initio vel ipsi protestantes ac regalistae;[3] ipsorum autem Principum talis fuit praxis ut causas suas matrimoniales nonnisi apud Sanctam Sedem agnoverint esse tractatas et tractandas, ut ex pluribus factis historiae ecclesiasticae constat.[4] Quando autem coeptum est violari Ecclesiae ius, Romani Pontifices sategerunt ut in concordatis competentia Ecclesiae dignosceretur, et de cetero ipsis violationibus adversari haud intermiserunt.[5]

Nunc autem ex introductione matrimonii civilis, tamquam ineluctabilis consequentia descendit interventus potestatum laicalium in omnibus causis matrimonialibus christianorum, prout fit in omnibus nationibus ubi viget matrimonium civile.

2. Causae autem matrimoniales, de quibus sola Ecclesia cognoscere valet, sunt omnes illae in quibus controvertitur: 1° de

[1] Sess. XXIV, *De matrim.*, can. 12.

[2] *Syll.*, prop. 74; vid. etiam Enc. *Arcanum* (*Acta Leonis XIII*, vol. II).

[3] Exemplo sint quae scribit VAN ESPEN in op. *Ius ecclesiasticum universum*, Lovanii, 1766, p. III, tit. 2, c. 1, n. 11 sq., p. 37.

[4] Plures casus recenset et illustrat GIOBBIO, op. cit., vol. III nn., 604-627, pp. 521-553.

[5] PIUS IX, Litt. *Ad Apostolicae*, 22 aug. 1851; Alloc. *Acerbissimum*, 27 sept. 1852.

http://www.obrascatolicas.com

valore vinculi matrimonialis; 2° de omnibus quae respiciunt effectus necessario connexos cum ipso vinculo matrimoniali; v. g. si lis moveatur de consortio vitae coniugalis dissolvendo quoad thorum et habitationem.[1] His accedunt causae de existentia, valore et effectibus canonicis sponsalium. Causae vero de effectibus matrimonii mere civilibus, si principaliter agantur, pertinent ad civilem magistratum; sed, si incidenter et accessorie, possunt etiam a iudice ecclesiastico ex propria potestate cognosci et definiri.[2]

Hinc patet sententias laicorum tribunalium a quibus praesertim matrimoniorum nullitas declaratur, nullum valorem vimque nullam penes Ecclesiam consequi posse; nihil autem loquimur de impiissimis legibus et iudiciis quibus matrimonia dissolvuntur, licet nulla sit controversia de eorumdem valore.

Sunt enim divortia haec lege civili permissa contra ius divinum, dum etiam fontes existunt gravissimorum malorum pro ipsa societate civili.[3]

Quot vero quantaque ex matrimonii indissolubilitate fluant bona, luculenter exponit Pius XI, Litt. Encycl. *Casti connubii*:[4] « Et primum quidem coniuges in hac firmitate certum habent perennitatis signaculum, quod generosa propriae personae traditio et intima suorum animorum consociatio suapte natura tantopere

[1] Aliquando tamen ex concessione Ecclesiae Status has causas de separatione tractare valet. Cfr. v. g. art. 34 *Conc. cum Italia*, 11 febr. 1929: « Le cause concernenti la nullità del matrimonio e la dispensa dal matrimonio rato e non consumato sono riservate alla competenza dei tribunali e dei dicasteri ecclesiastici... Quanto alle cause di separazione personale, la S. Sede consente che siano giudicate dall'autorità giudiziaria civile ».

[2] Can. 1961; Enc. *Arcanum*, l. c.

[3] Divortium est contra principium dogmaticum de indissolubilitate matrimonii supra enunciatum (n. 231); MATTH., XIX, 4-6; MC., X, 11; LC., XVI, 18; et quidem indissolubilitas est proprietas matrimonii etiam in mero officio naturae unde damnata est prop.: « Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest », *Syll.*, prop. 67 (DENZ., 1767); LEO XIII, Enc. *Arcanum*, At vero; GASPARRI, op. cit., n. 1304, p. 323 ss.; WERNZ, op. cit., vol. IV, p. II, p. 603, nn. 694 ss.; BILLOT, op. cit., p. 406 ss. De effectibus divortii in damnum familiae et societatis cfr. BRANDI, *Il divorzio in Italia*, Roma, 1901; BIAVASCHI, *La concezione filosofica dello Stato moderno*, Milano, 1919, p. 385 ss., n. 147 sq.

[4] *A. A. S.*, vol. XXII, p. 553 sq.



exigit, cum vera caritas finem nesciat.[1] Firmum praeterea adstruitur fidae castitati propugnaculum contra infidelitatis incitamenta, si qua interius exteriusve obiciantur; anxio timori num adversitatis aut senectutis tempore coniux sit recessurus, quivis praecluditur aditus eiusque loco quieta statuitur certitudo. Servandae item utriusque coniugis dignitati ac mutuo auxilio praestando quam aptissime providetur, cum per insolubile vinculum perpetuo perseverans coniuges continenter admoneantur se non caducarum rerum causa, nec cupiditati ut inservirent, sed ut altiora et perpetua bona sibi mutuo procurarent, nuptiale iniisse consortium, quod nisi morte solvi non queat. Liberorum quoque tuitioni et educationi, quae ad multos annos produci debet, optime consulitur, cum gravia et diuturna huius officii onera unitis viribus facilius a parentibus ferantur. Neque minora toti humanae consortioni oriuntur bona. Usu enim cognitum habemus matrimoniorum inconcussam firmitatem uberrimum esse honestae vitae morumque integritatis fontem; hoc autem ordine servato, felicitas salusque rei publicae in tuto positae sunt: nam talis est civitas, quales sunt familiae et homines, ex quibus ea constat, ut corpus ex membris ».

## ARTICULUS II

### De scholis et universitatibus

**239. Monopolium statale scholasticum.** – Tendentia modernae civitatis, quod spectat ad iuventutis institutionem, talis est ut, praetextu boni publici seu necessitatum socialium, tamquam rem propriam et sibi exclusivam addicat scholarum institutionem et regimen: quare, summopere coarctantur iura propria et nativa tum *familiae*, tum *Ecclesiae*.

Profecto hoc exclusivismum esse laesivum iurium parentum, nullum est dubium: scholae enim non sunt nisi institutum quoddam subsidiarium educationis iuventutis; atqui educatio prolis est, primum omnium, nativum et proprium offi-

[1] S. AUGUST., *De nupt. et concup.*, lib. I, c. 10 (M. L., 44, col. 120).

http://www.obrascatolicas.com

cium et ius parentum, ex ipsa indole et fine primario matrimonii: civitati competit functio subsidiaria, subveniendi videlicet insufficientiae familiarum, praesertim quod attinet ad scholas superiores.

Quod vero idem monopolium sit etiam contra iura Ecclesiae patet ex eo quod educatio prolis in genere, et regimen scholarum in specie, sit res natura sua mixta: *vera enim institutio et adaequata iuventutis educatio non potest disiungi ab eiusdem iuventutis christiana conformatione et educatione;* civilis videlicet et moralis religiosaque iuvenum instructio nec dissociabiles nec dissociandae sunt.[1]

Ratione autem religiosae et moralis institutionis exurgit nativum ius Ecclesiae habendi partes suas tum in familiari puerorum educatione, tum in publico magisterio, quod plerumque pueris et adolescentibus in scholis impertitur.

*Quaestio de scholis* igitur ponenda est tum ad tuenda iura familiae, tum etiam ad vindicanda iura Ecclesiae propria et nativa; immo etiam quaestio haec proponi potest: an videlicet cuilibet, qui putet sibi officium esse sive iustitiae sive caritatis, quique vires et facultates sufficiens ad id habeat, ius sit scholas instituendi, quin speciali indigeat mandato civilis potestatis.

Dubium igitur non versatur circa necessitatem interventus publicae auctoritatis titulo repressionis (cum nempe alicuius scholae existentia sit noxia Statui, ut puta quia criminum aut turpitudinum labes eam inficiaverit); neque de interventu reipublicae titulo praeventionis legitimo, cum nempe periculorum vel abusus suspicio habeatur vel quomodocumque iustae normae ad avertenda publica damna dictandae sint. Loquimur de *auctorizatione* quae generaliter accipitur pro collatione facultatis seu pro largitione iuris; auctorizatio autem ista sub pluribus adspectibus concipi potest: *1°* quatenus civitas generali norma quemque impediat docere, nisi prius de uniuscuiusque magistri qualitatibus publice ipsa certior facta fuerit; *2°* quatenus Status nedum idoneitatem docentium velit experiri, sed simul ex idoneis et probatis publice magistris, illis tantummodo facultatem tribuat docendi quos ad id muneris ipse instituerit: *3°* quatenus magisterium illorum tantum, quibus facultatem dederit, habeatur ad effectus civiles producendos aptum et qualificatum; ita ut discipulos dumtaxat ab his magistris probatos illum instructionis gradum consecutos fuisse Status publice agnoscat, ad quem per hos magistros probati sunt.

[1] Pii XI, Litt. Enc. *Divini illius Magistri*, 31 dec. 1929 (*A. A. S.*, vol. XXII, p. 51).



**240. Assertores monopolii statalis, ipsorumque argumenta.** – Generatim statolatrae sunt primi vindices exclusivi iuris civitatum, sicut in pluribus aliis vitae oeconomicae-socialis negotiis, ita et in gravissimo hoc negotio educationis iuventutis; his accedunt plurimi alii qui in hac quaestione non aliud prae oculis habent quam laicismi dogmata et publici atheismi profectum. *Socialistae, liberales* rigidiores, *communistae, massones, totalitarismi* fautores, in hac re mirifice conveniunt et veluti unam aciem contra individui, familiae et Ecclesiae iura constituunt.

*Rationes* vero quibus plerumque latentem intentionem celant sunt sequentes: — 1° periculum praecavendum, ne hac in re, quae maxime reipublicae interest, cives decipiantur malitia aut ignorantia ineptorum magistrorum; — 2° munus docendi de se, seu natura sua, publicum esse considerandum; equidem professio haec plurimum influit in condicionem socialem civium, imo ex schola pendet utrum societas seu multitudo plebis habeatur rectis vel pravis principiis imbuta: quae res maxime ad Statum pertinet.

Concludunt igitur civitatem ius habere proprium et exclusivum (sicuti in omnibus quae *ad bonum communitatis* pertinent) ut ex illis viris idoneis quos ipsa probaverit, magistros qualificatos constituat, quorum dumtaxat magisterium publicos possit effectus gignere.

http://www.obrascatolicas.com

1. In hanc sententiam igitur primum convenire solent *socialistae* et *communistae,* qui, ut merito notat Cavagnis,[1] more spartano et pagano, individuum eiusque libertatem immolant Statui et filios, non parentum et multo minus Ecclesiae, sed Status esse docent; igitur multi eorum nullum ius nullumque officium patris erga filios cognoscendum iam praedicunt pro futura conformatione socialistica civitatis, in qua quidem civitate filii parentibus auferendi erunt, ut omnes aequali modo alantur et educentur cura Status, impensis publicis, iisdemque criteriis.[2]

2. Etiam *absolutismus liberalis,* cuius primae radices sunt in absolutismo pseudo-philosophiae positivisticae Fichte (quocum consentiunt Schelling et Hegel), denegat nativum ius parentum quoad filios, qui primum omnium ad humanitatem, ad Statum videlicet, pertinere dicuntur; Status igitur, ad instar patris civium, per ministrum publicae instructionis, qui eum repraesentat, solus ius habet circa magisterium et publicam civium institutionem.

3. Alii demum, ut ex. gr. *totalitarii* in regimine nationalsocialistico Germaniae (n. 163), ducuntur motivis vel nationalisticis, ut videlicet systema educationis sit pro omnibus conforme placitis politici regiminis;[3] vel etiam non alia de causa iura haec statui abso-

[1] CAVAGNIS, *Institutiones iuris publici ecclesiastici,* Romae, 1906, vol. III, p. 55, n. 102.

[2] Revolutionis gallicae placita, prout exponebantur a Danton, Robespierre, etc. (cfr. TAINE, *Les origines de la France contemporaine,* Paris, 1885, vol. III, pp. 69-378) huc tendebant, ut solius *patriae* esse ius educandi pueros diceretur, ut sibi formaret *cives* (non « *messieurs* ») rei publicae et novo rerum ordini bene addictos. Socialista belga Vanderwelde, germanus Bebel, gallicus Malon (*Le socialisme intégral*) vere duris verbis parentum iura et officia denegaverunt circa filiorum educationem. Practice hoc systema hodie instauratum est in U. R. S. S. et in Mexicana Republica, Cfr. supra, n. 164.

[3] « Non appena il fanciullo nasce, lo Stato interviene per arrogarsene il dominio. Il fanciullo non appartiene ai genitori ma alla razza, e quindi allo Stato che ne incarna gli istinti. L'azione dello Stato, pertanto, si deve estendere "fino alla nascita del piccolo rampollo della nazione e della razza", del quale lo Stato deve fare "con l'educazione un prezioso elemento della ulteriore propagazione della stirpe". Conseguentemente una sola scuola ha il diritto all'esistenza, quella dello Stato. Le scuole private e quelle religiose, secondo l'espresso postulato del programma dell'Associazione hitleriana degli insegnanti, devono essere soppresse e interdette ». A. MESSINEO, *La concezione dello Stato nel III Reich,* in *Civiltà Cattolica,* quad. 2014 (a. 1934), pp. 354 et 358. Plura hac de re principia affirmata fuerunt in opere HITLER, *Mein Kampf,* München, 1933.



lute vindicant, quam ut sese expediant a metu effectuum qui sequerentur in favorem religionis, si libera facultas docendi catholicis daretur (sic, v. gr. franco murarii Galliae). Contra hos omnes vindicata sunt iura parentum et Ecclesiae.

**241. Ius parentum et civium.** – Principium, unde proficiscuntur adversarii, supponit omnem rationem educationis et instructionis esse functionem quandam mere publicam, exclusive statalem. Contra, facile evincitur *ius primum et nativum docendi et curandi aptam filiorumfamilias institutionem esse agnoscendum parentibus.*

Ipsa enim rerum natura nos ordinat primo et immediate ut simus in societate familiari, ab ea et in ea primum omnium desumentes ea quae nobis proderunt tum ad vitae physicae conservationem, tum ad evolutionem mentis, et ad conformationem cordis et animae sanis principiis moralibus et religiosis. Parentes ergo, cum filiis dent vitam, prima habent officia et iura circa regimen familiae, generationem et ipsum institutum matrimoniale naturaliter consequentia.[1] Quae quidem iura, cum simul constituant officia personalia, inalienabilia sunt; simulque, cum ex iure divino quo regitur matrimonium descendant, nulla auctoritate humana auferri possunt.[2] Cum

[1] Quare BIAVASCHI, *La concezione filosofica dello Stato moderno,* 1919, p. 398 ss. C. I. C., hoc ius praesentat praesertim sub aspectu obligationis, cum sit simul *ius* et *officium* (cfr. can. 1013).

[2] S. TH., II, II, q. X, a. 12: « Filius enim naturaliter est aliquid patris...; ita de iure naturali est quod filius, antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris. Unde contra iustitiam naturalem esset si puer, antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus ». Eadem fere LEONIS XIII Litt Enc. *Rerum novarum,* 15 maii 1891: « Patria potestas est eiusmodi, ut nec extingui, neque absorberi a republica possit, quia idem et commune habet cum ipsa hominum vita principium ». Iuvat heic referre celebre responsum Supremi Tribunalis Americae Septentrionalis: « The fundamental theory

http://www.obrascatolicas.com

hoc iure autem optime conciliatur tum exercitium sacri magisterii quod Ecclesia, ut custos atque magistra fidei et morum, explere debet in salutem animarum, tum etiam exercitium vigilantiae, pro bono publico, et functio integrativa ad quam societas civilis ordinatur, eo ipso quod eadem ad supplendam familiarum insufficientiam iure naturae constituatur.[1]

Equidem non omnes per se possunt aut valent apte filiorum familias institutioni consulere; nihil autem prohibet quominus parentes in praxi ab aliis adiuventur in exercendo hoc suo munere. Iamvero divitibus dumtaxat, principibus aut nobilibus possibilitas est vocandi in domum suam magistros; quare eorum filii poterunt in domestica seu paterna schola, sub immediata auctoritate parentum, per horum delegatos seu repraesentantes doceri. Sed pauperibus id unum restat, uti auxilio aliorum gratuito, dummodo salvum semper maneat parentum ius exigendi ut talis institutio et educatio filiis suis procuretur, quae conformis sit parentum iustis placitis, quod spectat ad religionem et mores secundum dictamina Ecclesiae.

Certe quidem Status, pro suo officio ad quod naturaliter orta est primum societas, omni ope et contentione studebit insufficientiam familiarum hac in re quoque, sicut in ceteris, supplere; at vero, eo ipso quod functio haec est integrativa et suppletiva, nullimode excludit interventum aliorum, qui sive individualiter, sive collatis simul viribus, sive etiam de mandato Ecclesiae, huic sanctissimo operi vacare intendunt, quae agendi ratio familiis prodest, Statum quoque adiuvat, eum exonerando a pluribus expensis, societati in genere consulit per diffusionem sanae doctrinae, et demum, si recto fine suscipiatur, ad ultimam hominis de-

---

of liberty upon which all governments in this union repose, excludes any general power of the State to standardize its children by forcing them to accept instruction from public teachers only. The child is not the mere creature of the State; those who nurture him and direct his destiny have the right coupled with the high duty, to recognize, and prepare him for additional duties ». U. S. Supreme Court Decision in the Oregon School Cases, June 1, 1925.

[1] Cfr. Litt. Enc. *Divini illius Magistri*, l. c., p. 63.



stinationem ducit: merito enim divinorum divinissimum opus dictum est adolescentium fingere mores.

Concludimus ergo: 1° ius proprium et nativum educandi filios-familias est, ex fine primario matrimonii, parentum (can. 1014 § 1); — 2° in ordine tamen ad instructionem moralem et religiosam, ius istud parentum est subordinatum, quia, vi divini mandati, quod Apostoli eorumque successores susceperunt, Ecclesiae primum competit: igitur ab ipsa parentes, quoad hanc religiosam institutionem, omnino pendent;[1] — 3° ubi demum parentes impares viribus existunt ad idoneam filiorum institutionem curandam, iidem uti possunt aliorum auxilio, dummodo id aptis mediis fiat et absque ullo boni socialis discrimine: ceterum, in hac functione auxiliatrice et suppletiva *maximum locum instituto suo obtinent Status et Ecclesia.*

**242. Ius Ecclesiae.** – De iure Ecclesiae erigendi scholas tum primarias tum secundarias, itemque universitates pro studiis altioribus, non est ambigendum. Canon 1375 haec habet: *Ecclesiae est ius scholas cuiusvis disciplinae, non solum elementarias, sed etiam medias et superiores condendi.*

Primo quidem hoc ad eam pertinet ex titulo divinae missionis huius societatis iuridicae perfectae, quia scholae tum *directe*[2] tum *indirecte* spectant ad eius finem quoque, ideoque in eis Ecclesia sibi vindicat iura propria, sicuti in omnibus mediis quae sibi sunt necessaria et utilia: scholae nedum ad profanam seu civilem iuvenum institutionem pertinent, sed

---

[1] In parentibus, quoad instructionem religiosam, adest originarie *officium* eam curandi; in Ecclesia vero *ius*. Cfr. Monti, *La libertà della scuola*, Milano, 1928, p. 16 (cfr. cc. 1113 et 1372).

[2] « Prima iuris huiuscemodi ratio in suprema magisterii auctoritate ac munere nititur, quod divinus Ecclesiae Conditor eidem tradidit hisce verbis: "Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi"». Matth., XXVIII, 10, 20. Litt. Enc. *Divini illius Magistri*, 31 dec. 1929 (*A. A. S.*, vol. XXII, p. 53).

http://www.obrascatolicas.com

natura sua ad religiosam quoque et moralem institutionem; igitur ad duplicem finem *directe* ordinantur et tamquam *res mixtae,* natura sua, habendae sunt.

Falso igitur statolatrae scholas dicunt unice ordinem civilem spectare, ipsasque nullimode cum fine religioso Ecclesiae connecti.

Sunt enim scholae medium semper *utile,* quandoque autem *necessarium* ad tuendam salutem animarum.

*a*) Sunt *semper medium utile*: erectione enim scholarum Ecclesia melius consulit institutioni iuventutis in doctrina christiana et in bonis moribus. Atque ita Ecclesia per easdem finem suum directe prosequitur.

Plerique enim pueri et adolescentes, qui ad instructiones paroeciales mere catecheticas non mitterentur, tamen intuitu rectae institutionis in scholis Ecclesiae inscribuntur, in quibus consequenter adaequatam educationem recipiunt, scilicet non mere profanam sed, ut decet, simul etiam religiosam et moralem. [1]

*b*) Sunt *quandoque medium necessarium.* Hoc fieri potest: 1° cum Status principiis laicis publicas regit scholas, cum nempe adoptatur ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines dumtaxat vel saltem

[1] Quaestio fieri posset de illis scholis altioribus quae directe spectant ad disciplinas artesque profanas perficiendas: v. gr. mathesim, res industriales, etc. Sed notetur: *1.* omnes disciplinas posse ita doceri ut simul mentem illustrent quoad veritates aeternas, aut, e contrario, animum ab eis avertant; v. gr. si geologia, zoologia, etc. explicentur mente evolutionistica; *2.* ipsas disciplinas ordinari ad alias quae strictiori vinculo colligantur cum dogmate et morum doctrina *3.* quaelibet sit schola quam adolescentes celebrent, in ea pari gradu cum instructione debere curari religiosam institutionem, methodo proportionata ad capacitatem discipulorum. Unde Ecclesia sibi vindicat ius erigendi scholas *cuiusvis disciplinae* (can. 1375). Prae oculis habentur antiqua studia et *Universitates,* etiam artium et disciplinarum profanarum, quae ab Ecclesia erigebantur et maxima cura regebantur: in eis sacellum non deerat, neque illud oblivioni dabatur, quod principium est omnis veri magisterii, esse videlicet initium sapientiae timorem Domini. Hinc principium scholae laicae damnatum est universim, quoad omnes species disciplinarum etiam naturalium. Cfr. *Syll.* prop. 48 (Denz., n. 1748).



primario spectet; [1] 2° cum non obstante confessionalitate scholarum civitatis, pro variis rerum ac locorum adiunctis eaedem periculo sunt animis puerorum.

Hoc fit v. g. cum, ob impotentiam civitatis plures scholas sustentandi, constituuntur scholae mixtae. [2] Item periculis oppletae esse possunt scholae in quibus aperta sit via docendae magistris falsae vel nullius religionis. [3]

In his casibus ergo catholici, ne alterutrum eligere cogantur, videlicet aut carere apta institutione civili, aut adire tales scholas, indigent suis peculiaribus institutis; et Ecclesia negligere nequit, pro necessitate sui ipsius finis, hoc medium connexum cum animarum salute, praesertim ubi fideles privatim huiusmodi operam aggredi non valeant.

II. Sed praeterea Ecclesia, etiam praescindendo ab eius divina missione, et inspecto mero *iure naturali, saltem* eamdem facultatem sibi vindicare potest ac illam quam habent honestae omnes consociationes et etiam individui, suscipiendi, ex mandato parentum vel quomodocumque ipsis consentientibus, curam educationis puerorum ad supplendam familiarum insufficientiam.

III. Demum est Ecclesiae titulus quidam peculiaris *historicus,* quo merito ipsa speciali praerogativa in possessione iuris prae ceteris existimari potest praedita. Non solum enim Ecclesia suas semper habuit scholas, sed ipsi debetur plerumque scholarum popularium origo.

[1] *Syll.,* prop. 48. Cfr. etiam Pii IX, Ep. *Quum non sine* ad archiepiscopum Friburgensem in Brisgovia, 14 iul. 1864 (v. *Acta Pii IX,* vol. III, p. 1).

[2] Mixtae scholae dici possunt tum quoad sexum alumnorum, tum quoad eorumdem fidem religiosam. Praesertim sub hoc aspectu scholae mixtae periculo sunt tironibus, ideoque omnino vetantur catholici eas frequentare. «Ecclesia... semper scholas quas appellant *mixtas* vel *neutras,* aperte damnavit, monitis etiam atque etiam patribusfamilias, ut in re tanti momenti animum attenderent ad cavendum» Litt. Enc. *Nobilissima gallorum gens,* 8 febr. 1884 (*Acta Leonis XIII,* vol. IV, p. 14 sq.). Cfr. can. 1374.

[3] Cfr. Leonis XIII, Enc. *Affari vos,* 8 dec. 1897 (*Acta Leonis XIII,* vol. XVII).

http://www.obrascatolicas.com

1° Pueris instituendis sacros ministros qua tales operam navasse, iam Patrum testimoniis constat;[1] media autem aetate, ubi a civili societate scientiarum disciplinae penitus negligebantur, ibi apud scholas paroeciales vel episcopales et intra monasteriorum saepta cultae et servatae manserunt; ubi primum vero necessitas erupit scholarum popularium, quarum nempe aditus pateret gratis operariorum filiis, Ecclesiae sollicitudo reipublicae curam semper adiuvit, quandoque vero omnino praevenit, et ex eius foecunda activitate ortae sunt religiosae familiae, quae ex instituto suo educandae iuventutis finem habent.[2]

2° Meritum autem speciale Ecclesiae est suis scholis praevenire etiam hodie respublicas, civilem cultum afferendo apud barbaros in missionibus, sicut anteactis temporibus.

3° Etiam Universitates Ecclesiam habuerunt institutricem vel propitiam fautricem, ac viris ecclesiasticis suam debent primaevam laudem suumque nomen. Iam saec. X-XI illae scholae, quibus nomen datum est studium, vel studium generale, eo quod undique confluerent auditores ad diversas disciplinas addiscendas, postea vero dictae sunt universitates, quaeque scientiarum divinarum simulque profanarum sacrarium constituebant, plerumque apud monasteria primam sedem suam nactae sunt. Iisdem regulas ac statuta generatim ipsi Romani Pontifices constituebant, qui etiam iugi sollicitudine, collatis privilegiis,

[1] AICHNER, *Compendium iuris ecclesiastici*, Brixinae, 1915, § 146, p. 525 sq.; WERNZ., *Ius Decretalium* (ed. 1908), vol. III, n. 80, p. 69. Vide autem apud MONTI, op. cit., p. 103 ss. plura Conciliorum et Synodorum ad hunc finem praescripta.

[2] Talia sunt instituta religiosa erecta a S. Hieronymo Emiliani (*Somaschae*), a S. Iosepho Calasanctio (*Scholarum piarum*) a S. Angela Merici (*Ursulinarum*) etc., quorum institutorum membra IV votum emittunt de suscipienda puerorum ac adolescentium cura et instructione. Eminet institutum *Fratrum a scholis christianis* a S. Io. B. De La Salle erectum in quo sodales nuncupant votum de impertienda gratuita institutione pauperibus, iuxta methodum excellentissimam a sancto fundatore (qui etiam auctor fuit erigendarum scholarum magistralium et commercialium) descriptam in opusculo *Condotta delle scuole cristiane*. Aureum librum ex quo elucet mirabilis vis educativa et organizativa Ecclesiae quoad scholas edidit G. SCARASCIA, *Le scuole parrocchiali e degli Istituti Religiosi*, Torino, an. 1936.



auxiliis, gratiisque fecerunt ut propensius undique confluentibus auditoribus celebrarentur.[1]

**243. Verus libertatis scholae conceptus.** – Parum esset si Status facultatem agnosceret civibus erigendi scholas, iura autem connexa cum hac facultate denegaret. Vera libertas scholae secumfert: — 1° suppressionem cuiusvis limitationis respectu institutorum quae dici solent *privata*, quoad *agnitionem publicorum effectuum* instructionis in eis impertitae; ut videlicet diplomata et gradus in eis collata eundem valorem habeant eosdemque effectus producant ac diplomata in scholis statalibus concessa; — 2° praeterea vera libertas secumfert quod scholas ab Ecclesia vel a civibus erectas Status nedum permittat aut toleret, sed etiam adiuvet, pecuniariis quoque subsidiis. Debet videlicet civitas distribuere inter scholas publicas et privatas, secundum principia iustitiae et aequitatis, subsidia illa quae proveniunt ab omnibus civibus, non tantum ab iis qui filios suos committunt educandos magistris Status: omnes enim cives indiscriminatim tributa solvunt ex quibus impensae depromuntur pro omnium instructione. Unde obtinenda est applicatio principii *distributionis proportionalis scholasticae* vel, melius, *paritatis oeconomicae scholasticae*.

I. Si Status non agnoscit pari modo publicos effectus educationis impertitae in scholis privatis sicut et in publicis, haec inde sequuntur:

1° Schola Status fit, saltem aequivalenter, omnibus obligatoria: id autem laedit ius nativum parentum, itemque conscientiam catholicorum qui nequeunt probare principia aconfessionalia quibus plerumque reguntur scholae statales.[2]

[1] WERNZ, o.p cit., vol. III, n. 81, p. 74 ss. Cfr. PII XI, Const. *Deus scientiarum Dominus*, 11 maii 1931 (*A. A. S.*, vol. XXIII, p. 243).

[2] Monopolium hoc statale aperte damnat Pius XI his verbis: « Itaque nefas est Civitatem educationis institutionisque causam ita ad se redigere

http://www.obrascatolicas.com

2° Iniuste denegatur efficacia magisterii illorum qui docent in scholis privatis, qui ponuntur in condicione inferiore respectu magistrorum docentium in scholis publicis, dum saltem paria merita et aequales titulos habent.

3° Ipsi discipuli scholarum privatarum, absque ulla ratione, contra principia iustitiae et aequalitatis, ponuntur in condicione valde deteriori quam illi qui, sine parentum sacrificiis et forsan cum minore diligentia, studiis vacant in scholis publicis.

*Sed dicet aliquis*: Status certior esse debet de gradu instructionis eorum qui, post aliquod curriculum scholasticum privatum, scholas superiores Status vel universitates, vel aliquam publicam professionem exercere volunt. — Hac autem super re distinguendum est inter *diplomata*, quae testimonium sunt instructionis habitae in aliqua schola publica vel privata, et *declarationem idoneitatis* ad adeundam aliquam scholam superiorem vel ad exercendam aliquam publicam professionem. Diplomata certe conferentur ab iisdem magistris qui pueros docuerunt: eius enim est testimonium dare de instructione impertita et de discipulorum profectu, qui discipulos docuit. Quod vero spectat ad declarationem idoneitatis pro altioribus scholis vel publicis officiis, hanc Status consequi potest vigilantia, cautionibus, etc.; dummodo in pari condicione ponantur tum ii qui privatas tum ii qui publicas celebrarunt scholas. Ad id institutum est in nonnullis nationibus examen Status, vi cuius omnes tirones, e quacumque schola veniant, antequam admittantur in universitates vel antequam exerceant professionem, a doctoribus universitatis (vel scholae superioris) examini subiiciuntur, nullo facto discrimine inter licentiatos publicos et privatos. Id autem, licet iam sit progressus, non est perfectio libertatis: nam merito catholici eos probant qui omnino exigunt etiam *libertatem professionalem*.[1]

totam, ut familiae, contra christianae conscientiae officia vel contra quam legitime malint, physice aut moraliter ad Civitatis ipsius scholas liberos suos mittere cogantur ». Litt. Enc. *Divini illius Magistri* (*A. A. S.*, vol. XXII, p. 64).

[1] Haec libertas professionalis iam introducta est v. g. in Anglia et America septentrionali. Adduntque sufficientem cautionem, ne decipiatur populus ab imperitis, haberi in experimentata fama et laude scholarum et universitatum apud quas candidati institutionem et probationem receperunt. Cfr. MONTI, *La libertà della scuola*, Milano, 1928, p. 58 ss.



II. *Distributio subsidiorum scholasticorum cum paritate* est identidem quaestio iustitiae. Status, qui unice scholas publicas sustentat, partem civium dumtaxat adiuvat, dum aliam partem (eos videlicet qui filios suos in scholis privatis educant) omni subsidio privat ad quod ius haberent ob tributorum solutionem; tales parentes igitur duplici modo seu bis solvere debent expensas pro filiorum suorum educatione: primo quidem tributa solvendo pro schola publica, dein vero pro schola privata, quam sustentare debent ut educationem suis filiis procurent conformem propriae conscientiae. Est insuper considerandum scholam privatam auxiliandam et fovendam esse a Statu, eo quod per ipsam fructuosa aemulatio instauratur cum schola publica, simulque aerarium publicum gravibus expensis exoneratur.

Igitur talis distributio pecuniae publicae pro scholis impendendae fieri debet quae omnibus et singulis institutis rite probatis auxilium ferat, ea mensura qua in pari condicione omnes scholae ponantur. Hoc systema iam in aliquibus rebuspublicis, in quibus principia libertatis sine sectariis praeventionibus applicantur, maximo cum scholae profectu instauratum est;[1] imo si pacta conventa inspiciantur post primum bellum mundiale inter nationes inita, tales clausulae in eis deprehenduntur in favorem minoritatum constitutae, quae evidenter evincunt principium *paritatis* in subsidiis scholasticis *in ipso iure internationali* locum suum pacifice iam obtinere.[2]

[1] V. gr. in Hollandia, vi legis 1920. *De nieuwe wet op het lager onderwijs* (ed. Tjeenk Willink, Zwolle, 1920) introductum est systema *distributionis proportionalis subsidiorum*: de systemate autem perfecto *paritatis oeconomicae* scholarum, cfr. MONTI, op. cit., pp. 61-65.

[2] Tractatus *de Versailles* qui, in art. 93, praevidet tractatum peculiarem pro Polonia, subsignatus fuit a 27 nationibus; iamvero tractatus polonicus, ex praedicto articulo pendens, haec statuit in art. 9, § 2: « Dans les villes et districts où réside une proportion considérable de ressortissants Polonais appartenants à des minorités ethniques de religion ou de langue, ces minorités se verront assurer *une partie équitable dans le bénéfice et l'affection des sommes* qui pourraient être attribuées sur les fonds publics par le budget de l'Etat, les budgets municipaux ou autres dans un but d'éducation, de religion ou de charité ». Fere iisdem verbis art. 55 tract. *de Neuilly*; art. 68 tract. *de St-Germain*; art. 59 tract. *de Trianon*; art. 147 tract. *de Sèvres*.



http://www.obrascatolicas.com

**244. Iura civitatis propria.** – Ex iuribus quae familiae Ecclesiaeque vindicavimus, dum maximae utilitates in civitatem universam dimanant, nullum damnum veris propriisque reipublicae iuribus obvenire potest, ut apprime notat Pius XI in Litt. Enc. *Divini illius Magistri,* 31 decembris 1929:

1. Nam, civitatis est *insufficientiae familiarum supplere,* praesertim in iis quae desunt ex parentum inertia vel imperitia vel indignitate; dein civitatis est etiam Ecclesiae, familiae, civiumque incepta promovere, eis favendo atque opitulando; insuper educationem ipsam iuventutis respublica promovebit, scholas quoque, praesertim altiores, et instituta propria condendo.

2. Praeterea praecipere civitas potest ac proinde curare ut cives omnes cum civilia et nationalia iura perdiscant, tum scientia, doctrina morum physicisque ludis instructi sint quantum decet atque hisce nostris temporibus commune bonum reapse postulat. [1]

3. Munus insuper civitati competit *vigilandi* ne quid noxium habeatur, sive in scholis privatis seu familiaribus, sive in ceteris institutis educationis, quod rectis et iustis normis urbanitatis, tranquillitatis et quietis socialis, itemque hygienicis regulis quomodocumque officiat.

4. Sed sunt etiam quaedam in quibus civitas nonnulla iura prorsus *sibi reservata* vindicare potest. Nihil enim prohibet quominus ob rectam rei publicae administrationem vel pacem domi forisque defendendi causa, quae quidem omnia, cum ad commune bonum tam sint necessaria, tum peculiarem postulant peritiam praecipuamque apparationem, scholas Civitas instituat quas dixeris praeparatorias ad quaedam sua officia, ad militiam praesertim, dummodo ab Ec-

[1] Litt. Enc. *Divini illius Magistri,* l. c., p. 64.



clesiae et familiae iuribus laedendis, in iis quae ad eas pertinent, se abstineat.

**245. Iura Ecclesiae: I. Quoad scholas publicas, vel privatorum iure erectas.** – Praecipua iura quae Ecclesiae competunt circa scholas quas non ipsa condidit et regit, sunt sequentia: 1° ius *impertiendi instructionem religiosam* in scholis tum primariis tum secundariis, quod secumfert facultatem vel nominandi vel saltem adprobandi catechetas scholasticos seu magistros religionis, necnon determinandi aut approbandi libros, tempus et modum quo pueri catholici in religione sint instituendi. 2° Ius *vigilandi,* ne videlicet quidquam contra fidem vel bonos mores tradatur aut fiat, in ipso quoque magisterio disciplinarum profanarum; id vero secumfert facultatem exigendi ut tum magistri tum libri pravi a scholis penitus removeantur.

1° Quod spectat ad primum ius, evidenter supponimus **illegitimitatem scholae neutrae,** seu laicae, seu aconfessionalis. In schola neutra enim instructio religiosa aut mere facultativa est, aut simpliciter omittitur vel etiam excluditur, aut communi quadam instructione de civilibus moribus suppletur. [1]

**Schola confessionalis,** ad quam catholici filios suos mittere debent, [2] illa sola est in qua adolescentes catholici exclusive admittuntur, magistri quoque catholici sunt, et in qua religio rite

[1] Litt. Enc. *Nobilissima Gallorum,* 8 febr. 1884, ubi etiam scholae confessionales quidem sed *mixtae* reprobantur; cfr. can. 1374; Wernz, *Ius decretalium* (ed. 1908), vol. III, n. 73 ss., p. 62 ss. De schola aconfessionali, v. etiam c. 2319, § 1°, n. 4. Cfr. Litt. Enc. *Divini illius Magistri* (*A. A. S.*, vol. XXII, p. 76).

[2] « Si jamais la conscience était engagée, il faudrait condamner ses enfants à l'ignorance plutôt que de livrer leur âme », Jul. Simon, *L'école,* p. 273.

De exitiali influxu scholae laicae statalis, cfr. Enc. *Affari vos,* 8 dec. 1897 (*Acta Leonis XIII,* vol. XVII); Biavaschi, *La concezione filosofica dello Stato moderno,* Milano, 1919, § 151-152, p. 403 ss. Quoad permissionem ab episcopis dandam, cfr. can. 1374.

http://www.obrascatolicas.com

docetur ab iis quos huic magisterio pares episcopi agnoverint, servatis de cetero reliquis sacrorum canonum praescriptis.

Iamvero munus docendi catholicam doctrinam potest esse *speciale,* vel *cumulativum* cum magisterio ceterarum disciplinarum; si primum, catecheta debet ab auctoritate ecclesiastica nedum adprobari sed etiam mitti seu nominari, nisi aliud specialibus conventionibus caveatur: licet enim a Statu stipendium accipiat, et in scholis Status vel quomodocumque ad Ecclesiam non pertinentibus doceat, tamen munus exercet ad quod exclusive Ecclesia publicum mandatum dare potest; si vero agitur de munere mixto, sufficit Ecclesiae adprobatio, quia tunc habenda est ratio etiam idoneitatis magistri quoad disciplinas profanas, de quibus Status iudicare debet. [1]

2° Sed praeterea Ecclesia ius *vigilandi* habet cum facultate exigendi ut, quae in scholis noxia fiant animarum saluti, sedulo vitentur ac removeantur. Pericula obvenire possunt ex parte librorum, si tales textus scholastici praescribantur in quibus aliquid doceatur quod parum congruat cum fidei ac morum sanctitate; Ecclesia, fidei et morum custos, ius habet adprobandi textus religionis et exigendi ut libri aliarum disciplinarum, si qui sint noxii sub adspectu fidei et morum, ex indice librorum scholasticorum expungantur. [2] In hac re tam aequum est iudicio Ecclesiae deferri prout vel ipsae novissimae Conventiones, non obstantibus principiis quibus solent nunc regi civitates etiam catholicae, opportunas praebent ab Ecclesia expeditas cautiones. [3]

---

[1] Cfr. *Conc. Bavaricum,* an. 1925, art. 5, § 2. Mandatum autem et missio episcopi hodie possunt intelligi iam collata modo generali, per adprobationem qua magistri *idonei* auctoritative declarantur ad docendam christianam doctrinam; unde codex, can. 1381, loquitur solum de adprobatione. Cfr. etiam CAVAGNIS, *Institutiones iuris publici ecclesiastici,* Romae, 1906, vol. III, n. 42 ss., p. 26. In scholis privatis mandatum censetur datum, utique sub vigilantia et adprobatione Ecclesiae, a parentibus qui libere eligunt illam scholam pro filiorum suorum institutione. In scholis publicis vero plus obtinet auctoritas statalis quam paterna. Magni momenti sunt normae statutae in novissimo Concordato Hispanico (a. 1953, art. 27, nn. 1, 2, 3, 4, 7,).

[2] Can. 1381, § 3; nec distinguendum est inter scholas primarias et secundarias, ut evidenter constat. Quoad iura Ecclesiae circa publica gymnasia cfr. AICHNER, op. cit., § 146, *b*), p. 529 ss.

[3] En v. gr. dispositio *Concordati polonici,* anni 1925, art. XIII, § 1:



Periculo esse possunt etiam magistri, si tales nempe instituantur qui aliquid doceant quod religioni aut morum integritati noceat, aut quomodocumque scandalo sint pueris; hinc nedum ut a magisterio religionis removeantur Ecclesia exigere potest, sed et a munere docendi alias quoque disciplinas. Quocirca nemo non videt quantum natura rei exigat ut in huiusmodi negotiis procedendi modus expeditus adhibeatur; qua in re exempla sumi possunt dispositiones concordatariae recentiorum Conventionum. [1]

II. **Quoad Seminaria.** – Cum ad curam pastoralem rite exercendam sacerdotes singulari educatione et praeparatione indigeant, Ecclesiae est ius proprium et exclusivum eos instituendi qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt, ut in disciplinis theologicis necnon in vitae conformatione et educatione ad religionis virtutisque studium apte succrescant. [2] Iamvero ad hunc finem condidit semper Ecclesia sacram palaestram collegiorum in quibus magistri populorum futuri severioribus disciplinae legibus propriisque scientiis instituerentur. Huiusmodi recessus, pro his qui in spem Ecclesiae adolescerent, primum fuerunt loca penes domos episcopales aut cathedrales, necnon monasteria regularium atque deinceps collegia varii generis, usque ad ecclesiastica seminaria iuxta formam Tridentinam erecta.

Quod autem haec instituta nedum iure proprio ab Ecclesia erigantur, sed insuper iure quoque *exclusivo* regantur,

---

« Au cas où l'Ordinaire retirerait à un enseignant l'autorisation qu'il lui aurait donnée, ce dernier sera par là même privé du droit d'enseigner la religion ». *Conc. Hispanicum,* a. 1953, art. 27, n. 2, n. 6, n. 7.

[1] *Conc. Bavaricum,* anni 1925, art. III, § 2; art. V, art. VIII. Quoad antiquiora concordata, cfr. ad modum exempli *Conc. Austr.,* anni 1855, aa. V-VIII (MERCATI, *Raccolta di Concordati,* Roma, 1919, Conv. CII, p. 822 sq.).

[2] Can. 1352; *Conc. Trid.,* sess. XXIII, *de ref.,* c. 18; *Syll.,* prop. 33, 46 (DENZ., nn. 1733, 1746).

http://www.obrascatolicas.com

independenter prorsus a societate civili, patet ex fine ad quem directe et exclusive haec instituta ordinantur. [1]

Hinc in scholis propriis clericorum:

1. Specialis *studiorum* ratio ab Ecclesia iure proprio et independenter constituitur. Nam etiam in inferioribus classibus harum scholarum habentur speciales exigentiae pro adaequata clericorum instructione; etenim, in hac praesertim aetate nostra, lycea et gymnasia publica haud parum aliena sunt ab ea studiorum indole quae apta est clericis praeparandis ad studia theologica perficienda. Quare iniuria exigit civitas ut clerici, ad obeunda munera sacra, studiorum rationem in publicis gymnasiis a republica impositam sequantur. [2]

---

[1] Hoc ius plerumque ab hodiernis civitatibus in Concordatis agnoscitur; v. g. in *Conc. cum Polonia,* art. XIII, 2°, legimus: « Dans tous les diocèses l'Eglise catholique possédera des Séminaires ecclésiastiques en conformité avec le Droit Canon, qu'Elle dirigera et dont Elle nommera les enseignants... ». Similiter *Conc. cum Lithuania,* art. XIII, § 2; et in art. 29 *Conc. cum Italia* legimus: « Le Università, i Seminari maggiori e minori, sia diocesani sia interdiocesani sia regionali, le accademie, i collegi e gli altri istituti cattolici per la formazione e la cultura degli ecclesiastici continueranno a dipendere unicamente dalla Santa Sede, senza alcuna ingerenza delle autorità scolastiche del Regno ». Cfr. etiam *Conc. cum Romania,* art. 16; *cum Borussia,* art. 12, n. 2; *cum Badenia,* art. 9; *cum Germania,* art. 20; *cum Austria,* art. 5. In *Concordato Hispanico,* diei 27 aug. 1954, art. XXX, n. 1 statutum est: « Le Università ecclesiastiche, i Seminari e le altre Istituzioni cattoliche per la formazione e la cultura dei chierici e dei religiosi continueranno a dipendere esclusivamente dall'Autorità ecclesiastica e godranno del riconoscimento e della garanzia dello Stato. Continueranno ad essere in vigore le norme convenute nell'accordo dell'8 dicembre 1946 circa i Seminari e le Università di studi ecclesiastici ».

[2] Can. 1364, 1365, CAVAGNIS, op. cit., vol. III, nn. 79 et 81, p. 42 sq.; WERNZ, op. cit., vol. III, n. 93, p. 87 ss. Specialem curam Ecclesiae in clericorum educatione testantur vetustissimi canones et antiquarum synodarum regulae, quibus, procedentibus saeculis, secutae sunt continuae Episcoporum et conciliorum sollicitudines. Horum permulta collegit in volumen S. Congr. de Sem. (*Enchiridion clericorum,* Typ. Vat. 1938).

Quoad altiores scholas clericales, necnon facultates catholicas haec speciatim notantur in *Conc. cum Austria,* art. 5°: « Tanto l'ordinamento interno quanto il programma degli studi nelle Facoltà cattoliche di teologia mantenute dallo Stato saranno regolati in massima secondo le disposizioni della Costituzione Apostolica *Deus Scientiarum Dominus* del 24 mag-



2. Omnes normae seu *regulae,* quae ad alumnorum admissionem, directionem, atque dimissionem spectant, ab Ecclesia libere statuendae sunt et eius nutu servandae: sunt enim huiusmodi leges veluti media directe attingentia finem spiritualem, unde competentiam societatis temporalis excedunt. Contra, nonnulla gubernia suum esse autumabant etiam constituere aetatem citra quam non deberent adolescentes in seminariis recipi, utpote qui incapaces essent iudicandi de propria vocatione. Verum nemo non videt hac in re normas prudentiales Ecclesiae ipsiusque dumtaxat iudicium, utpote in re exclusive sua, esse attendendum.

3. Tum *regimen disciplinare, tum bonorum administratio* penes auctoritates ecclesiasticas exclusive resident; unde ab iis dumtaxat pendet rectoris aliorumque superiorum atque professorum electio; ad summum id concedit Ecclesia, prout quandoque statuitur in concordatis, ut professores nonnullis qualitatibus a civili regimine expetitis polleant, et ut in determinanda studiorum ratione, nonnulla quae reipublicae intersunt rite constituantur: v. gr. quod alumni patria lingua utantur in nonnullis disciplinis addiscendis. [1]

Quoad hygienem vero aliasque res publicum ordinem respicientes Ecclesia admittit quendam interventum magistratuum civilium, salva tamen immunitate locali et personali.

---

gio 1931 e di qualsiasi altra prescrizione ecclesiastica ulteriore ». De servanda Const. Apost. *Deus Scientiarum Dominus* cavent etiam tum art. 9 *Conc. cum Badenia,* tum Prot. fin. *Conc. cum Germania* (ad art. 19). *Ordinationes* a S. C. de Semin. die 12 iun. 1931 datae ad praefatam Constitutionem rite exequendam habentur in *A. A. S.* simul cum ipsa Constitutione (vol. XXIII, a. 1931, p. 245 ss., 263 ss.).

[1] Cfr. *Conc. cum Bavaria,* art. 13 et can. 1364, n. 3; *Conc. cum Romania,* art. XVI, § 4. Conventio pro Seminariis in Hispania, diei 8 dec. 1946, art. 6.

http://www.obrascatolicas.com

# TITULUS VI

## ABUSUS PRAECIPUI CONTRA ECCLESIAE IURA ET LIBERTATEM

### ARTICULUS I

### Regium placitum

**246. Notio regii placiti.** – Regalistae veteres et statolatrae recentiores supremis reipublicae rectoribus ius vindicant, tamquam proprium civilis potestatis, « *submittendi nonnulla acta religiosae potestatis, sive pontificiae sive episcopalis, inspectioni et adprobationi civili antequam promulgari et exequi valeant* ».

Permissionem istam ab auctoritate civili eiusmodi actis impertiendam pluribus vocarunt nominibus, qualia sunt *regium placitum,* vel simpliciter *placet, exequatur,*[1] vel *regium pareatur,* etc. Profecto videretur anachronisticum agere hodie de *regio placet,* cum fere disparuerit a legislationibus civilibus, ob principia laicismi. Verum, disparuit quidem nomen, non autem res: enim passim videre est in legibus civilibus quantis laqueis quantisque cautionibus subiiciantur, praesertim in Statu auctoritario, acta plurima ecclesiastici regiminis, quorum libera et plena executio saepe praepeditur.

Omnem modum in asserendo iure placitationis excessit iansenista belga Van Espen[2] qui, in opere *Ius ecclesiasticum universum,*[3] hanc exhibebat asserti iuris regii notionem: « Est ius

[1] *Placet* et *exequatur* re eundem abusum denotant; nomina differentia adhibentur prout assensus civilis tribuitur actibus episcopalibus vel actibus pontificiis.

[2] Censuris innodatus decessit a. 1728.

[3] P. II, tit. 24, c. 6; cfr. etiam eius opusculum *De promulgatione leg. eccl.* (tom. IX).



placiti facultas quam civilis auctoritas impertitur bullis ac brevibus pontificiis ceterisque omnibus auctoritatis ecclesiasticae actis ut vim in sua ditione habeant ». Ratio autem praecipua adscribendi hanc facultatem principibus haec ab eo asserebatur: esse videlicet facultatem hanc « ius defensionis adversus Ecclesiae molimina naturaliter insitum auctoritati politicae, cuius virtute declarat nullam habere vim bullas, brevia pontificum atque aliud quodcumque actum ecclesiasticae auctoritatis, quibus facultas illa non fuerit impertita ».

Hoc *ius cavendi* est ratio cur ab hodiernis quoque iurisdictionalistis reipublicae vindicetur.

Quoad obiecta regio placito subiicienda regalistae affirmabant esse illa dumtaxat quae disciplinam et regimen externum cleri et fidelium respiciunt; licet non defuerint qui placito esse subiiciendas assererent illas quoque bullas vel acta mere doctrinalia ob quarum promulgationem timenda essent dissidia et sociales commotiones. Hinc Van Espen: « Placitum Regium nequaquam spectat ipsum Fidei assensum praestandum Dogmati, de quo fidelibus sufficienter constat esse divinitus revelatum; sed dumtaxat externum illud, quod consistit in ipsa Dogmatis externa propositione, publicatione et executione ».[1]

At vero facile probatur assertum reipublicae ius nullimode existere: primo, quia fundatur falso praesupposito *iuris cavendi, iuris circa sacra, iuris acquisiti* etc.; secundo, quia contrarium est divinae constitutioni Ecclesiae tamquam societatis perfectae, ideoque libertatem, qua ipsa a Christo donata est, itemque conscientiam catholicorum laedit; tertio, quia abusus iste aperte reprobatus est et condemnatus infallibili Ecclesiae magisterio tamquam absurdum et impium commentum. De singulis his argumentis seorsim agendum.

**247. I. Usus regii placiti caret omni iuridico fundamento.** – Equidem rationes quae adducuntur, *iuris cavendi* et *iu-*

[1] Tomus IX, *De promulgatione leg. eccl.*, p. 5, c. 2, § 1.

http://www.obrascatolicas.com

*ris circa sacra,* sunt vere absurda iuridica et historica, ut iam abunde demonstratum est, ubi de systemate regalismi (v. nn. 199 ss.). Quod vero dicunt esse ius placiti legitime *acquisitum,* rem asserunt plane contrariam historicae origini huius abusus; nam vicissitudines historicae placiti [1] ostendunt ipsum introductum fuisse per aequivocationes et praepotentias principum, semperque ut abusum reprobandum habitum fuisse.

**II. Usus regii placiti laedit Ecclesiae libertatem et catholicorum conscientiam.** – Est enim illegitima intrusio auctoritatis laicalis in rebus, quae directe ordinem sacrum respiciunt, circa quae Ecclesia, tamquam societas perfecta, iure pollet pleno, exclusivo et prorsus independente (n. 201). Enimvero, si ecclesiasticae potestatis acta, ad plenam suam efficaciam exercendam, regio assensu indigerent, actum esset de Ecclesiae independentia. Praeterea abusus iste de se eo tendit ut ea, quae animarum directionem spectant, aut implicatis investigationibus retardet aut prorsus impediat. Quod nemo non videt quantum offendat veram conscientiae libertatem.

1. Nullus sane princeps sibi facultatem addiceret suae adprobationi submittendi acta alterius principis in iis quae ad huius competentiam spectant: at vero non minori absurditate id vindicatur principibus respectu Ecclesiae, quae est nedum societas a Statu distincta et perfecta, sed etiam republica superior.

Arguunt quidem ex necessitate cavendi ne ecclesiasticae provisiones, cum fiant circa subditos Status et in territorio reipublicae, quomodocumque detrimento sint civitatis bono. Verum haec difficultas supponit Ecclesiam agere in Statu sicut collegium quoddam reipublicae subditum (n. 205, II); sed insuper,

[1] Notas historicas quoad originem et evolutionem regii placiti, vide apud nostras *Institutiones,* ed. III, Romae, 1948, vol. II, n. 353, pp. 253 ss.



attento *mero iure naturali,* principia praeventionis exigunt ut restrictiones libertatis agendi iustificentur ex probabili damno secuturo, non vero ex mera possibilitate quod actus alicuius civis nocere possit reipublicae. Secus non solum auctoritatis ecclesiasticae acta sed omnium civium chartae rimandae essent, omnium collegiorum acta placito essent supponenda et systema inquisitivum in honestissimum quemque virum urgendum esset. Solum autem actis Ecclesiae ista placiti exigentia applicatur, quasi ab ea sicut ab hostibus reipublicae, vel a delinquentibus civitatum perturbatoribus praeventivis normis cavendum sit. Imo aliquid amplius contra Ecclesiam statuitur: non solum enim speciales normae *repressivae conduntur* ad puniendos abusus in actu sacri ministerii commissos, sed etiam reputatur necessaria regii placiti *praeventiva* applicatio.

2. Sed insuper notavimus regium placet, propter difficultates quae ex eo oriuntur in actuatione provisionum ecclesiasticarum, saepissime in animarum damnum cedere et in catholicorum conscientiae offensionem. Odiosis enim inquisitionibus peragendis et actibus officialibus perficiendis tempus teritur et impeditur quominus praesul aut parochus, statim ac a competente auctoritate ecclesiastica nominatus est, officio suo sese libere addicat, cum plerumque animarum salus requirat ut sollicite canonica beneficii possessio perficiatur.

**III. Usus regii placiti pluries a RR. PP. reprobatus est.** – Iam a suis exordiis abusus iste damnatus fuit a Martino V; postmodum vero, prout occasio dabatur novos principum conatus novasque eorundem praepotentias retundendi, invicte restiterunt Romani Pontifices, pluries editis Constitutionibus, [1] usque dum Concilium oecumenicum Vaticanum suam quoque addidit Regii Placiti reprobationem, his gravibus verbis: « Damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc Supremi Capitis cum pastoribus et gregibus communi-

[1] Non minus quam 21 pontificias constitutiones enumeravit Cavagnis (*Instit. iur. publ. eccl.,* Romae, 1906, vol. II, p. 250), datis titulis et Pontificum nominibus, ad Regium placitum reprobandum editas; quibus accedunt plurimae allocutiones.

http://www.obrascatolicas.com

cationem.. reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur ». [1]

A Pio IX autem reprobatae sunt sequentes propositiones in Syllabum relatae: « Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu ». – « Episcopis sine gubernii venía fas non est vel ipsas literas apostolicas promulgare ». [2]

## Articulus II

### Appellatio tamquam ab abusu

**248. Notio.** – Appellatio tamquam ab abusu est *recursus ad auctoritatem civilem tamquam ab abusu auctoritatis ecclesiasticae, sive in causis iudicialiter dirimendis sive in provisionibus ordinis administrativi.*

Est igitur in ea conceptus appellationis tum iudicialis tum extra-iudicialis; distinguitur autem appellatio ab abusu ab appellatione simplici, quia haec refertur ad meritum quaestionís seu etiam provisionis, ut de eo superior ad quem provocatur decernat, illa vero refertur tantum ad ordinem vel solemnitates iudiciorum aut ad normas canonicas formam recti regiminis determinantes, si neglectae aut violatae fuerint. [3]

[1] Const. dogm. *Pastor aeternus*, cap. 3 (Denz., n. 1829).

[2] *Syll.* prop. 20 et 28 (Denz., nn. 1720, 1728). Cfr. eiusdem Pii IX, Litt. *Probe nostis*, 8 maii 1853, ubi doctrinam placiti vocat « putidum impiumque commentum »; item Alloc. *Numquam fore*, 15 decembris 1856 et Alloc. *Luctuosis*, 12 martii 1877, ubi de lege regii placiti declarat « per ipsam laedi divinam Ecclesiae auctoritatem eiusque libertatem violari » (Denz., n. 1847). Vid. etiam *Syll.* prop. 41.

[3] Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. II, p. 263.



Exemplum appellationis *simplicis* habetur in recursu, qui promovetur contra sententiam legaliter quidem latam, sed erroneam, ut corrigatur, vel contra aliquod vetitum Ordinarii quod reputatur non aequum, aut contra privationem beneficii propter inexistentem culpam.

Exemplum appellationis *tamquam ab abusu* habetur in recursu qui interponitur contra sententiam latam a iudice incompetente, vel non servatis iuris solemnitatibus, aut etiam contra provisionem alicuius beneficii, puta quia praetermissus fuit concursus necessario indicendus.

Ad mentem regalistarum, non solum negotia iudicialia sed et quaecumque acta regiminis pastoralis cadunt sub iure appellationis ad civilem potestatem; ubicumque enim censetur aliquid factum vel praeter limites suae potestatis vel praeter naturales et canonicas recti regiminis normas, ibi committitur abusus a quo, inquiunt, princeps defendere debet subditos suos: « Si contra regulas, edicta, constitutiones et placita curiarum supremarum, si contra immunitates et libertates regni, si contra sacra decreta, si contra iurisdictiones regias et temporales aliquid a iudicibus ecclesiasticis fieri vel attentari contigerit, remedium est appellatio quasi ab abusu ». [1]

**249. Appellatio tamquam ab abusu est absurdum iuridicum, Ecclesiae libertatem laedens.** – Sane haec appellatio vere habita est semper ipsa tamquam abusus minime toleratus aut tolerandus. Antiquitus [2] qui recursum habuerunt ad laicalem potestatem fuerunt solummodo haeretici et schismatici; his comparabantur fideles qui exempla eorum sequebantur. Quod vero eadem in se contineat absurditatem iuridicam, patet ex eo quod: 1° pervertit distinctionem utriusque ordinis, civilis videlicet et ecclesiastici. Sicut enim di-

[1] Ita compendiose mentem regalistarum exponit J. Duhamel, in opusc. *Polit. Regia in personas ecclesiasticas*. Vid. etiam Liberatore, *Chiesa e Stato*, Napoli, 1872, p. 280 ss.; De Luise, *De iure publico ecclesiastico*, Neapoli, 1877, p. 150 ss.

[2] Notas historicas circa appellationem ab abusu habes in nostro op. mai. *Institutiones*, ed. III, Romae, 1948, vol. II, n. 358, p. 263 ss.

http://www.obrascatolicas.com

stinctae sunt societates ac distinctae legislationes, ita distinctae esse debent auctoritates quae authentice interpretentur leges sive in earum applicatione iudiciali sive in earum exsecutione via administrativa; 2° praeterea cum de conceptu appellationis sit quod habeatur provocatio *ab inferiore ad superiorem* evidenter ista appellatio tamquam ab abusu supponit Ecclesiae inferioritatem coram Statu: « Iudex autem laicus quoad iudicem ecclesiasticum in re ecclesiastica inferior est, cum uterque iudex, laicus et ecclesiasticus, qua tales, *mediante propria societate perfecta,* cuius sunt partes, inter se comparentur ». [1]

Sicut pro *regio placet,* sic pro *appellatione ab abusu* notandum est hodie res manere, non autem nomen. Si autem legislationes civiles perscrutantur, facile deprehenditur aditum dari fidelibus recursui ad civiles potestates alio criterio quam antea: hodie enim Status intendit protegere subditos a cuiusvis *civis* iniuria, et quidem autumat se posse illos defendere a gravamine lato ex anormali applicatione cuiuslibet normae sive civilis sive religiosae: et sic, dum iure agit interpretando et tuendo normas civiles, incompetenter se immiscet in rebus religiosis, interpretando et iudicando de applicatione legum ecclesiasticarum.

1. Rationes a nobis adductae nullo indigent probationis argumento; prima enim ratio nititur apertissima regula in utroque foro vulgata et adoptata, a solo competente superiore societatis, in qua lex lata est, pendere legis interpretationem aut applicationem auctoritativam, seu exceptionem tum iudicialem tum gubernativam vel ministerialem. Proinde utrum lex quaedam a iudice ecclesiastico inferiore in casu particulari fuerit rite applicata, utrum recte necne iudicatum fuerit, utrum pastores animarum in christianae plebis regimine iure se gesserint, nonnisi superior ecclesiasticus decidere potest, cuius est legem interpretari et de eius applicatione iudicium ferre.

2. Alterius rationis vero evidentiam demonstrat doctrina de

[1] Solieri, *Institutiones iuris ecclesiastici*, I. *De iure publico ecclesiastico*, Romae, 1921.



superioritate indirecta Ecclesiae (n. 206 ss.); quae quidem iuridica relatio omnino subverteretur, si laica potestas praesumeret ad se, tamquam ad *superius tribunal,* res trahere ab ecclesiastica auctoritate cuiuslibet gradus definitas. [1]

3. Ceterum etiam in se considerata, appellatio tamquam ab abusu tolerari non posset, eo quod litis et praepotentiae exercendae ex parte reipublicae continuam praeberet occasionem. Nam abusus certe diceretur a regalistis quaelibet pontificiae constitutionis publicatio contra civiles leges vel ordinationes ab Ecclesia reprobandas, vel sententiae pronunciatio contra factas usurpationes, vel quidquid placitis gubernantium non satisfaceret,

**250. Nihil mirum igitur si Ecclesia nullo non damnavit tempore eos qui ad laicales potestates recursum haberent, auxilium petituri ut quomodocumque sacrae iurisdictionis acta impedirentur.**

*Concilium Antiochenum,* anno 341 celebratum, excommunicationem minatur iis qui ausi fuerint contra sacrorum canonum praescripta a iudice ecclesiastico ad laicalem appellare. [2]

*Bulla Coenae* (art. 13) excommunicationem contra eos statuit, qui frivolam appellationem praetexentes, e gravamine seu exsecutione litterarum apostolicarum gratiae vel iustitiae ad laicalem potestatem recurrunt. Eundem abusum reprobaverunt ac solemniter proscripserunt *Sixtus IV* et *Leo X*; [3] item *Concilium Tridentinum* recursum habentes ad saeculares iudices, eo quod iniuste se damnatos a iudicibus ecclesiasticis existimavissent, pariter damnavit. [4]

[1] Neque posset quis iure obiicere principem civilem non ut superiorem Ecclesiae sed ut *civium defensorem agere.* Cives enim, qua tales, iuribus pollent in civitate, qua fideles in societate ecclesiastica. Igitur sicut de obligationibus fidelium, qua talium, Ecclesia iudicat, non Civitas, ita etiam de iuribus.

[2] In can. 11 et 12, *Si quis a proprio.*

[3] Leo X in conc. cum Francisco II ideo plura concessit, ut Pragmatica sanctio aboleretur quae causa erat et fons multarum appellationum. Cfr. etiam prop. 12 ex erroribus Wicleff, damnatis in Conc. Constant. (Denz., n. 592).

[4] Sess. 25, c. 3 *de reform.*

http://www.obrascatolicas.com

Edita sunt autem alia, et eadem non pauca, a RR. PP. acta ad hunc abusum reprobandum, donec *Pius IX* in Syllabo sequentem propositionem damnavit: « Civili potestati, vel ab infideli imperante exercitae, competit... nedum ius quod vocant Exequatur, sed etiam ius appellationis quam nuncupant ab abusu ».[1] In Codice iuris canonici autem sancita est poena excommunicationis S. Sedi speciali modo reservatae, in eos qui hoc quoque modo ad laicalem potestatem recurrunt (cann. 2333; 2334, 2°).

[1] Prop. 41 (DENZ., 1741). De casibus vero, in quibus licet recursum habere ad brachium saeculare, quia nulla species habetur appellationis ab Ecclesia reprobatae, cfr. CAVAGNIS, op. cit., vol. II, n. 53, pp. 269-271; BIANCHI, *Della potestà della Chiesa*, t. III, lib. 1, c. 1, § 5.

# PARS IV

## PRINCIPIA IURIDICA RELATIONUM CONVENTIONALIUM

### TITULUS I

### NOTIONES GENERALES DE CONCORDATIS

#### ARTICULUS UNICUS

#### Concordatorum notio, causae et finis

**251. Definitio.** – *Concordata,* definiri possunt:

« *Conventiones inter S. Sedem et civitatum moderatores supremos initae, quibus Reipublicae officia et privilegia Ecclesiaeque iura circa determinatas res, in bonum utriusque societatis definiuntur et pactorum sollemnitatibus firmantur* ».

Ex data definitione eruitur:

1° Partes contrahentes in concordatis esse tantummodo utriusque societatis, Ecclesiae videlicet et Status, supremos moderatores;

2° Concordatorum obiectum esse ex una parte privilegia quae ab Ecclesia conceduntur, ex alia vero obligationes quae agnoscuntur vel ex novo suscipiuntur a Statu;

3° Finem concordatorum esse pacem et concordiam utriusque societatis, seu amicitiam fovendam, lites vitandas, ordinemque tum religiosum tum etiam civilem provehendum in bonum subditorum sive Ecclesiae sive Status;

4° Vinculum concordatarium sollemnitatibus pactorum esse cohonestatum.



http://www.obrascatolicas.com

Verum de singulis his punctis specialis sermo erit habendus in sequentibus articulis.

**252. Concordatorum nomina et indoles.** – Ad concordata designanda haud raro alia quoque nomina adhibentur quorum unumquodque, speciali sub ratione, indolem describit Forum actorum, videlicet: *conventiones, tractatus, privilegia, concordiae, pacta, modus vivendi etc.* At vero, praeprimis notandum est non posse plenam atque adaequatam significationem quorumdam verborum, prout in iure internationali sonant, applicari concordatis: cum haec sint, tum ratione unius partis contrahentis, tum etiam ratione materiae, singularis plane speciei conventiones. Attamen, servatis utique servandis, cum etiam concordata in genere conventionum internationalium stare possint, multa eis applicantur quae ceteris tractatibus internationalibus conveniunt (n. 284 ss.).

**253. Causae iuridicae.** – Quoniam concordata sunt veri nominis conventiones, patet ipsorum causam immediatam esse in libera consensione seu voluntate utriusque contrahentis, personam agentis respectivae societatis.

Verum, utriusque partis voluntas movetur gravibus motivis quae suaserunt huius medii usum ad promovendam instaurationem relationum conventionalium, quae in multis negotiis, saltem ex parte Ecclesiae, *speciale ius* constituunt plus minusve derogans iuri communi.

Quod si ultima ratio quaeratur, seu causa radicalis, iuris concordatarii, ea certe repetenda est in imminutione vel in pleno collapsu illius obsequii et devotionis qua primitus populi ac nationes, arcto foedere cum Ecclesia coniuncti, religiosa officia plene obibant, Ecclesiamque cum suis iuribus verebantur ac tuebantur. Equidem si talis esset rerumpublicarum ac populorum mens, qualem principia iuris publici ecclesiastici exigunt respectu Ecclesiae,



civitas matrem hanc beneficam non iam pactis, translationibus, angustiisque ligaminum conventionalium coarctaret, sed amplissime iuvaret minimeque a plena libertate agendi impediret, ut exigit subordinationis indirectae condicio in qua invenitur Status.

Atqui *indifferentismus* religiosus, late inter gentes diffusus, hanc normalem iuris Ecclesiae applicationem in consortio sociali plurimum impedit.

Praesertim nostris temporibus, cum politici ob principia laicismi statalis, separationem et laicismum socialem prosequantur, Ecclesia, dum errores damnat, simul opportuna remedia quaerit, inter quae non ultimum locum obtinent haec solemnia acta, paciscendis transigendisque negotiis instituta, ut ex concessionum largitione, animos aliorum alliciat, et aliqualem saltem libertatis et iuris recognitionem publice et sollemniter a Statu obtineat.

Quare concordata nunc stigma referunt relationum imperfectarum quae haberi possunt cum societate laicismi, liberalismi et statolatriae principiis devicta.

**254. Concordata pacis et amicitiae; concordata defensionis.** – Concessionum, quae in concordatis fieri solent, possunt plures simul esse rationes, quarum una vel altera ita praevaleat, ut indolem specialem conventionis quodammodo denotet; triplex autem casus distinctivus utilitatis quae ex concordatis trahitur considerandus est: 1° *post lites,* ad solutionem conflictus bene firmandam seu ad stabiliendam concordiam restitutam, ad animarum conscientiarumque quietem, ex quibus multa utrique societati commoda veniunt (Concordata pacis); 2° *in statu praeexistentis amicitiae,* ut videlicet strictior et suavior coniunctio cum Apostolica Sede efflorescat,[1] praesertim remuneratione meritorum principum (Concordata amicitiae); 3° *imminente discidio* aut seiunctione, ut largitionibus alliciantur animi Eccle-

[1] Moulart, *L'Eglise et l'Etat,* Louvain, 1895, 1895, n. 2; Hammerstein, *De Ecclesia et Statu iuridice consideratis,* p. 210.

http://www.obrascatolicas.com

siaeque iura quam plura serventur; [1] quo in casu, cum plerumque Ecclesia concessiones indulgeat ad praecavenda mala maiora quae ex adversione principum, vel ex indifferentismo et separatismo certe secutura praevidentur, conventiones initae vocari possunt concordata defensionis iurium et libertatis Ecclesiae.

Concordata *amicitiae* ad historiam potius pertinent quam ad praxim hodiernam, quia nostris temporibus non aliis de causis plerumque Ecclesia init conventiones huiusmodi quam ut necessarias cautiones pro sua libertate suorumque iurium exercitio publice et sollemniter a Statu obtineat. [2]

Profecto concordata non sunt possibilia in statu perfectae inimicitiae Reipublicae, sicut non fuerunt possibilia tempore persecutionum primae aetatis christianae, neque postea in iis rerum adiunctis in quibus temporanea Ecclesiae oppressio et oppugnatio passim habita est. Hinc nostra aetate in nonnullis Rebuspublicis, ob nimiam perversitatem persecutorum, ne hoc quidem remedium catholicis suppetit tuendi propria iura; imo quando talis status persecutionis viguit, praeexistentes conventiones dissolutae sunt. [3]

---

[1] Merito igitur LABIS, causam fere unicam concordatorum nostrae aetatis ponit « la nécessité pour le plus faible, qui est l'Eglise, de se relacher d'une partie de ses droits afin de conserver le reste en paix ». LABIS, *Des concordats* (*Revue Cath.*, Louvain, t. XXXIII, 1872, p. 8).

[2] Vix id generis conventionis unum exemplum adduci potest in illo *Conc. cum Austria*, quod anno 1934 Respublica foederalis sub regimine Praesidis Micklas et Magni Cancellarii foederalis Dollfuss, cum Sancta Sede vero sinceroque amicitiae animo inivit, sicut vel ipsa Constitutio eodem anno promulgata, genuino pacis, prosperitatis civilis ac religiosi boni intuitu promulgata fuit. Unde merito cl. Perugini: « Haec autem conventio, sicut nova Constitutio Austriaca, est insigne et praeclarum exemplum illius concordiae et amicitiae, quae inter Ecclesiam et Civitatem intercedere debet, ut utraque societas, consiliis viribusque simul collatis, ad finem suum, in bonum communis populi, expedite efficaciterque contendere possit ». PERUGINI, *Concordata vigentia*, Romae, 1934, p. 363; DI MEGLIO, *De novissimo Austriae regimine*, Civ. Vatic., 1936.

[3] GIOBBIO, *I Concordati*, Roma, 1900, n. 7, p. 6. Sic regimen socialisticum in Hispania per revolutionem anni 1931 introductum, concordatum violavit anni 1851, illudque sicut et alias conventiones a. 1859 et a. 1904 prorsus decidua reddidit, legibus et constitutione promulgatis, quae valde



Tempore *perfecti foederis*, fuerunt quidem possibilia sed non utilia; enim vero plena iuris publici ecclesiastici disciplina toto fere medio aevo asservabatur, leges vero, quae Ecclesiae adversarentur, reiiciebantur. [1]

Hinc Concordata antiqua supponebant vel resipiscentiam reipublicae post lites, vel studium merita repetendi nationum aut dynastiarum. Utrumque autem vix locum obtinet nostris temporibus, attenta tum elatione supernationali statolatrarum, tum etiam alienatione societatum et principum vel praesidum rerumpublicarum a plena reverentia et dilectione erga Ecclesiam et bona spiritualia.

Remanet vero condicio illa *indifferentismi*, quae neque est perfecta lis aut aperta persecutio, neque vera amicitia, sed simplex animi alienatio, quae relinquit possibilitatem paciscendi de negotiis quorum utrimque interest; quae via sane praecludit aditum perfectae separationi quam Ecclesia omnino vitandam censet. [2] Hinc hodie Concordata fere omnia possunt vocari *Concordata defensionis*.

**255. Concordatorum causae historicae.** – I. Concordatorum primum exemplum adduci solet *pactum Callistinum* seu Wormatiense anno 1122 initum post litem de investituris. Cum satis nota sint adiuncta historica quae originem dederunt huic conventioni, clare elucet ex hoc primo exemplo ratio historica quae locum dabat huic concordato pacis.

II. Subsecuta sunt alia concordata pacis quae plerum-

---

erant laesivae iurium et libertatum ecclesiasticarum. Cfr. OTTAVIANI, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, ed. III, 1948, vol. II, n. 416, p. 379 ss. Nunc autem feliciter completa restauratione per regimen nationale a Franco promota initum est Concordatum anni 1953, quod sane inter optimas Conventiones adnumerandum est.

[1] CAVAGNIS, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. I, n. 653, p. 412.

[2] Equidem separationi Ecclesia semper praefert systema concordatarium propter rationes quae sub n. 187 ss. exponuntur. WERNZ, op. cit., vol. I, n. 170, p. 235.

http://www.obrascatolicas.com

que agunt de iisdem fere negotiis ac ea quae in pacto Wormatiensi continentur. [1]

Quaestiones de investituris, de nominationibus sacris, de feudis Ecclesiae, connexae cum variis quaestionibus, quae nedum inter sacerdotium et imperium sed et inter principes ipsos civitatesque agitatae sunt, locum pluries dederunt instrumentis *pacis* inter S. Sedem et laicales potestates.

III. *Concordata Constantiensia* dissidium composuerunt quod tunc Ecclesiam exagitabat quoad reformationes a nonnullis nationibus expetitas; at quidam etiam de his pactis dubitant utrum veri nominis concordatis accensenda sint, cum in eis defectum inveniant ex parte contrahentium, eo quod conventiones illae a Romano Pontifice dumtaxat et praesulibus ecclesiarum particularium processerunt. [2]

IV. Concordata quae inierunt Eugenius IV et Nicolaus V ut commotas Germaniae Ecclesias paci restituerent, principes alliciendo privilegiorum largitionibus circa beneficiorum collationem, subsecutae sunt aliae plurimae conventiones, quarum occasiones historicae multiplices fuerunt, maxime saec. XVIII, cum controversiae inter Ecclesiam et Statum frequentiores factae sunt, et praepotentiae civitatum, praesertim ob principia regalismi, graviores.

[1] Cfr. Mercati, op. cit., nn. IV-XXV, pp. 20-144, ubi quidem referuntur sub diversis formis instrumenta pacis, promissionum, aut privilegiorum utriusque vel unius partis dumtaxat: et de nonnullis dubitari potest an ad specificam notionem concordati, quo modo hodie intelligitur, pertineant necne, praesertim ratione materiae. Wernz, op. cit., n. 165, p. 226. de conventione vero inter Dionysium Lusitaniae regem et Praelatos regni anno 1289 inita (Mercati, op. cit., XIX, p. 94 ss.) vid. infra, n. 257 ss.

[2] Concilium Constantiense triplicem habuit finem: tueri fidem (*causa fidei*), schisma tollere (*causa unionis*), Ecclesiae bonum provehere (*causa reformationis*). Circa hoc ultimum, ubi unanimis fuit patrum consensus, decreta generalia reformationis edita sunt, ubi vero dissensus, provisum est specialibus conventionibus pro variis nationibus (Mercati, op. cit. Conv. XXVI, p. 144 ss.). De his conventionibus, cfr. Hergenröther, *Storia universale della Chiesa*, vol. V, p. 182 sq.; Giobbio, op. cit., p. 9, n. 131.



V. Ex his omnibus concordatis paucissima dumtaxat, saeculo hoc nostro ineunte, vim adhuc habebant; et ipsum gallicum pactum discissum est. Post europaeum vero bellum (1914-1918), nonnullae aliae conventiones adhuc dissolutae sunt, [1] ut desumitur ex declaratione Benedicti XV, in Consistorio 21 novembris 1921 pronunciata. At novis urgentibus circumstantiis, iterum coeptum est, post idem bellum, a rerum publicarum supremis moderatoribus tractari cum Ecclesia, quae, dum benignam sese impertire non desinit omnibus sincere cum ea concordiam quaerentibus, iuxta immutata tamen temporum adiuncta novis condicionibus cum ipsis paciscitur.

In praedicta Allocutione consistoriali Benedictus XV, denunciata nonnullarum Conventionum dissolutione, haec addebat: « Verum si qui Rebuspublicis vel Civitatibus quas diximus praepositi sunt, velint cum Ecclesia pacisci concordiam, *aliis condicionibus quae mutatis temporibus melius congruant,* sciant Apostolicam Sedem... non recusaturam quominus ea de re cum ipsis agat, ut cum aliquot iam agere instituit ». [2] His benevolis Sanctae Sedis dispositionibus iam usi sunt plures civitatum rectores, ita ut iam sequentes, quas ordine temporis recensemus, Nationes Concordatum cum Sancta Sede stipulatae sint, videlicet: Lettonia, Polonia, Bavaria, Gallia, [3] Lithuania, Cecoslovacchia, [4] Lu-

[1] Nunc ex Conventionibus praebellicis hae dumtaxat, quae sequuntur, vim adhuc habent: *Conventio cum Helvetia*, 27 mart. 1828; *Conventio cum Pago Sangallensi*, 7 nov. 1845; *Conc. cum Republica Haitiana*, 28 mart. 1860; tres *Conventiones cum Pago Ticinensi*, 1 sept. 1884, 23 sept. 1884, 16 mart. 1888; alia *Conventio cum Helvetia*, 1 sept. 1884; *Conc. cum Columbia*, 31 dic. 1887 (adest et *Conventio additionalis*, 2 iul. 1892); demum *Conventio cum Anglia* (per notas reversales) circa *Insulam Melitensem* (26 mart. 1890). Cfr. Perugini, *Concordata vigentia*, Romae, 1934).

[2] *A. A. S.*, vol. XIII, 23 nov. 1921, p. 522.

[3] Agitur tamen de Conventionibus particularibus *De honoribus liturgicis*.

[4] Non est proprie dictum Concordatum, sed dumtaxat *Modus vivendi*, qui restringitur ad nonnulla tantum obiecta, circa quae urgens necessitas habebatur concordiam promovendi.

http://www.obrascatolicas.com

sitania,[1] Italia,[2] Romania, Borussia, Baden, Germania (totum Reich), Austriae et Lusitania.[3] Sed in his concordatis apparet etiam novus spiritus iuris conventionalis ecclesiastici, in defensione sacrarum libertatum quae summopere hodie oppugnantur.

**256. Finis.** – Ex dictis evidenter constat concordata plerumque ad vulnera Ecclesiae medenda, gravioraque mala vitanda inita fuisse: *historia concordatorum, historia dolorum* Ecclesiae. Nostris autem temporibus opportunitas existit ineundorum concordatorum; et quidem, *ex parte Status*, ut hic nonnullas ab Ecclesia cautiones obtineat et privilegia quibus *etiam hoc titulo* securus fiat quod, occasione regiminis pastoralis, nullum damnum sit pertimescendum.[4] sive ab exteris, sive ab internis, praesertim ubi iurgia politica intestina acriter exardescant; *ex parte Ecclesiae* vero, ut sollemni conventione repromissionem accipiat de libertate regiminis spiritualis deque exercitio cultus et fruitione suorum iurium; demum ut *utraque societas* amicabili concordia procedat in determinatione sphaerae activitatis utriusque societatis, circa negotia mixta.

[1] Agitur de duabus Conventionibus, quae non ipsam rempublicam directe respiciunt, sed ordinant res patronatus vel semi-patronatus Indiarum Orientalium.

[2] *Pacta Lateranensia*, anni 1929, quae *Tractatum*, *Conventionem pecuniariam* et *Concordatum* complectuntur, quibus *simul* et *inscindibiliter* tum *quaestio romana* soluta est, tum relationes inter Ecclesiam et Statum in Italia definitae sunt.

[3] Hoc Concordatum respicit ipsam Rempublicam Lusitanicam (quoad praecedentes Conventiones cfr supra, not. 1).

Anno 1935 Concordatum cum Iugoslavia stipulatum fuit, sed numquam ratihabitum, ob ostacula a Serbis heterodoxis opposita.

Textum Concordatorum vigentium habes apud PERUGINI, op. cit., Romae, 1934; ultima tria vero, seu Lusitanicum, Hispanicum et cum Republica Dominicana invenies in *A. A. S.*, vol. XXXII, p. 217 ss., vol. XLV, p. 625 ss. et vol. XLVI, p. 433 ss.

[4] Prae oculis habendum est civitates, licet *per se* absque pactis fidere deberent Ecclesiae, *de facto* principiis «iuris cavendi» valde esse addicta.



Concordatis igitur utilitas utriusque societatis simul promovetur, quia ubi pax viget, imo vel ipsa possibilitas iurgandi minuitur, utriusque paciscentis bonum maxime provehitur; sane, si Ecclesia novo titulo Conventionis in exercitio suorum iurium magis secura libertate fruitur, non minus concordata prosunt Statui: nulla enim re tranquillitas et prosperitas civitatum magis turbatur quam dissidiis religiosis. Neque civitas suam dignitatem et auctoritatem ullimode minuit; quia non amittit iura sed plerumque privilegia acquirit; insuper non agit cum subditis aut cum externa potestate de negotiis internis, sed agit cum potestate societatis perfectae, et quidem non extranea reipublicae,[1] ac de negotiis non exclusivo iure civitati addictis, sed utramque societatem attingentibus.

## TITULUS II

### DE SUBIECTO CONCORDATORUM

#### ARTICULUS I

#### Persona contrahens ex parte Ecclesiae

**257. Quinam Concordata inire possint.** – Ex notione concordati a nobis exhibita, eruitur eos dumtaxat sollemnes has conventiones inire posse qui supremum alterutrius societatis obtinent principatum: scilicet Romanos Pontifices et rerum publicarum supremos moderatores (reges vel praesides). Hoc quidem de concordatis stricto et proprio sensu acceptis, iuxta communem huius vocis sensum, a pluribus saeculis iam definitum. Quae sane univoca applicatio nominis «concordati» solis conventionibus initis a RR. PP., cohaeret cum indole rerum et privilegiorum quae communiter obiectum constituunt concordatorum, quaeque pote-

[1] WERNZ, *Ius Decretalium*, Prati, 1913, vol. I, n. 170, p. 235 ss.; CAVAGNIS, op. cit., vol. I. n. I, n. 652, p. 411 sq.; AUDISIO, *Iuris naturae et gentium fundamenta*, Romae, 1852, p. 363 sq.

http://www.obrascatolicas.com

statem plane superiorem canonibus seu valentem derogare iuri communi supponunt. [1]

Quare episcopi, si quam concordiam ineant cum auctoritate civili sui loci, de negotiis suae iurisdictioni subiectis, pactum ineunt quod semper subest beneplacito supremi Ecclesiae Pastoris, quodque hodie non accenseretur ceteris conventionibus, quae nomine specifico Concordati nuncupantur.

**258. Vetus ius concordatarium praelaticium,** quod videlicet ex parte Ecclesiae stipulatum fuit ab auctoritatibus ecclesiasticis non supremis (episcopis, aliisve praelatis), ad historiam tantum pertinet.

Ceterum de pluribus conventionibus quae concordatorum nomine cohonestatae sunt, quaeque ab episcopis initae fuere, apprime notandum est eas *speciali adprobatione* Romani Pontificis auctas fuisse, immo plerumque nonnisi iuxta mandata supremi Ecclesiae Pastoris fuisse stipulatas; alias plurimas vero a Summo Pontifice fuisse expresse reiectas aut saltem non probatas, ideoque vix hoc loco esse considerandas. [2]

**259. Romani Pontifices** autem concordata ineunt *qua supremi Rectores et Pastores Ecclesiae universalis,* plena potestate praediti ad contrahendum cum guberniis quibuslibet. Et quoniam ipsi supra canones et supra concilium generale quoque sunt, nullius indigent approbatione aut ratihabitione, neque concilii generalis, etiam cum concordata ineunt, quibus ius commune aut regni consuetudines et peculiaria statuta immutantur.

---

[1] CAVAGNIS, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. I, n. 656, p. 414; WERNZ, *Ius Decretalium*, Prati, 1913, vol. I, n. 166, I, *b*), p. 228; WAGNON, *Concordats et droit international*, Louvain, 1935, p. 112 ss.

[2] OTTAVIANI, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, Romae, ed. III, 1948, vol. II, n. 370.



Insuper cum a Romanis Pontificibus concordata ineantur non qua sunt principes civiles, sed qua Ecclesiae supremi pastores et Christi vicarii, concordatorum vis nullimode pendet a vicissitudinibus civilis principatus eorundem.

Hinc, notat Cavagnis, [1] cum Summus Pontifex caput Ecclesiae sit et maneat, sive habeat regimen temporale sive non, ridiculi fuerunt qui contenderunt concordata caduca facta fuisse eo quod Summus Pontifex iam non possideret regnum. [2]

---

[1] Op. cit., vol. I, n. 655, p. 413.

[2] Cfr. HUEBLER, *Konkordate und Circumscriptionsbulle;* de conventionibus a R. P. initis *ut principe civili*, aliud atque aliud sentiendum prout de principatu ditionis romanae agebatur vel de aliis territoriis ab hoc distinctis; semper enim est prae oculis habenda *quaestio romana* ante eius solutionem. Vid. *Acta Pii IX*, p. II, vol. II, pp. 21, 79, 101, 180. Pacta Lateranensia vero Summus Pontifex, nedum ut Supremus Universalis Ecclesiae Rector, sed simul etiam ut *Civilis Principatus* Sanctae Sedis Supremum Caput stipulavit. Heic prae oculis habenda sunt quae spectant ad doctrinam de Ecclesia Catholica prout est iure proprio persona iuris internationalis (cfr. PASQUAZI, *Ius internationale publicum*, Romae, 1935, vol. I, p. 80 ss.). Simulque, attendendum est Romani Pontificis praerogativas duplicis ordinis esse prout eius suprematia vel in Ecclesia vel in Statu Vaticano consideratur. « Qua Caput Ecclesiae supremam habet iurisdictionem in universum orbem; qua Princeps civilis fruitur plena suprematia civili intra limites Status Civitatis Vaticanae tantum. Habentur ergo duae suprematiae (sovranità) quae sunt inter se omnino distinctae, etsi suprematia civilis sit adnexa et subordinata suprematiae spirituali. Quare remaneret suprema potestas spiritualis etiam si totaliter cessaret suprema potestas civilis ». PASQUAZI, op. cit., n. 186, p. 113. V. WERNZ, *Ius Decretalium*, t. II, p. 337, n. 600. « Idem Pontifex, statim ab accepta electione supremi pontificatus, fit etiam Princeps civilis Status Civitatis Vaticanae et obtinet plenam potestatem legislativam, iudiciariam et exsecutivam. Principatus civilis sequitur ut accessorium Principatum religiosum ». PASQUAZI, op. cit., n. 190, p. 116. Cfr. etiam WAGNON, op. cit., p. 40 ss. Optime in *Conc. cum Republica Dominicana*, anni 1954, distinguitur inter personalitatem iuridicam internationalem Sanctae Sedis et Statum Civitatis Vaticanae (art. 1).

http://www.obrascatolicas.com

## ARTICULUS II

### Persona contrahens ex parte Status

**260. Reipublicae praesides seu principes.** – Ex parte Reipublicae ad contrahendum concordatum interventus requiritur eorum qui, ad normam iuris gentium et secundum constitutionem reipublicae, iure conventiones publicas et internationales ineundi et leges ferendi praediti sunt. In hac re tamen non plene obtinent normae iuris internationalis quibus capacitas praefinitur personarum ad ineundos tractatus internationales, praesertim quod spectat ad Status foederatos aut etiam semisovranos.

Non interest autem utrum agatur de Statu catholico necne: Ecclesia namque id, quod bonum est et in animarum salutem cedit, ultro prosequitur tum in Statu fidelium tum etiam in Statu heterodoxorum; quare conventiones plurimae initae sunt etiam cum rebuspublicis christianis acatholicis;[1] imo, refert Wernz[2] parum abfuisse quin inter Pium IX et Imperatorem Turcarum solemnis iniretur conventio. Ecclesia insuper tractare solet etiam cum gubernio facti, praesertim cum istud iam incipit pacifice possidere; equidem exercitium potestatis in bonum publicum in eo legitimum est; praeterea in rebus spiritualibus, prius quam opportunitates politicae, considerandae sunt necessitates religiosae.

Nec refert utrum relationes diplomaticae cum republica contrahente foveantur necne. Ultimis autem Conventionibus generatim cautum est inter paciscentes de relationibus diplomaticis fovendis, nam legatorum mutua officia valde conferunt ad pacificam concordatorum interpretationem et applicationem.[3]

---

[1] Exempla sunt in *Conc. cum Borussia*, anno 1821 (bulla circumscriptionis); item in *Conc. cum Russia*, anno 1882; *Conc. cum Serbia*, anno 1914; *cum Lettonia*, anno 1922; *cum Romania*, anno 1927, etc.

[2] *Ius Decretalium*, Prati, 1913, vol. I, n. 167, p. 230.

[3] Cfr. *Conc. cum Polonia*, art. 3; *Conc. cum Lithuania*, art. 3; *Conc. cum Italia*, art. 12; *Conc. cum Germania*, art. 3; *Conc. cum Lusitania*, art. 1; *Conc. cum Hispania*, art. 3; *Conc. cum Rep. Dominicana*, art. 2, n. 2.



**261. Quid de consensu Comitiorum.** – Status constitutionales hodierni generatim ad pacta ineunda, non minus quam ad omnem legem mere internam constituendam, supponunt etiam necessitatem consensus comitiorum legumlatorum; itaque etiam concordata antequam a supremo reipublicae praeside rata habeantur et tamquam lex Status promulgentur, consensu isto in forma legitima, pro diversitate locorum, debent probari.

Quare, ubi expresse constitutio fundamentalis reipublicae id requirit, concordatum vim suam *tamquam pactum bilaterale* non exerit ante huiusmodi adprobationem; sed, cum agatur de negotiis ecclesiasticis vel mixtis vel de negotiis temporalibus ratione indirectae subordinationis ab Ecclesia quoque pendentibus, concordatum posset promulgari ut actus unilateralis seu ut lex Ecclesiae quae de se iam vim haberet obligandi cives baptizatos ipsamque rempublicam christianam.

Profecto, quaestio quae a nonnullis facta est, an videlicet consensus comitiorum, ubi necessarius est, requiratur quoque ad pacti exsecutionem, solvenda est debitam habendo considerationem iuris constitutionalis hodiernarum civitatum. Antiquitus sane reges ceterique principes alia pollebant potestate ac nostri rerumpublicarum moderatores; optimates utique audiebant, verum sola auctoritate propria procedebant.

Hodie vero populus per suos repraesentantes ad comitia vere cum supremo reipublicae capite potestatem legiferam participat,[1] quae extenditur etiam ad leges conventionales ceteraque pacta stabilienda. Rex autem seu praeses, qui constitutionem se servaturum iuravit, non intendit obligationes *vi pacti*[2] sumere nisi ad normam ipsius iuris constitutionalis.

---

[1] OLIVI, op. cit., l. I, § 9, p. 69 ss.; ORLANDO, *Principii di diritto costituzionale*, p. 161 ss.

[2] WERNZ, op. cit., n. 166, p. 288 ss. Et quidem attendendum est in concordatis generatim addi clausulam qua leges, ordinationes et decreta antea lata, in quantum Conventioni adversantur, abrogata omnino censentur; quae quidem leges a comitiis rogatae sunt. Cfr. v. gr. *Conc. Columbiae*, anni 1892, art. 31 et 32; *Conc. Lettoniae*, anni 1922, art. 21; *Conc. Bavariae*, anni 1925, art. 15; *Conc. Poloniae*, anni 1925, art. 25; *Conc. Italiae*, anni

http://www.obrascatolicas.com

Haec omnia plane augent difficultates quae vinci debent in ineundis concordatis, propter oppositionem quae, in stipulatione articulorum conventionis, praevidenda est obfutura ipsorum adprobationi ex hostibus religionis, in parlamento plurimum obtinentibus, necnon ex adversariis politicis in Guberniis. Ad tuendam igitur dignitatem S. Sedis, conventiones in forma solemni non ineuntur nisi quando Gubernium civile de consensu sibi a Comitiis certe praestando aliquas morales cautiones dare valeat; praeterea Summus Pontifex tractatui per plenipotentiarios inito ratihabitionem suam non impertitur nisi postquam comitiorum votum editum fuit. [1]

**262. Plenipotentiarii. – Sollemnitates ad ineunda Concordata.** – I. Plerumque principes seu praesides Statuum non ipsi per se conveniunt cum altera parte de articulis concordati, sed paciscendis transigendisque negotiis praevie adlaborant *legati,* quibus opportuna mandata et instructiones dantur. Generatim autem tales sunt ipsorum facultates ut valeant de stipulatione facta ita spondere, ipsamque subscribere et sigillo suo munire, ut sufficientes cautiones habeantur de futura concordati ratihabitione.

Huiusmodi legati ob amplitudinem mandati et facultatum solent vocari *plenipotentiarii,* et constituuntur etiam ex parte S. Sedis.

Ut patet, ubi legati praetergrediuntur limites mandati aut instructionum, non valent sponsiones ab ipsis datae, nisi accedat subsequens principis consensus, qui per gene-

1929, art. 45; *Conc. Austriae,* anni 1934, art. 22. Cfr. autem WAGNON, op. cit., p. 186 ss.

[1] Notatu dignum est *Conc. cum Romania,* quod a Plenipotentiariis subsignatum fuit die 10 maii 1927, ratum habitum fuisse die 7 iul. 1929. Immo, *Conc. cum Jugoslavia,* quod a Plenipotentiariis utriusque partis subsignatum fuit die 25 iulii 1935 nondum ratihabitum est eo quod Gubernium ob motiva politica interna et oppositionem heterodoxorum timuit illud submittere examini senatus. (Cfr. *L'Osservatore Romano,* 19 februarii 1938, n. 41).



ralem ratihabitionem concordati exprimi potest. Ceterum, ad munus plenipotentiariorum applicandae sunt, nisi aliquid specialiter obstet, normae iuris internationalis.

II. **Sollemnitates,** autem, seu modus procedendi ad ineunda Concordata, generatim prout sequitur habentur:

1° Plenipotentiarii seu legati, instrumentis muniti quibus ipsorum facultates comprobantur, conveniunt ad tractatus peragendos, et primum omnium permutant ad invicem documenta legationis et potestatis sibi conlatae, quae sane subscripta esse debent a Romano Pontifice, ex parte Ecclesiae, et a Supremo Civitatis moderatore ex parte Status. [1]

2° Redactis formulis seu articulis circa res de quibus conventum est, Plenipotentiarii ad fidem faciendam de stipulationibus peractis integrum articulorum textum in fine sua subsignatione ratum firmumque faciunt: *duplex exemplar* paratur et subscribitur ab utriusque partis plenipotentiariis, alterum quidem Sanctae Sedi reservandum, alterum vero Reipublicae paciscenti. Plenipotentiarii Sanctae Sedis primi subscribunt.

3° De huiusmodi actu seu sollemnitate processus verbalis pariter in duplici exemplari exaratur, quorum alterum alteri Societati committendum est.

4° Postquam autem ratihabitionis documenta a Supremo utriusque Societatis Capite subsignata suoque sigillo munita praesto fuerint, proceditur a personis ad id deputatis permutationi documentorum ratihabitionis: exemplar subsignatum a Reipublicae Praeside vel a Rege traditur Sanctae Sedis Legato, exemplar vero a Summo Pontifice subscriptum concreditur Civitatis Repraesentanti, postquam

[1] Unde generatim in Praefatione cuiusvis Concordati legitur Plenipotentiarios in rebus de quibus conventum est consensisse « après avoir échangé leurs pleins pouvoirs, reconnus en bonne et due forme ».

http://www.obrascatolicas.com

debite collata sunt, ut illi textui conformia inveniantur qui primitus a Plenipotentiariis subscriptus fuerit.

Huiusmodi sollemnitatis pariter processus verbalis conficitur, prout supra.

## Articulus III

### De societate contrahente, ut subiecto concordati

**263. Dissertationis ratio et momentum.** – Dubium heic proponimus, an videlicet Romanus Pontifex et principes civiles concordatum contrahentes sint ita considerandi subiectum conventionis, ut vinculum obligationis contractualis eosdem ceterosque qui vere haberi possunt ut eorum successores, afficiat personaliter, vel potius subiectum ultimum quod afficitur obligatione concordataria sint *societates quarum ipsi principes personam gerunt.*

Dubium hoc suam applicationem practicam habet, ut videbimus, ubi de dissolutione concordatorum ob supervenientem radicalem mutationem aut interitum unius partis contrahentis.

Equidem si v. gr. Sancta Sedes contraheret cum aliqua dynastia, ita ut reges tantum, ipsorumque successores in regno, et non societas ipsa, essent habendi subiectum contrahens, cessatione dynastiae aut saltem monarchicae constitutionis Status, deberet considerari ita immutata una persona contrahens ut non amplius eadem haberi posset quacum contraxit S. Sedes; contra, si conventio afficiat ut subiectum contrahens ipsam societatem, tunc, quousque manet eadem persona iuris internationalis, manet subiectum contrahens idem et perstat obligatio bilateralis.

Profecto, quaestio quam nos proponimus momentum practicum habet tantum in quantum respicit subiectum contrahens ex parte reipublicae.

Ecclesia namque est perennis et manet semper eadem, cum sua divina fundamentali constitutione;[1] Romanus Pontificatus

[1] Cfr. supra, n. 3, p. 4 sq.; item, tractatus theologorum, *De Ecclesia Christi.*



semper in eadem positione iuridica invenietur coram Ecclesia sive in universo terrarum orbe considerata, sive in aliquo determinato territorio; Summus Pontifex ita personam gerit Ecclesiae ut, sive ipsum ipsiusque successores sive Ecclesiam dicas subiectum obligationis contractualis, bene utrumque dicere possis.[1]

At vero idem non potest dici in Statu, saltem ab iis temporibus in quibus monarchiae absolutae disparuerunt.

**264. Opinio nonnullorum iurisdictionalistarum.** – Iurisdictionalistae, ut sese liberarent ab obligationibus concordatariis, et proinde liberius de rebus ecclesiasticis disponere possent, quandoque usi sunt hoc ratiocinio: mutata forma regiminis, iam deficit alterutra persona contrahens, hinc concordatum est caducum.

Addebant autem id duplici modo evenire posse, nempe ex parte Status et ex parte Ecclesiae; immo, re id factum fuisse hoc modo explicabant: *Ex parte Ecclesiae,* cum in Concilio Vaticano Summus Pontifex declaratus est infallibilis et praeditus suprema potestate; hinc quaedam gubernia occasionem sumpserunt hostiliter se gerendi in Ecclesia, quia non contraxerant cum Ecclesia monarchicae formae, sed mixtae ex aristocratia et principatu.[2] *Ex parte Status* autem dicebant evenisse cum cecidissent dynastiae quibuscum contractum fuerat, vel monarchiae conversae essent in gubernia repraesentativa; igitur defecisse personam laicam, dicebant, quae contraxerat, et praesertim populum non teneri ratum habere quod factum fuisset a principe absoluto, absque consensu repraesentantium suorum.

**265. Rationes pro hac sententia.** – Prima fronte sane supradictae opinioni viderentur favere sequentes rationes: supremi utriusque societatis moderatores non sunt simplices procuratores, et eorum figura iuridica omnino diversa est a

[1] Plerumque in Concordatis adhibentur promiscue nomina Summi Pontificis vel Sanctae Sedis.

[2] Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici,* Romae, 1906, vol. I, n. 694, p. 441 sq.



http://www.obrascatolicas.com

plenipotentiariis; praeterea tenor plurimorum concordatorum evincit tamquam subiectum contrahens semper habitas fuisse personas, quae uti paciscentes nominatae essent, necnon successores qui supponerentur secuturi secundum eamdem formam constitutionalem societatis; quod si argumentum in contrarium peteretur ex paritate cum aliis conventionibus internationalibus, admittendum prius esset concordata in omnibus aequiparari ceteris pactis internationailbus.

Reapse plurimi modi loquendi, qui adhibentur in Concordatis, exhibent Romanos Pontifices et principes ut causam conventionis; personae ipsae describuntur ut contrahentes quia ipse spondent, ipsae officiorum et privilegiorum subiectum immediatum constituuntur. V. gr. in concordato Wormatiensi [1] legimus: « *Ego Henricus,* Dei gratia romanorum imperator Augustus... *dimitto...* omnem investituram per annulum et baculum etc. — *Ego Callistus,* episcopus servus servorum Dei, *tibi* dilecto filio Henrico Dei gratia romanorum imperatori augusto *concedo* etc. ». Recentius vero, in concordato cum Austria, [2] an. 1855: « *Sanctitas Sua Pius IX et Maiestas Sua Caesarea — Regia Apostolica* Franciscus Iosephus I, Austriae imperator,... solemnem conventionem inire decreverunt... Art. XVI: *Augustissimus imperator* non patietur, ut Ecclesia catholica, eiusque fides, liturgia, institutiones sive verbis, sive factis, sive scriptis contemnantur... ».

**266. Conventiones afficiunt societatem.** – Vera sententia tamen, quam iam Cavagnis adumbravit, est conventiones afficere ipsam societatem, etsi contrahuntur, eius nomine, ab auctoritate quae nunc societati praeest, quia *iura et onera acquiruntur societati mediantibus rectoribus,* et quoniam societas est persona perfecta, de se perdurat, etsi mutantur rectores et regiminis formae. Et proinde est duplex persona consideranda: ea cuius administratio geritur, et ea quae

[1] Mercati, n. III, p. 18 ss.
[2] Mercati, n. CII, p. 821 ss.



eandem gerit; illa est societas et permanet, haec est persona gubernans, sive physica sive moralis, et mutatur in Statu. [1]

1. Prima ratio igitur est haec: quia in contrahentibus attenditur magis *munus* quam persona (physica vel moralis), suprema potestas utriusque societatis subsistit independenter a formis regiminis, et ut talis, res gerit *societatis,* non suas vel dynastiae aut factionis. Ergo etiam in conventionibus personam gerit societatis.

2. Praeterea conventiones internationales afficiunt ipsas societates tamquam subiectum in quo demum sustentantur iura et obligationes conventionales; [2] iamvero concordata ceteris tractatibus internationalibus aequiparari possunt in omnibus in quibus nulla specialis ratio obstet: et in casu nihil reapse obstat. [3]

3. Demum argumentum confirmari potest ex facto conventionum quae caduca non sunt habita, licet pluries mutata fuerit, ex parte civili, forma regiminis. V. gr. Concordatum napoleonicum vim suam servavit, quamvis corruissent imperium napoleonicum, viguit postea sub monarchia alterius dynastiae, item sub regimine republicano, iterum sub secundo imperio, et sub tertia republica. Dices fortasse tacite fuisse renovatum totidem vicibus consensum: at vero vix in iure internationali adhibetur hic modus instaurandi conventiones, [4] cum potius documenta scripta requirantur; praeterea vix supponi potest restitutio alicuius conventionis deciduae, solo consensu tacito, in regimine constitutionali hodiernae reipublicae.

Ceterum, si aliud esset sentiendum, non posset explicari qua ratione Ecclesia aliquando induceretur ad contrahendum etiam *cum gubernio de facto.* [5]

Profecto, non est ambigendum in concordatis vetustis expressiones inveniri quae exhibeant, tamquam subiectum conven-

[1] *Institutiones,* l. c.
[2] Olivi, *Diritto internazionale,* Milano, 1911, lib. IV, Obbligazioni internazionali, p. 355 ss.
[3] Cavagnis, l. c.; Giobbio, *I Concordati,* Roma, 1900, n. 136, p. 110 ss.; Contuzzi, *Diritto internazionale,* p. 105 ss.; Wagnon, *Concordats et droit international,* Louvain, 1935, p. 315 ss.
[4] Olivi, op. cit., p. 372.
[5] Giobbio, op. cit., n. 137, p. 111.

http://www.obrascatolicas.com

tionis, ex una parte Romanum Pontificem, ex altera vero principem cum sua dynastia. Sed considerandum est: 1° ius publicum praeteritorum temporum, praesertim quoad conceptum regalitatis,[1] rationem sufficientem dare earundem expressionum; 2° re, fuisse anteactis temporibus quaedam privilegia in concordatis data magis *intuitu personae* seu dynastiae, immo concessiones ipsas vere effecisse dynastias, quarum merita plerumque rependere voluerunt pontifices, privilegiis cumulando familias qua tales.[2]

Terminologia recentiorum concordatorum rem apprime confirmat. Prae oculis habeantur praesertim dispositiones quibus Civitas officia et obligationes suscipit in iis rebus de quibus vel ipse Princeps vel Reipublicae Praeses dumtaxat prima fronte viderentur posse disponere: et tamen ex ipsis verbis stipulationis patet non principem sed Civitatem suscipere obligationem.[3]

## TITULUS III

## OBIECTUM IURIS CONCORDATARII

### ARTICULUS I

### De obiecto concordatorum in genere

**267. Res temporales.** – De rebus temporalibus Romani Pontifices agere possunt cum laicalibus potestatibus vel ut principes civiles, vel ut supremi animarum pastores. Nullum dubium est quin sub utroque respectu concordata agere

[1] « Un tempo, soprattutto per le associazioni politiche rette a monarchia, confondevasi il sovrano con lo Stato, sovrano e Stato erano quasi la stessa cosa... ». OLIVI, op. cit., p. 80.

[2] Cfr. ex. gr., art. XIX, *Conc. Austriae*, anni 1855.

[3] Cfr. v. g. art. 25 *Conc. cum Italia*: « *Lo Stato italiano* rinunzia alla *prerogativa sovrana* del *Regio* Patronato sui benefici maggiori e minori ». Cfr. etiam eiusdem Conventionis art. 24 de abolitione *Exequatur* et *Regii Placiti*, aliosque plurimos articulos in quibus subiectum contrahens iis verbis enunciatur: « Lo Stato italiano... »; item cfr. art. 1: « *L'Italia*, ai sensi dell'art. 1 del Trattato assicura *alla Chiesa Cattolica*... »; *Conc. cum Hispania*, art. 2: « Lo *Stato spagnolo* riconosce alla Chiesa Cattolica il carattere di società perfetta ecc. », item art. 3 et 4.



possint de negotiis temporalibus; verum ius conventionale quod heic consideramus non respicit conventiones mere politicas seu civiles S. Sedis.

Plerumque bona ecclesiastica de quibus agitur in concordatis attingunt materiam beneficialem, dotationes ecclesiarum aut ministrorum sacrorum, ac demum legislationem civilem de vectigalibus.

Circa eas res fieri possunt in concordatis etiam verae et propriae alienationes.

**268. Res spirituales.** – Item obiectum concordati possunt esse res spirituales, sive stricto, sive lato sensu acceptae, et quidem in quantum vel privilegia circa easdem conceduntur, v. gr. preces publicae pro rege fundendae, vel etiam in quantum repromissiones Status de libero exercitio potestatis sacrae in iisdem rebus acceptantur.

De his rebus, ut patet, nulla concipi potest alienatio, aut talis iuris Ecclesiae remissio quae aequivaleat imminutioni iuris primatus pontificii, vel quomodolibet tangat validum exercitium potestatis sacrae vel demum divinas laedat ordinationes quibus Ecclesia est regenda. Notandum tamen circa exercitium nonnullorum iurium non repugnare fieri concessiones, praesertim *quoad modum* v. gr. quoad modum exercendi ius Ecclesiae constituendi animarum pastores.

**269. Res mixtae.** – Planum est has res praecipuum seu magis commune constituere obiectum concordatorum. Et hoc quidem descendit tum ex ipsa harum rerum natura et indole, quae necessario requirit concordiam utriusque potestatis, ut recte definiantur limites competentiae uniuscuiusque societatis, tum ex circumstantiis quae suadent amicabilem cooperationem utriusque ordinis circa has res communes quae de se plerumque maximis scatent difficultatibus;

http://www.obrascatolicas.com

tum demum ex necessitate vitandi conflictus, qui certe consequerentur, si altera societas ab altera separata de his rebus disponeret.

**270. Animadvertenda circa obiectum concordatorum.** – 1° Conventiones possunt esse, ratione obiecti, *speciales* et *generales:* equidem non semper integer complexus relationum inter Ecclesiam et Statum per eas ordinatur, sed etiam circa aliquod peculiare negotium dumtaxat fieri potest conventio. Immo, in suis exordiis, concordata non attingebant nisi unum aut determinata et pauca quaedam negotia, circa quae controversia antecesserat. Recentius quoque nonnullae conventiones initae sunt, quae negotium aliquod peculiare dumtaxat respexerunt, ut conventio cum Gallia *de honoribus liturgicis* et plures Conventiones particulares cum Hispania, scilicet de praesentatione Episcoporum, diei 7 iunii 1941, de provisione beneficiorum non concistorialium, diei 16 iulii 1946, de Seminariis et Universitatibus Studiorum, diei 8 decembris 1946, de assistentia religiosa pro militibus, diei 5 augusti 1950.

At ultima concordata generalem complexum relationum inter utramque societatem plerumque attingunt, aut saltem praecipua negotia quae hodie, secus, solent unilaterali reipublicae legislatione, cum discrimine iurium Ecclesiae, ordinari.

II. Attento obiecto concordatorum, vere dici potest Ecclesiam concedere Statui quod est huic *indebitum;* rempublicam vero plerumque spondere de rebus aliunde *debitis.* Quare concordata merito descripta sunt a Cavagnis [1] tamquam conventiones inter Summos Pontifices et principes, quibus Ecclesia aliquid remittebat de exercitio suorum iurium favore principum, et quaedam eis concedebat, habita a Statu repromissione adiutorii in reliquis, vel saltem libertatis.

[1] *Institutiones iuris publici ecclesiastici,* Romae, 1906, vol. I, n. 648, p. 406 ss.



**271.** – Reapse Ecclesia concedit de suo, cum v. gr. aliquid largitur Civitati in negotiis electionum et circumscriptionum, vel cum temperat exercitium suorum iurium, ubi id possibile est; et generatim quandocumque obiectum concordati est res *spiritualis* vel spirituali adnexa, de qua exclusive ipsa Ecclesia agere potest, tunc adest vera largitio indebiti. Status vero quando promittit tuitionem libertatis, agnitionem quorumdam iurium, subsidia temporalia, generatim id spondet ad quod aliis titulis iam teneretur, nempe vel iure naturali vel iure positivo divino.

Utilitas, quae inde venit Ecclesiae, est haec tantummodo, quod videlicet Status publice recognoscit talia sua officia, dum concordatum obligationi ex lege divina addit *vim pacti solemnis,* ut fiat debitum *etiam ex pacto* quod erat debitum ex iure divino. Non diffitemur tamen aliquando, propter speciales circumstantias, obligationes a Statu assumptas ipsi graves esse posse: qua de re laudandus est utique v. g. Napoleo, cum, concordato anni 1801, Ecclesiam in Gallia penitus eversam restituerit, post-habitis gravibus difficultatibus quae ad impediendum concordatum hostes Ecclesiae opponebant. Hac in re multa promeruit etiam Mussolini qui, Pactis Lateranensibus, cum Pio XI Deum Italiae reddidit et Italiam Deo.

## Articulus II

### Ius concordatarium novissimum

**272. Quaenam sanciantur in hodierna civitatum condicione.** – Ex concordatis post recens bellum initis eruitur iam quaenam sit ratio habenda temporum, iuxta declarationem Benedicti XV, qui edixit Ecclesiam esse exinde inituram conventiones aliis condicionibus, quae melius mutatis temporibus convenirent. [1]

[1] Alloc. Consist. 21 nov. 1921 (*A. A. S.*, vol. XIII, p. 521).

http://www.obrascatolicas.com

1. Equidem ex principiis *laicismi*, hodie in vita publica plurimum obtinentibus, necessitas exurgit ut Ecclesia muniat se fidelesque suos praesertim a ruinis quae ex schola laica seu neutra obveniunt[1] necnon ex laicizatione matrimonii, et ex odio quod laicismus profitetur contra instituta religiosa, quae servanda sunt a vera morte civili ipsi decreta a sic dictis liberalibus.

2. Pariter, regimina laica vix esse possent subiectum idoneum illorum privilegiorum quae olim *dynastiis catholicis* concedebantur, praesertim circa nominationes; hinc aliud est ius concordatarium hac de re novum (n. 144 ss.).

3. Vicissim propter acrem sensum nationalem, quo passim imbuuntur hodie populi, Status exigit speciales cautiones quoad institutionem cleri, quoad circumscriptiones, etc.

4. Novae item causae post-bellum exortae sunt Conventionum stipulandarum, etiam ad tuenda iura minoritatum religiosa, qua in re felicem sane exitum habuerunt minorum partium vota Sanctae Sedi commissa; cuius quidem sollicitudo, concordatis, ius fidelium tuebatur quoad instructionem religiosam patrio sermone traditam et scholasticam minorum partium institutionem, quemadmodum tuebatur et bona entium ecclesiasticorum intra et ultra fines alicuius nationis sita ceterasque traditiones quae cum libero exercitio divini cultus cuiusque ritus connectuntur.[2]

5. Alienatio autem civitatum a pluribus officiis religiosis et a laudabili patrum pietate patet ex minimis vestigiis, quae vix in novis concordatis servantur, immunitatum aut verae protectionis quae esset Ecclesiae impertienda; etenim etiam Status catholici inficiuntur principiis libertatis conscientiae.

6. Aliquid autem communiter irrepsit in Concordatis postbellicis quod prius vix inveniebatur: scilicet limitationem apponi saepe obligationibus susceptis a Statibus provocando ad *Ius Commune* vel ad limites quos *Codex Civilis* nationis imponit,[3] qua in re haec iam alibi notavimus: « Cum inter iura Ecclesiae et *legitima* reipublicae iura pugna quidem extare nequeat, lex ecclesiastica facile congruere potest cum lege civili, dummodo haec naturalem civium associationis libertatem tueatur neque ideo legum latores in iure communi condendo Ecclesiae laedere iura in animo habeant.

« Ceterum ubicumque Concordata ad ius civile vigens provocant, intelligendum est provocare ad ius commune, quod legi concordatariae sit consentaneum, non repugnans, secus ridiculum esset pacisci cum Ecclesia de aliqua re, simulque statuere in Concordato ut leges contrariae civiles observandae sint, eo vel magis quod Concordata generalia continent praescripta, quae cavent de Ecclesiae libertate, de pleno ecclesiasticae iurisdictionis exercitio, etc. Item, in Concordatis plerumque adiiciuntur clausulae derogatoriae aut abrogatoriae earum legum civilium, quae contra pacta latae essent ».[1]

[1] Litt. Enc. *Ubi arcano Dei, A. A. S.*, vol. XIV, p. 698. Ottaviani, *Ius concordatarium Pii XI*, in *Apollinaris*, 1929, n. 2, p. 287.

[2] Cfr. v. gr. art. 12 *Conc. Lett.* et art. I *Conc. Polon.*

[3] Cfr. v. gr. *Conc. cum Lettonia*, 30 mail 1922, art. I.



## TITULUS IV

## DE NATURA CONCORDATORUM

### Articulus I

### Opiniones de natura vinculi concordatarii

**273. Status quaestionis.** – Quaestio de natura vinculi concordatarii dividit nedum catholicos ab acatholicis, sed et ipsas scholas catholicas inter se, aliis alia opinantibus. Dubii autem substantia haec est: *quaenam videlicet ex concordatis, sive Ecclesiae sive Statui, oriatur obligatio.*

Haec autem quae sequuntur in ipso quaestionis limine, ad hanc bene definiendam, praemittimus:

**Praenotanda.** – I. Agimus quidem de obligatione societatum ad invicem, non vero de obligatione subditorum respectu auctori-

[1] Ottaviani, *Ius concordatarium Pii XI*, in *Apollinaris*, 1929, n. 2, p. 285.

Pro comparativo examine singulorum institutorum, de quibus agitur in ultimis Concordatis, cfr. Nasalli Rocca, *Concordatorum Pii XI concordantiae*, Romae, 1940.

http://www.obrascatolicas.com

tatis promulgantis concordatum; nullum enim dubium est de obligationibus quae ex tenore concordatorum oriuntur, per hoc quod concordatum habetur sicut *lex,* debito modo ab utriusque societatis potestate promulgata.

II. Conventiones, quas Summus Pontifex init, agere possunt de rebus in quibus vel iura *nativa* vel iura *adventicia,* seu mere humana et acquisita, Ecclesiae competunt. Iamvero circa haec ultima fieri possunt commutationes, imminutiones, alienationes, etc., etiam cum agitur de iis quae ad Sanctam Sedem competunt titulo principatus civilis.

III. Non est in dubium vocandum aliquam certe obligationem utrique parti imponi, vi concordati; unde, quicumque omnem obligationem sive ex utraque parte sive etiam ex uno tantum contrahentium, esto in ipso Romano Pontifice, excludit, rem asserit contra quam est communis doctorum sententia; ceterum, pro catholicis indubium argumentum hac de re constituunt apertae RR. PP. declarationes (n. 277).

**274. Sententiae erroneae.** – Antequam de doctrinis agamus quae in libera disputatione scholarum sunt, oportet eas indicemus sententias quae certe in dogma catholicum plus minusve directe offendunt, quaeque nullimode a catholicis probari possunt.

I. Primus error est in sententia *legali* seu *iuridica,* quae dicitur; fundatur haec in conceptu omnipotentiae Status, etiam circa res de quibus in concordatis solet tractari, necnon in absoluta dependentia Ecclesiae coram republica. Hoc posito fundamentali errore, concordata habentur tamquam *leges Status,* conditae utique consentiente Ecclesia, sed vim habentes ex sola auctoritate civili, ab eaque unice pendentes.

II. Secundus error autem est illorum qui conceptum merae coordinationis inter Ecclesiam et Statum ponunt tamquam fundamentum iuridicum omnium relationum inter utramque societatem; quo posito errore, concordata habentur, ad instar ceterorum pactorum internationalium, inita inter pares, seu in absoluta paritate condicionis, sequentibus inde obligationibus utrimque innixis eodem titulo strictae iustitiae commutativae.



**275.** I. Theoriae legalis seu iuridicae fundamentum Hinschius summatim ita proponit: « Secundum ius publicum civile nostri aevi, legislatio Status est omnipotens in omnibus relationibus quae intra sphaeram eius in lucem prodeunt, et Ecclesiae *christianae,* quantum versantur intra limites uniuscuiusque Status, huic eodem modo subiiciuntur, quo singuli quivis homines et aliae quaevis corporationes ».[1] Hinc deducunt: 1° concordata non esse veros tractatus, sive attenta superioritate Status, sive attentis negotiis quae sunt interna Status, et eius independenti dispositioni subiecta; 2° concordata ergo esse revocabilia ad nutum, saltem cum cedunt in detrimentum civitatis; 3° addunt concordata ut conventiones haberi non posse, etiam ob defectum vis armatae in S. Sede, quae non posset, bello, eorum urgere observationem; ceterum, si Status — inquiunt — cum Ecclesia verum pactum concluderet, potestas eius legislativa, per pacta cum subditis, posset ligari et imminui. Similibus et asperioribus principiis adhuc procedunt « Rassistae » seu stirpis cultui addicti. Pro iisdem enim sicut nullum cuiusvis ius aliquid valet ubi provehendae stirpis ratio urgeri debet, sic neque ullum concordatum potest suis vinculis quomodocumque praepedire stirpis emolumentum et profectus: « Fons primus et summa regula universi ordinis iuridici est instinctus stirpis ».[2]

Ut evidens est, paucis istis sententiis magna quaedam continetur errorum collectio; heic igitur opponenda primum sunt principia iuridica perfectionis, ideoque independentiae, Ecclesiae; immo etiam subordinationis indirectae Status (n. 206 ss.).

Falsum autem est inter superiorem et subditum non posse existere pactum;[3] illud autem argumentum, quod petitur ex defectu

---

[1] *Staat und Kirche,* Friburgi, 1883, I, 273; eiusdem *Rechtslexikon,* l. c.; alios assertores huius doctrinae adducit Friedberg-Ruffini, *Trattato di diritto ecclesiastico,* Torino, 1893, § 48, cum nota 2, p. 223.

[2] Talis est VI propositio quae habetur in Instructione Sacrae Congregationis de Seminariis et Universitatibus, diei 13 apr. 1938, de falsis circa stirpem dogmatibus refellendis.

[3] Lugo, *De iust. et iure,* D. 21, n. 280; Suarez, *De legibus,* VIII, c. 37, n. 5. Immo *ad factum* quod spectat, notat ipse Friedburg-Ruffini, l. c.,

http://www.obrascatolicas.com

vis armatae in Ecclesia, certe supponit falsa principia philosophica de vi coactiva iuris, et denegationem omnis potestatis coactivae in Ecclesia.

His igitur consideratis, patet sententiam illam esse omnino contrariam doctrinae catholicae; in Syllabo autem damnata est sequens propositio: « Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo concordata) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante ».[1] Recolendae sunt etiam solemnes protestationes Romanorum Pontificum contra violationes concordatorum, tamquam violationes solemnium pactorum bilateralium (n. 277, 3°).

II. Patroni **coordinatismi** agnoscunt existentiam contractualis obligationis in utroque contrahente,[2] verum notant eam ideo non posse comparari obligationi tractatuum internationalium, quia in Ecclesia est defectus mediorum, quae a iure gentium exhibentur civitatibus ad tuitionem iurium conventionalium; quare, stabilitas concordatorum unice ex bona voluntate Status repetenda esset.

Addunt hi quoque Statum non posse concordatis renunciare facultati disponendi de propriis iuribus, sicut Ecclesia non amittit facultatem ordinandi res religiosas; et sicut haec, ob rationes religiosas, potest concordata rescindere, ita respublica id praestare valet ob rationes ordinis politici.

Profecto, ut notat Cavagnis,[3] verum est concordatum cum principe catholico aequiparari non posse totaliter contractui internationali, sed tota differentia est in favorem Ecclesiae, quia conventio internationalis est inter iure pares; concordatum inter dispares, conveniente Ecclesiae superioritate. Igitur primus de-

---

hanc rationem destitutam esse omni vi probativa, quia Ecclesia « non è rinchiusa in uno Stato, perchè il Papa non è suddito dello Stato contraente, e perchè infine lo Stato, scendendo a patti con la Chiesa, ammette implicitamente di non considerare la Chiesa soltanto come una corporazione posta nello Stato ». Quod vero negotia religiosa dicantur mere interna Status, aequivocatione dicitur, ut notat Cavagnis, op. cit., vol. I, n. 693; interna enim sunt ratione subditorum, non autem ratione auctoritatis et materiae.

[1] Prop. 43, Denz., n. 1743.

[2] Schulte, *D. Lehre v. d. Quellen*, p. 435 sq.; Bluntischl, *Das mod. Völkerrecht*, p. 250 ss.; cfr. etiam Heffter, *Völkerrecht*, § 40 ss.; Hermann, *Staatswörterbuch*, V, p. 701 ss.

[3] *Instit. iuris publici ecclesiastici*, Romae, 1906, vol. I, n. 693, p. 441.



fectus, imo fundamentalis error huius theoriae est in conceptu *paritatis* quam ponit inter Ecclesiam et Statum. Ceterum, etiam posita paritate, cum contractus sustineatur vi propria iuris, non autem vi physica,[1] nisi ut subsidio necessario per accidens, sequitur concordatum, etsi in aliquibus non aequiparetur tractatibus internationalibus, in genere tractatuum tamen certe esse, qui e voluntate duorum contrahentium originem habent, et nonnisi eorumdem consensu cessare debent.

Quod si detrimentum aliquod sequitur, seu detrimentum societatis *inferioris*, tunc vel sustinendum antequam nova concordia instituatur, vel petendae sunt a S. Sede opportunae modificationes;[2] numquam proprio marte licet rem dissolvere quae originem habet ex concordi voluntate duarum partium.

**276.** Inter catholicos autem disputatur an concordata sint **privilegia** an potius **pacta bilateralia** *sui generis*.

I. Prima sententia est eorum qui autumant concordata esse, ex parte Ecclesiae, meras concessiones seu privilegia, ad quae servanda eadem Ecclesia non tenetur nisi ex fidelitate et convenientia; ex parte Status autem esse servanda ut leges particulares a potestate spirituali latas pro determinatis territoriis. Substantiam doctrinae privilegiorum habes in hac definitione, qua concordatum describitur a Tarquini tamquam: « Lex particularis ecclesiastica pro aliquo regno, Summi Pontificis auctoritate edita ad instantiam principis eius loci, speciali eiusdem principis obligatione confirmata se eam perpetuo servaturum ».[3]

Quae sententia ideo a patronis suis urgetur, quia reputatur necessaria ad tuenda principia de *superioritate Ecclesiae* prae Statu, de *immutabilitate* et *plenitudine potestatis*

---

[1] Ceterum « la guerra è bensì l'estrema, ma non l'unica forma di coazione internazionale », Friedberg-Ruffini, l. c., p. 224.

[2] Giobbio, *I Concordati*, Roma, 1900, p. 100.

[3] *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, ed. 15ª, Romae, 1892, n. 73, p. 73; vid. etiam De Luca, *Institutiones iuris ecclesiastici publici*, Romae, 1901, vol. I, p. 289.

http://www.obrascatolicas.com

*Romani Pontificis,* iure divino constituta, deque sanctitate iurium Ecclesiae quae citra crimen *simoniae* alienari aut quomodocumque in pactum deduci non possunt.

II. Altera sententia vero, quae vim pactorum bilateralium in concordatis agnoscit, quaeque a viris certe alienis a quocumque errore iurisdictionalismi vel coordinatismi [1] strenue defenditur, cum debitis cautionibus requisitis ab indole rerum quae in pactum veniunt et a condicione iuridica unius contrahentis, fundatur in *tenore* et *sollemnitatibus* concordatorum, in *declarationibus pontificiis* et in ipsis circumstantiis quae *originem iuridicam* harum conventionum, earumdemque *finem iustificant.*

In sequenti articulo argumenta exponemus huius doctrinae, quae fuit traditionalis in Pontificio Athenaeo S. Apollinaris in Urbe et nunc etiam docetur in Pont. Inst. « Utriusque Iuris » ad Lateranum; [2] interim notasse iuvabit hanc doctrinam iam auctoritate DD., qui eam tradiderunt, valde esse commendatam: docebatur sane a Card. Agliardi, Card. Soglia, Card. Cavagnis, Card. Billot, Vecchiotti, De Moulart, Labis, Ch. Augustine, Solieri, [3] licet non sit diffitendum adversam quoque opinionem com-

[1] « Negari non potest non deesse viros etiam catholicos, qui ab illa theoria *coordinationis* omnino alieni sunt, et nihilominus concordatis vim pactorum bilateralium vindicant ». WERNZ, l. c., p. 245.

[2] Iuxta clar. TURINAZ, ep. Nanceien., opinio contractualis « est enseignée unanimement à l'Université Pontificale de l'Apollinaire, qui est, au point de vue de l'enseignement du Droit canon, la première Université romaine... L'opinion opposée a été et est encore enseignée à l'Université Grégorienne, qui portait, il y a quelques années, le nom de Collège Romain ». *Les Concordats et l'obligation réciproque qu'ils imposent à l'Eglise et à l'Etat,* Paris, 1888, p. 50; verum inter eximios Doctores Pontificiae Universitatis Gregorianae, non defuerunt qui a doctrina privilegiorum alieni fuerint.

[3] Inter recentiores addendi sunt: A. VAN HOVE, *Prolegomena* ad Commentarium Lovaniense in C. I. C., Mechliniae, 1928, n. 84, p. 73; CONTE A CORONATA, *Ius publicum ecclesiasticum,* Taurini, 1934, p. 172 ss.; WAGNON, *Concordats et droit international,* Louvain, 1935, p. 14 ss.; JUNG, *Le Droit public de l'Eglise dans ses relations avec les Etats,* Paris, 1948, p. 166, 167, 188.



mendari nominibus Card. Tarquini, Card. Satolli, Card. De Azevedo, Wernz, Liberatore, etc.

Fuerunt quidem nonnulli qui putarent se solvere posse quaestionem per sententias quae conciliarent terminologiam unius opinionis cum substantia alterius theoriae; re, tamen, nihil aliud novi induxerunt quam verborum immutationes, cum ipsorum opiniones vel prorsus eaedem sint ac alterutra ex duabus supra enunciatis, vel ad ipsas reducantur, non exclusa sententia *privilegiorum conventionalium.* [1]

Praestat autem heic notare *utramque sententiam optime tueri dogma, utrimque* enim aeque admittitur Romanum Pontificem non renuntiare nec renuntiare posse iuribus divinis, nec *validum* eorum usum ligare. Profecto etiam patroni sententiae pactorum libenter admittunt concordata, respectu materiae, continere plerumque privilegia; verum quaestio in hoc est *utrum videlicet collatio privilegiorum firmata sit contractu bilaterali;* et privilegiarii quidem dicunt speciem pacti haberi, contractualistae vero non solum speciem sed et rem, seu substantiam.

## ARTICULUS II

### De vi pacti bilateralis in concordatis

**277.** Quando a doctoribus catholicis concordata dicuntur contractus bilaterales, semper subintelligendum est eos contractui concordatario talem indolem specialem agnoscere, quae conveniat cum obiecto et subiecto huius specialis conventionis, ex parte Ecclesiae. Hinc duo sunt heic explicanda: 1° Concordata esse vere pacta bilateralia; 2° haec pacta indolem habere non contractus communis, sed specialis.

**Concordata sunt pacta bilateralia.** – Argumentum hoc est: natura actus publici, ad quem conficiendum concursus duarum partium in idem placitum consentientium requiritur,

[1] Vid. GIOBBIO, *I Concordati,* Roma, 1900, p. 24 ss., ubi exponit doctrinam privilegiorum conventionalium vix differentem a theoria pactorum. Cfr. etiam CAPPELLO, *Summa Iuris publici ecclesiastici,* Romae, 1936, n. 447, p. 473 et BENDER, *Ius publicum ecclesiasticum,* 1948, p. 228 ss.

http://www.obrascatolicas.com

ex manifesta intentione seu voluntate earumdem partium desumenda est.

Quare, utrum supremae Status et Ecclesiae auctoritates, de negotiis concordatariis convenientes, eadem negotia, quaecumque sunt (concessiones vel non), in contractum deduxerint necne, ex eorum voluntate et manifestata intentione deducendum est.

Atqui certissime constat nedum ex parte principum sed et Romanorum Pontificum esse voluntatem seu apertam intentionem deducendi in pactum synallagmaticum res de quibus in concordatis convenerunt. Ergo concordata sunt pacta bilaterialia.

Id reapse verum esse invicte probatur: 1° ex *forma* et *sollemnitatibus* quas Concordata plene communes habent cum reliquis pactis sollemnibus etiam internationalibus; 2° ex generali *clausula finali,* qua utraque pars vicissim repromittit ac spondet se suosque successores omnia et singula de quibus conventum est sancte esse servaturam; 3° ex iteratis et apertis *RR. PP. declarationibus* quibus implicite, immo etiam explicite, concordata describuntur ut contractus bilaterales, seu vim pacti utrímque inviolabiliter servandi secumferentes.

**1. Ex terminologia, forma et sollemnitatibus concordatorum:**

*a*) constat contractum esse duorum vel plurium in idem placitum consensum;[1] quod si consensus versatur circa mutuas repromissiones, patet contractum esse *synallagmaticum* seu *bilateralem.* Iamvero in concordatis exprimitur talis utriusque partis consensus, per verba conventio, convenerunt, conventum

[1] « Pactum autem a pactione edicitur (inde etiam pacis nomen appellatum est) et est pactio *duorum pluriumve in idem placitum consensus.* Conventionis verbum generale est ad omnia pertinens de quibus, negotii contrahendi transigendique causa, consentiunt qui inter se agunt ». Ita Ulpianus in l. 1, § 2, Dig. II, 14.



est etc. Porro consensus idem in concordatis versatur circa repromissiones quae semper constituunt obiectum talium conventionum.

*b*) Praeterea tractatus praeliminares qui habentur ad ineunda concordata (nominatio plenipotentiariorum, permutatio et recognitio documentorum delegationis, formulae praeviae inscriptae concordatis, aliaeque solemnitates post factam concordiam, subscriptiones cum sigillis, permutatio ratihabitionum etc.) *plane imitantur modum quo ceteri tractatus internationales ineuntur.*[1] Sic v. gr. legimus in Conc. cum Polonia: « ... Les plénipotentiaires surnommés, après l'échange de leurs pleins pouvoirs, ont arrêté les dispositions suivantes, auxquelles désormais *les Hautes Parties contractantes s'engagent à se conformer...* ».[2]

Iamvero nisi velimus dicere haec per merum lusum fieri, vel Romanum Pontificem velle illudere alteri parti, accipienda sunt prout communiter intelliguntur ab hominibus; iure ergo dicimus ea fieri quae solent comitari celebrationem contractus, ut praecise contractus ineatur.

**2. Ex clausulis finalibus concordatorum** – Clausulae eiusmodi continent solemnes et mutuas sponsiones de servandis articulis super quibus conventum est; iisdem cavetur de duratione obligationum susceptarum a quibus neutra pars recedet nisi iuxta modum in concordato praevisum, itemque controversiae de interpretatione articulorum solvendae dicuntur communi consilio, sicut fit pro ceteris tractatibus internationalibus: ea tantum igitur subintelligenda sunt quae omnino in contrarium requiruntur ex certa doctrina de superioritate Ecclesiae, in casu conflictus qui communi consilio non solvatur.

Ex. gr. in Conc. cum Austria, an. 1855, in art. 35: « ... Atque idcirco *utraque contrahentium pars spondet,* se successoresque suos omnia et singula de quibus conventum est sancte servaturos.

[1] Olivi, *Diritto internazionale,* Milano, 1911, lib. IV, § 63, p. 381, haec notat: « La forma è il simbolo esteriore di determinazione della volontà, è ciò che la significa nei rapporti fra gli uomini. Essa è necessaria in ogni evento, altrimenti le interne determinazioni del volere rimarrebbero sconosciute e non se ne ricaverebbe l'effetto pratico ».

[2] Perugini, *Concordata vigentia,* Romae, 1934, p. 33. Cfr. etiam formulas praeliminares praepositas ceteris concordatis post-bellicis, apud Perugini, op. cit.,; notetur in Conventione cum Badenia aequatio inter verba *Conventionem* et *Concordatum*: « haben beschlossen, sie in einem förmlichen Vetrage (Konkordat) dauernd zu ordnen ».



http://www.obrascatolicas.com

Si qua vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Maiestas Caesarea invicem conferent ad rem amice componendam ».[1] Concordatum Bavaricum,[2] an. 1925 stipulatum, sic de data fide super articulis de quibus conventum est concludit. « *In fede* di che i sunnominati Plenipotenziarii hanno firmato il presente concordato ».

Haec et alia multa similia documenta, clausulis tam sollemniter urgentibus inviolabilem obligationem susceptam, inexplicabilia essent, nisi admitteretur inter contrahentes existere verum pacti utrimque obligantis vinculum iuridicum. Quod vinculum sane nequit exurgere ex facto simplicis concessionis privilegiorum, cum haec de se praescindant ab obligatione synallagmatica; sed oritur utique ex voluntate quae superaddit concessioni etiam sponsionem de conservandis privilegiis correlative cum sponsione et repromissionibus alterius partis.

3. **Ex apertis declarationibus Summorum Pontificum.** – Equidem, tum in Notis diplomaticis, tum in Actis solemnibus Pontificiis, constans est et manifestus usus vocandi concordata *solemnes conventiones, tractatus, pacta conventa, pacta bilateralia.*

V. g. in controversia cum Gubernio Pedemontano, anno 1850, S. Sedes conquerebatur de violatione concordati et in notis diplomaticis haec adducebat principia iuridica de natura concordatorum: concordata esse *tractatus,* qui, ad modum *contractuum,* inducunt *obligationes utrimque servandas,* nec dissolvendas sine alterius contrahentis consensu; eademque in quantum producant utriusque contrahentis reciprocam obligationem, esse aequiparanda tractatibus internationalibus;[3] immo, Pius IX, in All. Consist.

[1] MERCATI, op. cit., Conv. CII, p. 828.

[2] PERUGINI, op. cit., Romae, 1934, p. 256. Cfr. etiam art. 34 *Conc. cum Germania;* art. 23 *Conc. cum Austria,* anno 1934; et in Prot. additionali eiusdem Concordati legimus: « In merito al Concordato... le *Alte Parti Contraenti* hanno fatto le seguenti dichiarazioni... », PERUGINI, p. 297.

[3] Nota Nuntii Antonucci ad Ministrum d'Azeglio, 18 martii 1850; circa eamdem controversiam, Card. Antonelli, a Secretis Status, Notam dabat ad Legationem Pedemontanam, die 14 maii 1850, in qua, praeter alia, haec habentur: « E poichè il governo della S. Sede si mantenne nell'esatta osservanza dei convenuti patti, aveva buon diritto di attendersi altrettanto dall'altra parte, che *insieme con essa* vi si era formalmente *obbligata.* Tanto più vi era motivo di ripromettersi tale reciprocità, etc. ». GIOBBIO, *I Concordati,* Roma, 1900, p. 65 sq. De hac controversia et de



1 nov. 1850 rem augusto suo sermone confirmabat: « Nec porro ignoratis, non solum Religionis sed etiam Civilis Ordinis, ac publicae privataeque rei omnino interesse, ut Ecclesiasticae eaedem Conventiones sanctae atque intemeratae habeantur; quandoquidem earum vi ac iure contempto et labefactato, aliorum quoque publicorum privatorumque pactorum ratio concideret ».[1]

Conceptus autem obligationi synallagmaticae iam manifestatus fuerat apertis verbis a Pio VII, qui de concordato inito cum Rege Ludovico XVIII, an. 1817, asseruit: « Haec concordata habent *vim veri contractus utrimque obligantis* ».[2]

Et *Leo XIII* in Litt. Enc. *Nobilissima Gallorum gens* (8 februarii 1884): « Cum igitur *pactis conventis* inter sacram civilemque potestatem publice aliquid constitutum est, tum profecto quod iustitiae interest, interest item reipublicae, concordiam manere integram ».[3] Et idem Pontifex, in Enc. *Au milieu* (16 febr. 1892), ad Gallos data: « ... L'un d'eux est le Concordat qui, pendant tant d'années, a facilité en France l'harmonie entre le gouvernement de l'Eglise et celui de l'Etat. Sur le maintien de *ce Pacte solennel et bilatéral,* toujours fidèlement observé, de la part du Saint-Siège, les adversaires de la religion catholique, eux-même, ne s'accordent pas... ».[4]

*Pius X autem* in Litt. Enc. *Vehementer Nos* (11 febr. 1906) obligationem bilateralem sic urgebat: « Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam *conventio* eiusmodi intercesserat *cuius ultro et citro constaret obligatio;* cuiusmodi eae plane sunt, quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. Quare et Romanus Pontifex et rei Gallicae moderator se et suos quisque successores *sponsione obstrinxere, in iis quae pacta essent,* constanter permansuros. Consequebatur, igitur, ut ista pactio eodem iure, ac ceterae quae inter civitates fiunt, regeretur, hoc est *iure gentium;* ideoque dissolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui pepigerant, nequaquam posset ».[5]

disceptatione diplomatica tunc habita circa naturam concordati, cfr. etiam AGLIARDI, op. cit., Bergamo, 1873, n. 23, p. 32 sq.

[1] *Acta Pii IX,* p. I, vol. II.

[2] Cfr. WERNZ, op. cit., p. 223, nota 27.

[3] *Acta Leonis XIII,* vol. IV, p. 16.

[4] *Acta Leonis XIII,* vol. XII, p. 37.

[5] *Acta Pii X,* vol. III, p. 28 sq.

http://www.obrascatolicas.com

Denique *Benedictus XV* in All. Consist. *In hac quidem* diei 21 novembris 1921 clare distinguit inter obiectum concordatorum quod plerumque privilegiis constituitur et ipsam *vim* harum conventionum. « Iamvero, ut alia omittamus quae usque huc possumus afferre, patet quae privilegia pridem haec Apostolica Sedes, per *pactiones sollemnes conventionesque* aliis concesserat, eadem nullo iure posse hasce Respublicas vindicare... Ex quo illud natura consequitur, ut etiam pacta et conventa, quae inter Apostolicam Sedem et eas Civitates antehac intercesserant, *vim* suam omnem emiserint ». [1]

*Pius XI,* grassante bello contra religionem in Germania, sub regimine nationalsocialistico, plures violationem permanentem obligationum quae in Concordato, inito anno 1933, ex parte Status susceptae fuerunt, coram mundo catholico ac civili patefecit, ac vim pactorum bilateralium Concordatis inhaerentem aperte et fortiter vindicavit: « Als wir, Ehrwürdige Brüder, im Sommer 1933 die Uns von der Reichsregierung in Anknüpfung an einen jahrealten früheren Entwurf angetragenen Konkordatsverhandlungen aufnehmen und zu Euer aller Befriedigung mit einer *feierlichen Vereinbarung* abschliessen liessen leitet uns die pflichtgemässe Sorge ... Jeder wird aber auch mit Befremden und innerster Ablehnung fesstellen müssen, wie *von der anderen Seite* die *Vertragsumdeutung,* die *Vertragsumgehung,* die *Vertragsaushöhlung,* schliesslich die mehr oder minder öffentliche *Vertragsverletzung* zum ungeschriebenen Gesetz des Handelns gemacht wurden ». [2]

Denique *Pius XII* in Nota diplomatica per Secretariam Status ad eundem Gubernium germanicum die 18 ianuarii 1942 missa, provocans ad omnes Conventiones initas cum Statibus foederalibus (Länder) et cum ipso Reich, sic conquaestus est: « ... von *besonderen Vereinbarungen* ab, durch die der Heilige Stuhl gerade seiner höchsten Gewalt im kirchlichen Bereich (einer Gewalt, die übrigens *anerkannt wird vom Staate,* der in einer *solchen feierlichen internationalen Abmachung* mit dem heiligen Stuhle *verhandelt*) ... ». [3]

[1] *A. A. S.,* vol. XIII, p. 521 sq.

[2] Litt. Enc. *Mit brennender Sorge,* diei 14 martii 1937 (*A. A. S.,* vol. XXIX, pp. 146 sq.).

[3] *Il Nazionalsocialismo e la Santa Sede,* Roma, 1947, p. 235.
Profecto, coram tot evidentibus documentis stat, ex adverso, argumentum ab asseclis alterius sententiae, ex tenore epistolae a Pio IX datae ad vice comitem De Bonald, die 19 iun. 1871, in laudem apusculi *Deux questions sur le Concordat de 1801,* in quo laudatus scriptor doctrinae privilegiorum principia sequitur (Wernz. op. cit., n. 172, nota 129, p. 249; Liberatore, *Chiesa e Stato,* Roma, 1872, p. 368 ss.; textum integrum Brevis pontificii habes apud Giobbio, op. cit., p. 76). De hac autem epistola, cfr. ea quae notamus in nostro *Institutiones iuris publici ecclesiastici,* Romae, 1948, vol. II, p. 331, n. 45.



**278.** Porro res plane congruit cum **origine historica et iuridica ipsoque fine concordatorum**: haec enim ideo coepta sunt stipulari, et adhuc adhibentur, ut Ecclesia libera sit ab impedimentis et ab iniustis exigentiis statolatrarum necnon ab oppugnationibus adversariorum, ut dissidia componantur et pax amico foedere consolidetur. Sed principes saeculares certe cum ea pacisci nollent, ideoque hunc finem Sancta Sedes non attingeret, nisi agnosceretur haec reciprocitas obligationis quoad observationem eorum de quibus communi consensu conventum est. Cum Gubernio *vere catholico* (quocum dumtaxat essent possibilia concordata, si vera esset sententia privilegiorum), non essent necessaria, ne relative quidem (n. 254 sq.), concordata: gubernium enim huiusmodi adimpleret officia sua absque pactis. Verum debent prae oculis haberi circumstantiae quae adigunt Ecclesiam ad ineundas has conventiones: quae cum bene perspectae habentur, facile patet Sanctam Sedem publicas declarationes saepius de obligatione ultro citroque ex concordatis orta dedisse, nedum ut sese muniret et pactorum ipsorum efficaciam tueretur, sed et ut concordatis non praecluderet viam, propter difficultates quae certe opponerentur, si principibus persuasum esse deberet se quidem *iustitia* ligari ad servanda huiusmodi pacta, non autem Sanctam Sedem.

**279. Adiuncta rerum et personarum, quae pacti bilateralis concordatarii specialem indolem constituunt.** – Maxima et fundamentalis difficultas, quae fit contra contractualistas,

http://www.obrascatolicas.com

petitur ex condicione iuridica contrahentium et ex natura rerum quae concordatorum iure reguntur. Dicunt enim privilegiarii *subordinationem* potestatis civilis sub potestate ecclesiastica pessumdari, si utraque potestas dicatur pactum ultro citroque aeque obligans inire, ideoque cum paritate condicionis iuridicae; adduntque *immutabilitatem* plenitudinis potestatis Romani Pontificis divinitus constitutam, nullis, alienationibus vel pactionibus, ne in ipsius quidem *usu,* posse ligari vel coarctari. [1]

Difficultates istae, igitur, praesupponunt: 1° non posse dari pactum bilaterale nisi inter pares, et in paritate condicionis; 2° contractu bilaterali fieri semper alienationes, saltem quoad validum usum iurium de quibus in contractu agitur.

Verum, respondetur in contractu *posse praescindi a condicione paritatis* contrahentium, ideoque posse dari contractum concordatarium in quo Romanus Pontifex necessario agat semper ut iure superior; item, in contractu concordatario *nullam fieri alienationem iurium primatus* Romani Pontificis, aut obligationes suscipi circa *validum* usum ipsorum.

Quare concordata dicuntur utique pacta bilateralia, at *non sensu stricto,* ut fiunt ubi ordinaria adiuncta rerum et personarum habentur, sed sensu aliquo latiori, in quantum in eis ratio semper habetur superioritatis Romani Pontificis, et suscipiuntur obligationes mutuae, titulo quidem *iustitiae* et *iuris gentium,* sed *non titulo strictae iustitiae commutativae, ut fit quando res vicissim alienatur.* Haec figura

[1] Cfr. Tarquini, *Institutiones iuris publici ecclesiastici,* Romae, 1892, n. 73; Wernz, op. cit., vol. I, n. 172 cum notis, p. 241 ss.; De Luca, op. cit., vol. I, p. 292 ss.; Audisio, *Iuris naturae et gentium fundamenta,* Romae, 1852, p. 365 sq.; Barba, *Diritto pubblico ecclesiastico,* Napoli, 1901, pp. 388 et 396.



*specialis* pacti, quae vocatur a nonnullis contractus bilateralis *sensu lato,* vere servat naturam pacti, ut etiam agnoscebatur ab antiquis, et simul possibilitatem contractus conciliat, inter Sanctam Sedem et Civitatum rectores, de rebus etiam sacris.

**280.** Rem breviter explicamus, adhaerentes doctrinae cl. card. Cavagnis, [1] praemittendo ea doctrinae capita quae absque discussione, ut principia catholica serventur, statui debent:

Praenotat enim cl. Auctor, 1. Ecclesiam posse et debere revocare concesssiones factas principibus, si ex mutatis circumstantiis vergant in perniciem animarum; etenim tunc fieret illicita ipsarum observatio et res deveniret ad eum statum a quo incipere non poterat; et quamvis, inito pacto, sint saepe toleranda damna physica, numquam sustinenda sunt damna ordinis moralis. In hoc casu, ad summum sequitur restituenda esse principi ea bona quae tradiderit Ecclesiae, si non fuerint aliunde debita (quod raro fit) vel alias non fuerit conventum. [2]

2. Si autem princeps ex sua parte non observet concordatum, est in facultate Ecclesiae aut rescindere contractum aut urgere observantiam eiusdem, ex regula generali de contractibus. Princeps autem, rescindens concordatum, recidit sub iure communi canonico.

3. E contra princeps nequit iure suo resolvere concordatum, si fiat noxium reipublicae civili, sed tenetur gravamina sua exponere Ecclesiae, quae profecto, et ex sua honestate et ex sua physica infirmitate (caret enim armis) modificabit concordatum. Sicut enim Ecclesia non contrahit cum intentione servandi pactum, cum aderit detrimentum animarum, ita neque Status cum detrimento suo, nisi fuerit necessarium pro bono spirituali; tunc enim potest et debet ad hoc se obligare; et iudicium huius necessitatis spectat ad Ecclesiam.

[1] Cavagnis, *Institutiones iuris publici ecclesiastici,* Romae, 1906, vol. I, n. 661, p. 417.

[2] In art. 20 *Conc. cum Lettonia,* 3 nov. 1922, legimus: «En cas de dénonciation du Concordat, les immeubles dont parle le Concordat, avec leurs immunités, restent acquis à l'Eglise Catholique et les personnes visées par le Concordat rentrent dans le droit commun de Lettonie».

http://www.obrascatolicas.com

4. Quamvis Ecclesia, ex rigore iuris, possit sola, ut superior, iudicare de pacto, tamen etiam expresse statuit supervenientes difficultates amice se composituram.[1] Sed, si Status non cederet Ecclesiae iudicio, profecto haec iure divino posset et deberet sola procedere; nec enim salus animarum impediri potest quacumque auctoritate aut pactione.

Nec desunt in recentioribus Concordatis dispositiones in quibus clare elucet Ecclesiam sibi illam libertatem reservasse cui in rebus controversis, ne Concordatis quidem, renuntiare potest. Cfr. v. gr. Protocollum finale *Conc. cum Germania,* clausulam relativam ad art. 14, comma II, n. 2. Apertius in Protocollo additionali *Conc. Austriaci,* anni 1933, clausula ad art. 4, par. 2°.

5. Videndum est autem utrum res, quae ex parte Ecclesiae in Conventionibus promittuntur, obiectum esse possint veri pacti, obligationem iustitiae inducentis. Negant enim asseclae alterius sententiae,[2] quasi id secumferret *alienationem et imminutionem iurium primatus.* Profecto, notat Cavagnis,[3] si potestas Ecclesiae vel Pontificis imminueretur ex pactis susceptis et obligantibus, admitti non posset haec obligatio. Verum negamus ex pacto imminui potestatem paciscentis: secus Dei omnipotentia imminuta esset, quia Noë promisit in perpetuum non amplius diluvium vastaturum terram: et ita dicatur de multis aliis Dei promissionibus sive Veteris sive Novi Testamenti. Certissimum enim est has promissiones a Deo libere factas ab eo servandas esse. Ergo aliqua aequivocatio latet in proposita difficultate.

**281.** Equidem distinguendum est inter **ius et exercitium iuris**: seu inter complexum facultatum, quae constituunt primatum Romani Pontificis potestatemque Ecclesiae, et modum quo exerceri possunt eadem iura, disponendo de mediis quibus finis Ecclesiae obtinetur. Pontifex namque de mediis debet iudicare, et opportuniora seligere, quae in sua potestate sunt, ad finem Ecclesiae promovendum; quare si in concreto, attenta hominum malitia aliisque circumstantiis, opportunum ei videatur ab usu nonnullorum iurium abstinere, vel circa modum exercitii eorundem admittere quaedam temperamenta, ne in maius discrimen Ecclesia adducatur, potest id libere statuere et hanc voluntatem suam publice declarare, immo etiam pacto firmare; potest enim se suosque successores ligare ad ea omnia quae ad opportuniorem et utiliorem iurium Ecclesiae usum conferunt.

Et quidem *ligat se non quoad* **validitatem** *actuum,* quia potestate sua non expoliavit se suosque successores, sed tantum *quoad modum exercitii* obligationem suscipit; quare, si contra statuta in conventionibus agat, *iniuria* quidem agit (nisi ratio sufficiens habeatur), **illicitum** actum ponit, sicut aliunde actum illicitum posset ponere, in exercendo munere, ob laesionem caritatis, vel prudentiae vel pietatis etc., sed actus, positus vi suae potestatis, semper erit efficax ad legitimos effectus producendos.

**282.** Patrocinatores sententiae privilegiorum aliam quoque difficultatem proponunt, asserentes concordata, si essent vere pacta bilateralia, **crimen simoniae** secumferre propter commutationem temporalium rerum cum spiritualibus.[1]

Verum omnino negandum consequens. Equidem cum simonia sit *studiosa voluntas* emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali adnexum,[2] essentiale elementum ad crimen simoniae

---

[1] Cfr. v. g. *Conc. cum Bavaria,* art. 15, § 1; *Conc. cum Italia,* art. 44; *Conc. cum Romania,* art. 22; *Conc. cum Germania,* art. 33; *Conc. cum Austria,* art. 22; *Conc. cum Hispania,* art. 35.

[2] Plerumque tamen argumenta ipsorum directe spectant ad oppugnandam theoriam pactorum bilateralium sensu rigoroso sumptorum. Unde WERNZ: «Quamvis patroni huius sententiae a nonnullis argumentis suorum adversariorum sese expedire possint, tamen rigidiores asseclae huius theoriae v. g. Schulte aliique, contra principalia tela sese tueri non possunt». Op. cit., vol. I, p. 248.

[3] Op. cit., vol. I, n. 678, p. 430.

[1] WERNZ, *Ius Decretalium,* Prati, 1913, vol. I, n. 172, III, p. 259 ss.; TARQUINI, op. cit., n. 73, p. 73 sq.; RADINI-TEDESCHI, *Chiesa e Stato in ordine ai Concordati,* p. 149.

[2] S. THOM., II, II, q. 100, art. 1.



http://www.obrascatolicas.com

constituendum est in prava voluntate comparandi bonum spirituale cum temporali, ex qua comparatione et appretiatione exurgit intrinseca simoniae malitia, per quam iniuria afficitur et despicitur id quod spirituale est. Haec autem studiosa voluntas in casu omnino deest: nam Romanus Pontifex non concedit principi spiritualia his comparando temporalia, seu quasi compensationem pro temporalibus, sed solummodo bonum spirituale Ecclesiae iuraque eius tueri in mente habet, privilegiis animos Principum alliciendo. Igitur aliud est privilegia concedi a Pontifice intuitu protectionis spiritualis quam spondet princeps, aliud concedi ut aequivalens bonis temporalibus iuxta mentem tradentis. Si primum dicendum esset simonia, tunc permulta privilegia a RR. PP. saepe concessa principibus actus simoniaci essent habenda, ipsaque concordata *etiam in hypothesi privilegiorum* ut simoniaca considerari possent.

**283.** Demum privilegiarii, ut sese expediant a vi probativa argumentorum quae deduxímus ex tenore concordatorum necnon ex documentis Sanctae Sedis, dicunt verba illa esse sensu *improprio* vel *lato* accipienda. [1]

Respondemus interpretationi locum fieri, quando agitur de textibus *obscuris* vel *ambiguis*. Etenim a canonistis definitur interpretatio: « legis obscurae vel obliquae explanatio »; hinc patet non esse opus interpretatione pro illis locis in quibus non datur obscuritas aut obliquitas. Profecto, in documentis allatis habetur terminologia *constans*, verbis *claris, technicis* et *evidentissimis* quibus voluntas exprimitur duarum partium contrahentium. Igitur omnino superflua, illegitima et insincera esset quaelibet detorsio verborum ad alias significationes praeter illam quam communiter, apud omnes bona fide contrahentes, habent.

Immo, eo vel magis excludenda est talis impropriatio verborum, quia re id conduceret ad sensum contrarium tribuendum verbis, praeter sensum naturalem et communem quem habent apud omnes.

Tum solum necessaria esset peculiaris acceptio, diversa a communi acceptione, cum certe requireretur ab indubia doctrina

[1] Wernz, op. cit., n. 172, not. 129, p. 248 ss.



catholica: in casu autem id non verificatur, nisi pro indubia doctrina catholica velimus habere sententiam privilegiorum. Et eo vel magis excludenda in casu impropriatio verborum, quod agitur de actibus *diplomaticis*, qui, ubi non obstat ratio specialis et certa, etiam pro actibus Sanctae Sedis, reguntur normis iuris internationalis. Iamvero prima regula servanda in istis negotiis haec est; ut videlicet omnis actus, qui publicam fidem facere debeat inter personas iuris internationalis, redigatur vocibus claris, praecisis, non ambiguis, impropriis, non indigentibus interpretatione, sed sensu litterali rem aperte designantibus; haec autem regula absque ulla difficultate applicari potest etiam quoad concordata.

## Articulus III

### Concordata et tractatus internationales

**284.** ***A*) Concordata sunt in genere pactorum internationalium; *B*) licet specialem habeant indolem qua a ceteris tractatibus distinguuntur.** – *A*) Certum enim est has conventiones tum ratione *formae*, tum ratione *modi* quo ineuntur, plane imitari ceteros tractatus iuris publici internationalis; insuper *personae*, quae contrahunt et subiectum sunt conventionis, sunt pariter personae capaces ita contrahendi, ut fiant subiectum obligationum internationalium; porro *vinculum iuridicum*, quo regitur obligatio concordataria, est vinculum iuris gentium.

Equidem plane elucet vis verborum quibus Summus Pontifex Pius X naturam concordati cum Gallia initi sic describebat: « Apostolicam Sedem inter et Rempublicam gallicam conventio eiusmodi intercesserat, cuius ultro et citro constaret obligatio; *cuiusmodi eae plane sunt, quae inter civitates legitime contrahi consueverunt...* Consequebatur igitur, ut ista pactio eodem iure, ac ceterae quae inter civitates fiunt, regeretur, hoc est *iure gentium* ». [1]

[1] Enc. *Vehementer Nos*, 11 febr. 1906 (*Acta Pii X*, vol. III, p. 28 sq.). Circa *formam* et *modum* quo ineuntur Concordata, recolantur quae scripta sunt sub nn. 262 et 277 ss.

http://www.obrascatolicas.com

Ad personam contrahentes vero quod spectat, capacitas Sanctae Sedis patet ex condicione qua ipsa de iure et de facto pollet in ordine internationali. Verum quidem est tractatus internationales definiri conventiones initas inter *Status* tamquam subiecta iuris publici internationalis, circa negotia communis utilitatis, sed pariter verum est tamquam subiectum iuris publici internationalis haberi, et habendam esse, etiam Sanctam Sedem; immerito igitur excluderetur notio generica tractatus internationalis a notione concordati, quasi deesset ex una parte persona capax, quia videlicet Ecclesia non est quaedam Civitas seu Status. Est enim Ecclesia *societas iuridice perfecta* sicut Status, et Sancta Sedes, quae eius personam gerit, etiam de facto consideratur ut subiectum iuris publici internationalis. Hinc si nomen specificum tractatus internationalis vellet reservari solummodo pro conventionibus quae initae sunt inter Status, quaestio esset tantum de nomine; sed vis iuridica substantialiter est communis omnibus conventionibus quae inter societates perfectas ineuntur, etiam concordatis, ita ut concordata, tamquam tractatus intersociales, sub eadem generica notione veniant ac ceteri tractatus internationales, licet habeant suas notas specificas distinctivas.[1]

*B*) Habent autem concordata indolem tractatus internationalis seu *intersocialis* singularis speciei, quia in his conventionibus, ut iam dictum est (n. 279), *praescinditur a paritate* contrahentium et quia, *ratione materiae,* specialibus normis reguntur, quae vim suam practice exserunt, praesertim ubi agitur de interpretatione et dissolutione concordatorum.[2]

[1] Ad rem merito Olivi,, op. cit., p. 363: « La questione non è che di nome, imperocchè la Chiesa è società perfetta e suprema in se stessa indipendentemente dallo Stato e quindi tali accordi, se non si diranno esattamente internazionali, saranno, come abbiamo altrove notato, *intersociali*: la sostanza delle cose non sarà alterata per guisa veruna e le regole che governano i trattati si applicheranno del pari ai Concordati », servatis utique servandis. Cfr. in Wagnon, *Concordats et droit international* (Louvain, 1935), cap. II « La condition internationale de l'Eglise catholique », p. 40-77, necnon cap. IV et sq. de charactere pacti internationalis in Concordatis p. 86-112.

[2] Jung, *Le Droit publique de l'Eglise dans ses relations avec les Etats,* Paris, 1948, p. 188.



Neque ulla difficultas videri debet, quasi inconciliabiles sint conceptus harum restrictionum, cum conceptu substantiali tractatus: certum quidem est, notat cl. Pasquazi,[1] concordata « quoad materiam saepe non convenire cum tractatibus quos mutuo ineunt Status; pariter, discrimen adest circa personas contrahentes quae non sunt iure aequales, *tamen exinde non sequitur* huiusmodi pacta regi vel a iure publico interno Statuum vel a iure Ecclesiae, quia reguntur et regi possunt tantum a iure contractuali quod fundatur supra principium: pacta sunt servanda, et quod, ut in introductione generali vidimus, constituit fundamentum necessarium obligationis cuiuslibet conventionis internationalis. Concordata igitur, sicut tractatus, reguntur principiis iuris gentium ideoque recte recenseri possunt inter tractatus internationales ».

**285. In interpretatione concordatorum,** itaque, nulla difficultas est quod applicentur plures regulae de interpretandis tractatibus internationalibus. Id unum heic notandum est, plane singulare et proprium concordatorum, quod videlicet, si in interpretatione conflictus oriatur, frustra collatis ad invicem consiliis ad rem amice componendam, Ecclesia, qua societas iuridice superior, sive ex potestate sua directa, sive ex potestate indirecta, pro negotiorum diversitate, rem *auctoritative* dirimere valet.

**286. In derogatione et rescissione concordatorum,** pariter, pleraeque normae iuris internationalis applicari possunt.

Concordata cessare possunt vel totaliter vel partialiter. Partialiter quidem cum alterutri parti fas sit recedendi ab obligationibus aliquorum articulorum tractatus, quia videlicet unum aut alterum articulum, vel plures, ratione circumstantiarum aut ob mutationem materiae, adhuc observare impossibile sit; totaliter vero cum ob unam ex cau-

[1] Pasquazi, *Ius internationale publicum,* Romae, 1935, p. 184.

http://www.obrascatolicas.com

sis infra numerandis, concordatum fit ipso iure deciduum, vel alterutri parti ius acquiritur ab eodem recedendi.

Cessant igitur concordata:

1° **Ex mutuo consensu,** qui potest esse etiam praeventive expressus, ut, puta, si in clausulis concordatariis definitur tempus quo durabit conventio;[1] quod si partes consentiant, possunt conventionem rescindere etiam de se perpetuam, vel possunt ante exspirationem temporis praefiniti ab ea recedere; nam omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem et dissolvitur.

2° **Per denuntiationem,** iure factam, quae habetur cum ob iustas causas notificatur alteri parti voluntas resiliendi a conventione. Denunciatio vero fit iure: *a*) quando partes *mutua consensione* in ipsa stipulatione concordati hoc ius sibi reservarunt. Generatim notificatio debet praecedere statuto tempore rescissionem.

*b*) *Ob mutationem substantialem,* quae supervenerit in condicionibus vel circumstantiis. Nam concordatum iisdem saltem tacitis condicionibus subiacet quibus reliquae conventiones sunt obnoxiae. Utriusque enim partis voluntas est suscipiendi obligationes possibiles tantum, et quoadusque maneant possibiles. At hic considerandus est praetextus quo in Germania saepius violatae sunt dispositiones concordatariae. Pluries enim a « rassismi » fautoribus conclamatum est omne vinculum sive iuridicum sive naturale, vim obligandi amittere cum exigentiae stirpis (Rasserazza) aliud conclamant.[2] Hoc ratiocinio nulla conventio amplius stipulari posset, cum ad arbitrium gubernantium unilateraliter disrumpi valeret. Et quidem brevi lapsu temporis factum est in Germania, ut id quod in bonum nationis videbatur stipulandum anno 1933, idem iam, ob assertum bonum vel exigentias stirpis, immutandum vel denegandum dicebatur annis immediate sequentibus. At vero nihil acciderat interim in Germania quod poneret res in eo statu a quo incipere non potuissent: idem manebat regimen, eaedem circumstantiae sociales ac illae quae comitabantur stipulationem Concordati!

[1] Cfr. v. gr. art. 20 *Conc. cum Lettonia,* anni 1922.

[2] Cfr. proposit. 2ª et 6ª ex elencho Congr. Seminariorum et Universitatum, die 13 aprilis anni 1938, de falsis circa stirpem dogmatibus refellendis.



Aliud vero dicendum videtur de caducitate Concordati in Hispania. Etsi enim natio eadem integra manebat post revolutionem anni 1931, paulatim ibi res ita processit ut non mera mutatio regiminis facta dici posset, sed talis abdicatio a principiis christianismi, talis effrenata persecutio religiosa legaliter constituta, talis eversio ordinis iuridici, ut optime dicendum fuerit res, quoad concordatum, incidisse in eum statum a quo incipere non poterant.[1] Igitur, mutatio condicionum et circumstantiarum potest efficere ut moraliter impossibilis evadat adimpletio obligationis.[2]

*c*) *Ob violationem conventionis,* ab una parte factam, ius est alteri denunciandi concordatum, si velit. Est enim regula communis qua reguntur omnia pacta, etiam iuris publici internationalis, quod si fallit una pars in adimplendis obligationibus pacticiis, libera relinquitur per hoc altera pars recedendi a tractatu.[3]

3° **Praescriptione** vel **consuetudine** possunt quoque concordata cessare; id fere omnes certum habent. Neque sane est ratio cur hic modus, quo ceterae leges ac omnes contractus cessare possunt, non valeat eosdem effectus producere pro concordatis.

4° **Per interitum Status** contrahentis seu per radicalem mutationem personae contrahentis cum Ecclesia. Ut iam notavimus (n. 266 ss.), cum concordata afficiant societates non autem dynastias aut regimen, ad caducitatem concordati requiritur cessatio reipublicae, non simplex mutatio regiminis. Porro aliquando Status, licet non intereant, tamen tam radicaliter mutantur ut non amplius censeri possit manere eadem persona iuridica quacum Sancta Sedes contraxit.

**287. Dispositiones concordatariae non deciduae.** – Caute notandum est cum ipsa totali cessatione concordati conciliari

[1] Obiiciat quis si hoc verum est pro Hispania, idem dici deberet de Concordato germanico ob mutationes inductas a regimine hitleriano. Verum omnino negatur paritas, quia immutationes iuridicae in Germania inductae respectu iurium ecclesiasticorum non attinxerunt limen extremum et totale in Hispania a communistis inductum.

[2] Giobbio, *I Concordati,* Roma, 1900, n. 108, p. 85. Vix opus est notare violationes, historia teste, de facto habitas fuisse ex parte Civitatum dumtaxat. Cavagnis, op. cit., vol. I, n. 705, p. 447; Wagnon, op. cit., p. 286 ss.

[3] Id dimetiendum est ante omnia iuxta normas iuris internationalis: quoad res religiosas, recole quae supra diximus de Hispania.

http://www.obrascatolicas.com

posse constantiam nonnullarum dispositionum quae titulis specialibus reguntur.

1. Primo quidem, ubi per concordata factae sunt translationes dominii, seu ubi ius *in re* concessum fuit, manet proprietas rerum apud eos quibus concessa fuit. [1] Hinc v. gr. Ecclesia nequit revocare bonorum temporalium concessiones concordatis factas in favorem Status qui eadem usurpaverat, nisi concordatum ab Ecclesia denuncietur ob violationem a Statu factam. [2] Vicissim, si Status bona temporalia Ecclesiae concessit, beneficia aut paroecias dotavit, etc., rescisso concordato, manent talia bona in dominio institutorum quibus concessa fuere, eo vel magis quod Status plerumque aliis quoque titulis ad haec bona tradenda teneatur.

2. Aliquando in concordatis habentur dispositiones quae ita spectant immediate disciplinam et bonum populi christiani, atque ita inhaerent territorio, independenter a mutationibus politicis, ut etiam post caducitatem concordati vim suam plene exerant; tales sunt v. gr. circumscriptiones dioecesanae, delimitatio dierum festorum, reductio dierum abstinentiae et ieiunii, etc.

3. Demum notandum est quod, ubi Status promittit se servaturum ea ad quae iam officio sanctissimo seu iure divino teneretur, puta tuitionem libertatis Ecclesiae, protectionem exercitii sacrae iurisdictionis, etc., si concordatum cessat quoad ceteras res, ob legitimas causas, semper tamen sustinebitur obligatio servandi haec iura Ecclesiae.

**288. De concessionibus concordatariis metu, vi aut dolo extortis.** – Cum concordata sint contractus, evidenter oportet ut contrahentes, sicut in ceteris pactis, habeant, praeter quam potestatem, etiam voluntatem se libere obligandi; oportet igitur ut consensus sit libere expressus nec dolo vitiatus. Hac autem de re applicari possunt concordatis normae quae respiciunt tractatus vi, dolo, aut metu extortos.

[1] WERNZ, op. cit., vol. I, n. 175, p. 259 ss.

[2] Quo in casu eadem adiuncta verificari possunt quae locum habent cum quis iure etiam liberalem donationem revocare potest. Vid. LUGO, *De iustitia et iure*, disp. 23, n. 167 ss.



Ubi vero tractatus quicumque tali defectu laborat ut non iam invalidus ex se sit sed solum rescindibilis, rescissio eo vel magis locum habere debet praesertim in concordatis, cum in eis agatur de rebus quae plerumque directum influxum habent in res conscientiae. Unde exstat memoria dignum exemplum humilitatis et apostolicae dignitatis a Pio VII exhibitum, cum concessiones sibi per vim extortas a Napoleone apud Fontainebleau, penitus retractavit.



http://www.obrascatolicas.com

# APPENDIX

## « Actio Catholica » ad Christi Regni restaurationem in Civitatibus

**289.** **Actio catholica** est « *participatio laicorum hominum apostolatui hierarchico Ecclesiae* »,[1] quia in ea habetur socialis organizatio laicorum, in singulis nationibus per organa centralia ad unitatem quandam reducta, et consecrata apostolatui, in auxilium et sub dependentia hierarchiae catholicae, ad *regnum Christi* provehendum in individuis, in familiis, in civili rei publicae consortione.

*Obiective* sumpta actio catholica est omnium eorum summa seu complexio institutorum, consiliorum et operum, quibus laici homines vires suas impendunt ad provehendos fines apostolatus hierarchici.

*Finis* supremus actionis catholicae est « fidei doctrinaeque christianae principia cum late disseminanda, tum valide tuenda, tum denique privatim publiceque promovenda ».[2] Est igitur scopus *spiritualis*. « ... Actio eiusmodi non externa prorsus sed spiritualis, non terrena sed caelestis, non politica sed "religiosa" dicenda est ».[3] Maximi momenti est prae oculis habere actionem catholicam, cum evolvatur *in* civili hominum consortione seu societate et *pro* ipsa hominum consortione seu societate, vere esse actionem *socialem*: qua in re ut fundamentalis tabula haberi etiam

---

[1] Est definitio a Pio XI in pluribus orationibus data, cuius substantia iam invenitur in primo huius Summi Pontificis sollemni documento, scil. in Litt. Enc. *Ubi arcano Dei*, 23 dec. 1922: « Illud porro in Christifidelium mentes revocate, quod cum ii, vobis cleroque vestro auctoribus, in provehenda Christi cognitione et amore publice privatim inculcando navant operam, tum demum maxime digni sunt qui salutentur genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (*I Petr.*, II, 9), (*A. A. S.*, vol. XIV, p. 695).

[2] Ep. Pii XI ad Card. Bertram, Archiep. Breslaviensem (*A. A. S.*, vol. XX, p. 385).

[3] Ita Pius XI in praedicta ep. enc., l. c.

http://www.obrascatolicas.com

debet haec quae sequitur Pii XI declaratio, vi cuius omnes cavillationes et aequivocationes adversariorum contra *catholicismum politicum,* uti aiunt, apprime dirimuntur. « Verumtamen eam ipsam iure meritoque "socialem" dixeris, cum id sibi propositum habeat, ut Christi Domini regnum proferat, quo quidem proferendo cum summum omnium bonum societati acquiritur, tum cetera quaeruntur bona, quae ab illo profiscuntur, ut sunt *quae ad statum Civitatis pertinent et politica vocantur, scilicet bona non privata ac singulorum propria, sed civibus omnibus communia...* ».[1] Nam Actio Catholica debet, ut apostolatui famuletur et adlaboret, Christi regnum provehere nedum in animis singillatim sed et in familiis et in societate, cum omnibus suis, quae extrinsecus patent, formis activitatis humanae; quia oportet Christum regnare in civili cultu et in iure publico, in scholis et in moribus, in typicis impressionibus et in arte, in solutione quaestionum socialium et internationalium; nihil causarum excipitur, quia nihil est quod non bonum, quod non sub christiana inspiratione fieri debeat; et hoc sensu, curando scil. bonum *πόλις* bonum vid. politici consortii, praescindendo a factionibus, vere Ecclesia eiusque ministri eiusque actio catholica rem politicam tangere possunt, praesertim si res politica tangit altare resque sacras.

Ii igitur vere cavillantur qui organizationem actionis catholicae, cum suis rationibus, cum suis socialibus adminiculis, impedire volunt, quasi politicum genus per haec attingat,[2] dum aliud est politica factionum et aliud est politica curandi bonum sociale ex praxi vitae christianae et ex influxu principiorum christianorum in vita sociali.

---

[1] Ex eadem Ep., l. c.

[2] « Come se stendardi, distintivi, tessere e simili forme esteriori non siano oggigiorno comuni, in tutti i paesi del mondo, alle più svariate associazioni e attività che nulla hanno e vogliono avere di comune colla politica: sportive e professionali, civili e militari, commerciali e industriali, scolastiche e di prima fanciullezza, religiose della religiosità più pia e devota e quasi infantile, come i crociatini del Sacramento ». Litt. Enc. *Non abbiamo bisogno,* 6 iulii 1931 (*A. A. S.*, vol. XXIII, p. 294). « Tutti quelli che conoscono e vivono la vita d'oggi sanno che non vi è iniziativa e attività — dalle più spirituali e scientifiche fino alle più materiali e meccaniche — che non abbia bisogno di organizzazione e di atti organizzativi, e che questi come quella non si identificano con le finalità delle diverse iniziative ed attività, ma non sono che mezzi per meglio raggiungere i fini che ciascuna si propone ». Litt. Enc. cit., p. 296.



**290. Actio Catholica et eius manifestationes sociales.** – Ex dictis igitur patet actionem catholicam, ut est laicorum allaboratio apostolatui hierarchico, frui, quoad campum activitatis, eadem amplitudine qua ipse apostolatus hierarchicus; patet scil. eamdem complecti omnes formas activitatis culturalis, oeconomico-socialis, caritativae et adsistentialis etc., quae attinguntur ab apostolatu proprio Ecclesiae; et quidem eas complecti eodem modo quo in ipso apostolatu continentur, aut directe et immediate, aut indirecte et mediate.

Et quia iustitia, caritas, beneficentia, educatio iuventutis, semper fuerunt res circa quas competentia Ecclesiae directe versabatur, ideo omnia opera et instituta et formae activitatis quae ad ea referuntur, habendae sunt ut legitimus campus actionis catholicae socialis, directe quidem. Quae vero in ordine iuris seu iustitiae directe ad ordinem politicum et civilem tantum spectant, indirecte possunt Ecclesiam et ideo Actionem catholicam respicere, quatenus necessarium sit tueri, in ordine etiam legali, oeconomico, politico, legem Dei regnumque Christi.[1]

**291. Iuridica munimina Actionis Catholicae.** – Primum igitur fundamentum iuridicum, quo innititur Actio Catholica, est liberum ius datum a Christo Ecclesiae suae suisque ministris (quibus laici Actionis Catholicae allaborant) praedicandi evangelium omni creaturae, docendi servare omnia quaecumque Christus ipse mandavit, seu propagandi regnum Christi in individuis, in familiis et in societate.

---

[1] Unde laudat Pius XI consortium associationum operariorum catholicorum, in Germania, quod iuxta principia a Sancta Sede saepius inculcata maxima utilitate opus socialis constructionis prosequatur: « sia col favorire opportuni provvedimenti e leggi protettrici dello Stato, sia col promuovere la collaborazione delle organizzazioni operaie, sia con la debita disciplina del consumo, col provvido incremento del risparmio, procurando pure sane abitazioni, necessarie per una felice ed onesta vita coniugale e di famiglia, ciò che è a difesa dei diritti dell'operaio e ad incremento del suo benessere, massime di fronte al prepotere della colossale industria contemporanea. E quel che più conta voi procurate tanti benefici come atti di giustizia e di carità sociale e non come risultato di lotta di classe nata nell'odio degli uni contro gli altri o di soverchia bramosia di agiatezza terrena » Ep. ad Praesidem « der katholischen Arbeitervereine », Monachii in Bavaria, 29 nov. 1929.

http://www.obrascatolicas.com

Sic mandatum Christi intellexerunt primi christiani, qui Apostolis allaboravenrunt, memores quod Deus unicuique mandavit de proximo suo.[1] Itaque actio catholica « aetati ipsae apostolicae non ignota, quandoquidem Paulus in epistola ad Philippenses (c. IV, v. 3) « *adiutores suos* » commemorat, cupitque adiuvari « *illas, quae* » secum ipso « *laboraverunt in evangelio* ».[2] Procedentibus autem temporibus, potissimum autem nostra aetate, cum fidei morumque integritas in discrimen quotidie periculosius vocatur, actioni catholicae plus confidendum est, quippe quae datis multiplicatisque clero laborum sociis e laicorum ordine, tanta promoveat in universo mundo caritatis, instructionis, oeconomiae privatae et publicae opera atque instituta, quae utilitates non privatas ac singulorum proprias tantummodo, sed civitati universae communes, ideoque sociales, protulerunt ed adhuc proferunt.

I. Hinc est quod ipsum *ius canonicum* laicorum cooperationem praevidet tum quoad catecheticam institutionem (can 1303 § 1) tum quoad bonorum ecclesiasticorum administrationem (can. 1520); et in C. I. C. laudantur fideles qui associationibus ab Ecclesia erectis vel commendatis sua dant nomina.[3] Itaque, nemo est qui non videat maximum *munimen Codicem Iuris Canonici* actioni catholicae afferre, cum nemo ignoret ipsos Summos Pontifices operam navasse statuendis, probandis et perficiendis Actionis Catholicae statutis.

II. Aliud fundamentum iuridicum libertati actionis catholicae praebet ipsa, quae naturalis est, *libertas associationis* quatenus

[1] *Eccl.*, 17, 12.

[2] Ex ep. ad Card. Bertram (*A. A. S.*, vol. XX, p. 384). Et S. Paulus in *Ep. ad Rom.*, c. XVI plures salutat viros, mulieres, captivos, quoque, qui in suis apostolicis laboribus eidem adfuerant; nonnullos autem idem Apostolus memorat etiam in ep. ad *Philipp.* Cfr. et *Ep. Iª Petr.*, c. II, 5 et 9. Unde Tertullianus hoc sensu bonos laicos nuncupat sacerdotes (*De exhortat. cast.*, lib. 4, c. 8 (M. L., t. II, 922). Ampliora habes in Will, *Die kath. Aktion*: Biblische und dogmatische Grundlangen, II ed., München, 1932. Quoad doctrinam Patrum exhortantium fideles laicos ut adlaborent animarum saluti, cfr. Tromp, *De Corpore Christi Mystico et Actione Catholica ad mentem S. Ioan. Chrysostomi*, Romae, 1933. Pro Congregationibus Marianis praestat prae oculis habere quae Summus Pontifex Pius XII statuit in Epistola ad Praep. Generalem Societatis Iesu, diei 15 apr. 1950 (*A. A. S.*, vol. XLII, p. 437 ss.).

[3] Ita can. 684: « Fideles laude digni sunt, si sua dent nomina associationibus ab Ecclesia erectis vel saltem commendatis ».



bonis civibus ius competit, prout iam demonstravimus (nn. 12, 113, 120), sese suasque vires uniendi ad fines honestos et utiles adipiscendos;[1] quae quidem libertas associationis etiam *iure constitutionali* civilium nationum hodie passim fulcitur.[2] Iamvero cum huic naturali iuri non alia limitatio licite poni possit quam quae aut ex damno tertii, aut ex necessitate boni publici vel ordinis socialis tuendi exurgit, cumque finis actionis catholicae talis sit qui neque aliis incommoda neque reipublicae damna ex se ferat, sed potius pacem, ordinem, probos mores, cultum recte foveat, sequitur in huius naturalis libertatis iuridica explicatione, Actioni catholicae nullam limitationem sed potius *favorem* esse exhibendum.

Quare merito concludit Pius XI: « Ex his apparet eam patrocinio dignam esse non modo Episcoporum et sacerdotum — qui probe norunt ipsam Nosmet in oculis Nostris ferre — sed etiam gubernatorum ac magistratuum cuiuslibet Civitatis: quodsi communi eiusmodi patrocinio fulciatur, iam mirificam fructuum ubertatem in gentes catholicas proferet, et ubivis, religionem in animis excitando, non parum ad civilem prosperitatem conducet ».[3]

III. Sed est insuper pro actione catholica, in pluribus Rebuspublicis, iuridicum fulcimentum in ipsis *Concordatis*, ut infra exponemus.

**292. Actio Catholica et ius concordatarium.** – 1. Iam primum concordatum postbellicum, illud scilicet quod anno 1922 cum *Lettonia* initum est et cum exordiis Pontificatus Pii XI coincidit, in art. 13 expresse cavet de libertate agendi *associationum catholicarum*, quibus eadem iura tribuuntur ac illa quae addicuntur consociationibus a Statu recognitis;[4] inter has autem associationes

[1] Item Leo XIII in Litt. Enc. *Rerum Novarum* (*Acta Leonis XIII*, vol. XI, p. 135).

[2] Cfr. ex gr., art. 124, Const. « Reich » (1919); art. 18, *Lithuaniae* (1926); art. 5, 29, *Romaniae* (1923); art. 5, *Poloniae* (1935); art. 5 novissimae Constitutionis Italicae.

[3] Ex cit. Ep. ad Card. Bertram, p. 387.

[4] « La République de Lettonie ne mettra pas d'obstacles à l'activité, contrôlée par l'Archevêque de Riga, des associations catholiques en Lettonie, lesquelles auront les mêmes droits que les autres associations reconnues par l'Etat ».

http://www.obrascatolicas.com

catholicas haud dubium quin habendae sint etiam sodalitates illae, quae proprie ad Actionem Catholicam spectant, obnoxiae Archiepiscopi Rigensis auctoritati.

2. Haec rudimentalis formula tuitionis concordatariae pro actione catholica, paucos post annos explicito modo evolvebatur in Concordato cum *Lithuania,* quod in art. 25 expresse cavet *a*) de libera facultate organizandi associationes actionis catholicae, et *b*) de plena libertate agendi eorundem consociationum, ad fines suos prosequendos.[1] Concordatum eas discernit duobus istis characteribus distinctivis: 1° quod prosequantur fines praecipue religiosos; 2° quod ab Ordinarii auctoritate dependeant.

Verum notum est quo sensu restrictivo civiles auctoritates Lithuaniae intellexerint illa verba « poursuivant des buts principalement religieux ». Constat autem finem actionis catholicae esse utique finem religiosum, sed ad hunc prosequendum utilia esse quaedam media quae licet non directe, tamen mediate et indirecte, ad id conducunt: sine quibus, frequenter omnino vacui et steriles manerent nisus catholicorum promovendi vitam populorum christianam; talia sunt v. gr. bibliothecae, patronatus scholastici, campi ludorum vel gymnicis exercitiis faciendis ad iuventutem alliciendam, etc.

Lithuanicum regimen autem praesertim contra tyronum consociationes suorum decretorum vim acuit, ut patet ex ordinatione Ministerii Instructionis 7 septembris 1930, qua consociatio supprimebatur ab alumnis scholarum secundi ordinis inita et personalitate iuridica aucta (Ateitininkai). Neque plena libertatis agendi iura Actionis Catholicae ibidem agnoverunt, cum v. g. liberum epistolarum commercium consociationibus catholicis prohibitum fuerit ut patet ex instructione (n. 8481, ann. 1931) data a *tabellarum diribitorii* regimine.

3. Hinc in Concordato cum *Italia,* art. 43, ad indicandam plenitudinem libertatis in agendo, quae Actioni Catholicae Italicae vindicatur, apertius declarabatur amplitudine huius activitatis, sub dependentia hierarchiae Ecclesiae et extra quamlibet factionem politicam, omnia contineri quae diffusionem et actuationem

[1] « L'Etat accordera pleine liberté d'organisation et de fonctionnement aux associations poursuivant des buts principalement religieux, faisant partie de l'*Action Catholique* et, comme telles, dépendant de l'Autorité de l'Ordinaire ».



principiorum catholicorum spectant:[1] qua in re, nemo non videt gubernium italicum debuisse recognoscere ius adhibendi media et organizationem, quae ad efficacem consecutionem finis actionis catholicae requiruntur, iuxta ea quae supra exposuimus, n. 290.

At successit infelix discidium anno 1931, cum notis vexationibus contra iuventutis catholicae consociationes, ob *praetextum*[2] collusionis cum factionibus politicis, re autem quia monopolium educationis a regimine susceptum aegre ferebat omnia media quae a sacerdotibus adhibebantur ad alliciendam iuventutem pro consecutione finis religiosi; talia media subsidiaria sunt: recreationes gymnicae, theatrica, opera adsistentiae, etc. Itaque ad controversiam solvendam fuit opus peculiari conventione,[3] qua de his mediis adhibendis cavebatur.

4. Experientia huius controversiae Ecclesiam movit ut postularet in sequentibus concordatis clariores adhuc dispositiones et cautiones circa varia genera activitatis Actionis Catholicae. Qua de causa, in Concordato cum *Germania,* anno 1933, art. 31, consociationes catholicae, cum suis finibus « religiosis, culturalibus et caritativis », a Statu agnoscendae et praesidio quoque eius tuendae dicuntur, et quidem « in suis institutis ac operibus »; et expresse edicitur actionem catholicam posse etiam illas consociationes comprehendere quae ad *sociales,* vel *professionales* quoque fines prosequendos conditae sunt. Praestat igitur integrum referre articulum 31, latine translatum:

« Organizationes et associationes catholicae quae unice finem religionis, instructionis (kulturellen) et caritatis habeant, quaeque ut tales ab Auctoritate ecclesiastica dependeant, in suis institutionibus et activitate protegentur.

[1] « Lo Stato italiano riconosce le organizzazioni dipendenti dall'Azione Cattolica Italiana, in quanto esse, siccome la Santa Sede ha disposto, svolgano la loro attività al di fuori di ogni partito politico e sotto l'immediata dipendenza della gerarchia della Chiesa per la diffusione e l'attuazione dei principi cattolici. La Santa Sede prende occasione dalla stipulazione del presente Concordato per rinnovare a tutti gli ecclesiastici e religiosi d'Italia il divieto di iscriversi e militare in qualsiasi partito politico ». Ut patet, ultimum comma huius articuli redactum est ob peculiara adiuncta condiciones politicas Italiae respicientia.

[2] Quod vere agebatur de praetextu cfr. Litt. Enc. Pii XI *Non abbiamo bisogno,* datas die 2 iunii 1931 (*A. A. S.*, 1931, pp. 285-312).

[3] Cfr. *L'Osservatore Romano,* 3 sept. 1931, n. 204.

http://www.obrascatolicas.com

« Organizationes catholicae quae, praeter finem religionis, instructionis et caritatis alios quoque habeant, inter quos etiam sociales et professionales, protectione de qua in art. 31, cap. 1 gaudebunt, quin hoc adscriptioni consociationibus Status forte faciendae obstet, et quatenus fidem praestent suam activitatem extra omnes partes politicas evolvendi... ». [1]

Non obstantibus hisce claris dispositionibus, dispotismus regiminis totalitarii contra catholicorum adsociationes vim acuit suae obstilitatis, et praesertim praetextu ita dicti *catholicismi politici* iam anno 1938 maxima pars adsociationum suppressa erat. Facile intelligi potest unde controversiarum causa seu radix venerit: nam ubi totalitarismus viget, difficile est unicuique suum dare. [2]

Stant tamen principia et iura; ceterum heic quoque prae oculis habendum, quod de Ecclesia militante dixit S. Hilarius Pictav.: « Hoc enim Ecclesiae proprium est, ut tunc vincat cum laeditur, tunc intelligatur cum arguitur, tunc obtineat cum deseritur ». [3]

---

[1] Cfr. translationem latinam Collectionis Concordatorum quam edidit Restrepo, *Concordata*, Romae, 1934, p. 588 ss. Vid. etiam amplissimam redactionem Protocolli Additionalis ad art. XIV Concordati cum *Austria*, ubi associationibus Actionis Catholicae spondetur « *piena libertà di organizzazione e di attività* ». Di Meglio, *De novissimo Austriae regimine*, Civ. Vat., 1936, p. 73.

[2] « ... Nei solchi, in cui Ci eravamo sforzati di gettare la semenza della vera pace, altri sparsero — come l'*inimicus homo* della Sacra Scrittura (Matt., 13, 25) — la zizzania della sfiducia, della discordia, dell'odio, della diffamazione, di un'avversione profonda, occulta e palese, contro Cristo e la sua Chiesa, scatenando una lotta che si alimentò in mille fonti diverse, e si servì di tutti i mezzi. Su di essi e solamente su di essi, e sui loro protettori, occulti o palesi, ricade la responsabilità, se all'orizzonte della Germania apparisce non l'arcobaleno della pace, ma il nembo minaccioso delle dissolvitrici lotte religiose... ». Ex Litt. Enc. Pii XI, *Mit brennender Sorge* (Versio ital. in *A. A. S.*, vol. XXIX, p. 169).

[3] Tractatus *De Trinitate*, l. VII, 4 (P. L., X, coll. 222).

# INDEX

PAG.

Praefatio . . . . . V
Praenotiones . . . . . 1

## PARS I

### PRINCIPIA GENERALIA

#### TITULUS I

**De societate iuridica perfecta**

Art. I. Notio societatis . . . . . 9
Art. II. Divisio societatum . . . . . 17
Art. III. Notio societatis iuridice perfectae . . . . . 23

#### TITULUS II

**De potestate societatis perfectae**

##### Caput I

**Natura et limites potestatis socialis**

Art. I. Notio auctoritatis . . . . . 32
Art. II. Quantitas potestatis in societate perfecta . . . . 35

##### Caput II

**De potestate legifera, iudiciali et executiva**

Art. I. De potestate legifera . . . . . 43
Art. II. De potestate iudiciali . . . . . 49
Art. III. De potestate executiva . . . . . 61

http://www.obrascatolicas.com

TITULUS III

**De relationibus iuridicis societatum perfectarum**

PAG.
ART. I. Praenotiones iuris publici externi . . . . . 73
ART. II. Relationes societatum perfectarum in statu concordiae . . . . . 79
ART. III. Relationes societatum perfectarum in statu conflictus . . . . . 84

# PARS II

## DE NATURA ET POTESTATE ECCLESIAE

## SECTIO I

### DE ECCLESIAE IURIDICA PERFECTIONE

TITULUS I

**De Ecclesia ut Societate**

ART. I. Notio iuridica Ecclesiae . . . . . 93
ART. II. De iuris socialis Ecclesiae defensione . . . . . 99

TITULUS II

**Demonstratio perfectionis iuridicae Ecclesiae**

ART. I. Ecclesiae perfectio ex eius natura . . . . . 103
ART. II. Ecclesiae perfectio ex Traditione et praxi . . . 110

## SECTIO II

### DE ECCLESIAE POTESTATE

TITULUS I

**Natura, limites et species potestatis ecclesiasticae**

ART. I. De potestate ordinis et iurisdictionis . . . . . 122
ART. II. De potestate iurisdictionis speciatim . . . . . 130



TITULUS II

**De Ecclesiae potestate legifera**

PAG.
ART. I. Existentia potestatis legiferae in Ecclesia . . . 134
ART. II. Obiectum potestatis legiferae in Ecclesia . . . . 141
ART. III. Limites potestatis legiferae in Ecclesia . . . . 152

TITULUS III

**De Ecclesiae potestate iudiciali**

ART. I. Existentia potestatis iudicialis in Ecclesia . . . 158
ART. II. Obiectum potestatis iudicialis in Ecclesia . . . 165

TITULUS IV

**De Ecclesiae potestate executiva**

CAPUT I

**De potestate Ecclesiae coactiva**

ART. I. Existentia potestatis coactivae in Ecclesia . . . 178
ART. II. Poenarum ecclesiasticarum finis et usus . . . . 185

CAPUT II

**De iure Ecclesiae gubernativo**

ART. I. De personarum moralium regimine . . . . . 192
ART. II. De immunitatibus ecclesiasticis . . . . . 197

CAPUT III

**De potestate administrativa Ecclesiae**

ART. I. Ius proprietatis bonorum ecclesiasticorum . . . 206
ART. II. De libero regimine proprietatis ecclesiasticae . . 218

## SECTIO III

### DE SUBIECTO POTESTATIS ECCLESIASTICAE

TITULUS I

**De forma regiminis in Ecclesia**

ART. I. De hierarchica Ecclesiae constitutione . . . . 224
ART. II. De supremo Ecclesiae capite . . . . . 229

http://www.obrascatolicas.com

TITULUS II

**Sacrorum Pastorum constitutio seu nominatio**

PAG.
ART. I. Ius nominationum in Ecclesia . . . . . 237
ART. II. De privilegiis circa nominationes concessis . . . 247

# PARS III

## RELATIONES IURIDICAE INTER ECCLESIAM ET STATUM

TITULUS I

**Praenotiones de Statu**

ART. I. Status notio, origo et finis . . . . . 259
ART. II. Auctoritas socialis in Statu . . . . . 270
ART. III. Status, individuus et familia . . . . . 274
ART. IV. Status et Religio . . . . . 287
ART. V. De tolerantia falsorum cultuum . . . . . 304

TITULUS II

**De relationibus inter Ecclesiam et Statum**

ART. I. Liberalismus et systema separationis . . . . . 315
ART. II. Catholici in Statu separato . . . . . 332

TITULUS III

**Systema iuridicum relationum inter Ecclesiam et Statum**

ART. I. Systema hierocraticum . . . . . 335
ART. II. Systema regalisticum et iurisdictionale . . . . 342
ART. III. Ecclesia in Statu totalitario . . . . . 347
ART. IV. Subordinatio indirecta Status ad Ecclesiam . . 351

TITULUS IV

**Mutua Status et Ecclesiae officia et vices**

ART. I. Officia Status vi subordinationis indirectae . . . 359
ART. II. Quaestiones speciales de potestate indirecta . . . 366
ART. III. Officia Ecclesiae erga Statum . . . . . 372
ART. IV. Ecclesia et Status heterodoxi . . . . . 378



TITULUS V

**Potestas circa negotia mixta Ecclesiae et Status**

CAPUT I

**De rebus mixtis in genere**

PAG.
ART. I. Notiones praeviae de rebus mixtis . . . . . 382
ART. II. Principia iuridica de regimine rerum mixtarum . 385

CAPUT II

**De nonnullis rebus mixtis in specie**

ART. I. Legislatio Ecclesiae et Status circa matrimonium 391
ART. II. De scholis et universitatibus . . . . . 405

TITULUS VI

**Abusus praecipui contra Ecclesiae iura et libertatem**

ART. I. Regium placitum . . . . . 424
ART. II. Appellatio tamquam ab abusu . . . . . 428

# PARS IV

## PRINCIPIA IURIDICA RELATIONUM CONVENTIONALIUM

TITULUS I

**Notiones generales de concordatis**

ART. Unic. – Concordatorum notio, causae et finis . . . . 433

TITULUS II

**De subiecto concordatorum**

ART. I. Persona contrahens ex parte Ecclesiae . . . . 441
ART. II. Persona contrahens ex parte Status . . . . . 444
ART. III. De societate contrahente, ut subiecto concordati . 448

http://www.obrascatolicas.com

## TITULUS III

### Obiectum iuris concordatarii

PAG.
ART. I. De obiecto concordatorum in genere . . . . . 452
ART. II. Ius concordatarium novissimum . . . . . 455

## TITULUS IV

### De natura concordatorum

ART. I. Opiniones de natura vinculi concordatarii . . . 457
ART. II. De vi pacti bilateralis in concordatis . . . . . 463
ART. III. Concordata et tractatus internationales . . . . 475

## APPENDIX

« Actio Catholica » ad Christi Regni restaurationem in Civitatibus . . . . . 483

http://www.obrascatolicas.com